PAULI LAYMANN
SOCIETATIS JESU
THEOLOGIA MORALIS.

Digitized by Google

THEOLOGIA MORALIS

IN V. LIBROS DISTRIBUTA
QUIBUS MATERIÆ OMNES PRACTICÆ

CUM AD EXTERNUM ECCLESIASTICUM, TUM INTERNUM CONSCIENTIÆ FORUM SPECTANTES NOVA METHODO EXPLICANTUR.

AUCTORE

PAULO LAYMANN

SOCIET. JESU THEOLOGO

In epitomen redacta, & nunc primum pluribus in locis expolita, caſtigata, aucta, & frequentibus luculentiſſimiſque Adnotationibus illuſtrata

A REV. PAT.

JOANNE DOMINICO MANSI

CONGREGATIONIS MATRIS DEI LUCENSIS

Adcedunt ſuis locis accommodatæ egregiæ omnes Regulæ in praxi obſervandæ depromptæ ex Theologia Morali

R. P. CONSTANTINI RONCAGLIA

EJUSDEM CONGREGATIONIS.

EDITIO NOVISSIMA

UBERRIMO RERUM INDICE LOCUPLETATA.

PARS PRIMA

CONTINENS TRES PRIORES LIBROS.

VENETIIS,

MDCCLX.

EX TYPOGRAPHIA REMONDINIANA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

TYPOGRAPHUS
LECTORI.

Paulus Laymann Oenipontanus S. J. Theologus abſolutiſſimus Theologiam Moralem juſto in 4. volumine comprehenſam edidit Monachii primum an. 1625. dein multo auctiorem in fol. 1630. Quanti ſemper illa habita fuerit, demonſtrant iteratæ frequentes editiones, quæ varia Germaniæ ac Italiæ prœla ſubinde dederunt, nec adhuc ceſſatum eſt ab ea novis typis producenda, uti curata haud ante multos annos Venetiis editio manifeſtat. Nec immerito tantus publicus favor illi conciliatus eſt, cum auctor verſatiſſimus in Theologia Morali extiterit, & juris Canonici ſcientia tanta excelluerit, ut ab illo per totam Germaniam, & Italiam ea in re oracula expeterentur. Cum vero eo verſemur in ſæculo, ut permulti viri eximii, ac doctiſſimi eadem in palæſtra ſeſe exercuerint, multoſque de Morali Theologia commentarios evulgaverint, quos ignoraſſe ejus ſcientiæ ſtudio addictos pœniteret, nec unus omnibus ſufficere poſſit perlegendis, atque expendendis, ideo laudabili conſilio inſtitutum eſt, ut ingentium operum, & ſcriptorum compendia darentur, quæ & legerentur facilius, & uno veluti hauſtu meliorum Theologorum doctrina ebiberetur.

Eo proinde nomine laudem ſuam meretur Epitome iſta Theologiæ Moralis P. Laymann, quam ignoto quidem auctori, ſed docto oppido, atque in ſcientia morali exculto, natione Germano debemus. Prodiit opus iſtud noviſſimis hiſce annis Viennæ Auſtriæ typis Trattnerianis. Opportunum autem factu viſum eſt, ut quod Germanorum uſui oblatum erat, opere Itali non carerent, iiſque propterea noſtris typis ſubventum eſt. Nec ſubventum tantummodo, ſed & occurſum cum proventu; nam vir cl. atque in ſcientia morali apprime doctus P. Jo: Dominicus Manſi Clericus Regularis Congregationis Matris Dei Lucenſis a me rogatus manus ſuas novæ huic editioni expoliendæ, augendæ, illuſtrandæ, admovit frequentibus adnotationibus, quas in opere ipſo, adjectis in margine commatis inſeruit. Neque hæc ſatis, ſed & adjungere viſum eſt regulas vere aureas uſui accommodatas e Theologia Morali P. Conſtantini Roncaglia ejuſdem Congregationis acceptas, quarum utilitas longo uſu a Theologis agnita, atque explorata eſt.

Demum cum antea opus iſtud indicibus omnino careret, nunc primum effeci, ut iiſdem, & quidem uberrimis in fine locupletaretur. Hæc præmonuiſſe juvit lectores, ut novo hoc argumento alacritatem meam in eorum commoda intelligant, & agnoſcant.

DESI-

DESIGNATIO OMNIUM TRACTATUUM, ET CAPITUM,
QUÆ SUNT IN QUINQUE LIBRIS
SACRÆ THEOLOGIÆ MORALIS
R. P. PAULI LAYMANNI.
PARS PRIMA.

LIBER I.

De generalibus principiis Theologiæ moralis.

TRACTATUS I.

De Conſcientia.

CAPUT I. *De Synteresi.* Pag. 1
II *De conſcientia, quid ſit.* ibid.
III. *Quotuplex ſit conſcientia.* ibid.
IV. *Quanea ſit obligatio conſcientiæ præcipientis.* 2
V. *De conſcientia dubia, & opinativa.* ibid.
§. I. *De dubio juris proprie, ſeu practice practico.* 3
§. II. *De dubio, ſeu quæſtione practice univerſali, quæ eſt inter diverſas DD. opiniones probabiles.* ibid.
§. III. *De dubio juris mere ſpeculativo.* 4
De Medico, & Chirurgo. ibid. | *in cauſa dubia*
De judice. ibid.
De Advocato. ibid.
De jure proprietatis. Ibid.
De valore matrimonii. 5
De jure belli. ibid.
§. IV. *De dubio, & quæſtione facti.* ibid.
VI. *De conſcientia ſcrupuloſa.* 6

TRACTATUS II.

De Actibus humanis voluntariis, & involuntariis.

CAP. I. *De Spontaneo, & voluntario.* ibid.
II. *De libero.* ibid.
III. *Quotuplex ſit voluntarium.* 7
IV. *De ignorantia, an, & quomodo voluntarium tollat.* 8
V. *De concupiſcentia, utrum voluntarium tollat, aut minuat.* 9
VI. *De coactione & metu, utrum involunturium efficiant.* ibid.
VII. *Utrum actus morales ſpeciem, & eſſentiam ſuam accipiant ab objecto.* 10
VIII. *De humanarum actionum circumſtantiis in communi.* ibid.
IX. *De circumſtantiis in particulari.* 11
X. *Quænam peccatorum circumſtantiæ in confeſſione neceſſario explicandæ ſint.* ibid.

TRACTATUS III.

De Peccatis in Communi.

CAP. I. *Quid ſit peccatum.* 12
II. *De ſpecifica unitate, ac diſtinctione peccatorum.* ibid.
III. *De numerica diſtinctione peccatorum.* ibid.
IV. *De diviſionibus peccati accidentalibus.* 13
V. *De peccato mortali, & veniali.* 14
VI. *De delectatione moroſa.* ibid.
VII. *De peccatis ex ignorantia, ex infirmitate, & ex certa malitia.* 16

TRACTATUS IV.

De humanis legibus.

CAP. I. *Quid ſit lex?* 17
II. *De promulgatione legis.* ibid.
III. *De acceptatione legis.* ibid.
IV. *De materia legis humanæ.* 18
V. *De juriſdictione.* 19
VI. *De lege, ac legislatore Eccleſiaſtico univerſali.* 20
§. I. *De Summo Pontifice.* ibid.
§. II. *De generalibus Conciliis.* ibid.
§. III. *De jure communi Canonico.* ibid.
VII. *De particularibus Eccleſiaſticis legislatoribus, eorumque juriſdictione.* 21
§. 1. *De Conciliis non œcumenicis.* ibid.
§. 2. *De Epiſcoporum juriſdictione.* ibid.
§. 3. *De juriſdictione Metropolitani, & Archiepiſcopi.* ibid.
§. 4. *De juriſdictione, & poteſtate Capituli.* ibid.
§. 5. *De juriſdictione Vicarii generalis.* 22
§. 6. *De juriſdictione Legati Apoſtolici.* ibid.
§. 7. *De juriſdictione Cardinalium Eccleſiæ Romanæ.* ibid.
§. 8. *De poteſtate Religionum, & Prælatorum Regularium.* ibid.
VIII. *De lege, & legislativa poteſtate civili, ſive politica.* ibid.
§. unicus. *De lege civili.* 23
IX. *Utrum legislator propria lege obligetur?* ibid.
X. *Utrum infantes, & amentes legibus obligentur?* ibid.
XI. *Utrum Cives, vel Diœceſani obligentur legibus territorii proprii, dum abſentes ſunt?* ibid.
XII. *Utrum Advenæ, & peregrini teneantur legibus locorum, in quibus verſantur, quamvis in proprio ipſorum territorio non obligent?* 24
XIII. *An, & qua ratione Clerici civilibus legibus obligentur?* 25
XIV. *De effectu legis, ac præcepti humani, quæ eſt obligatio.* ibid.
XV. *De lege pœnali.* 26
XVI. *De lege prohibente, vel infirmante pacta, contractus, teſtamenta &c.* 27
XVII. *De lege Cæſarea infirmante ultimas defunctorum voluntates non ſolemnes.* ibid.
XVIII. *De interpretatione legum.* 28
XIX. *De reſtrictione legis ſecundum æquum, & bonum.* 29
XX. *De excuſatione ob ignorantiam.* 30
XXI. *De mutatione, derogatione, abrogatione legis.* ibid.
XXII. *De diſpenſatione in lege.* 31
XXIII. *De privilegiis.* 34
XXIV. *De conſuetudine.* 37

TRACTATUS V.

De Cenſuris Eccleſiaſticis, & Irregularitate.

PARS I.

De Cenſuris in Communi.

CAP. I. *Quid ſit cenſura Eccleſiaſtica?* 38
II. *Quotuplex ſit Cenſura?* ibid.
III. *Quis cenſuram ferre poſſit?* 39
IV. *In quos cenſura ferri poſſit?* ibid.
V. *Ob quam cauſam cenſura ferri poſſit?* 40
VI. *Quibus caſibus cenſura injuſta, & quibus etiam invalida ſit?* 41
VII. *De abſolutione a cenſura.* ibid.

PARS II.

De Cenſura Excommunicationis.

CAP. I. *Quid ſit excommunicatio, & quotuplex?* 42
II. *De effectibus Excommunicationis.* ibid.

III. *De*

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

III. *De pœnis, ſive cenſuris, quæ incurruntur ob communicationem cum excommunicato, & ſpeciatim de excommunicatione minori.* 44
IV. *Quinam excommunicati ſint vitandi, & qui non vitandi?* ibid.
V. *De excommunicationibus juris, & ſpeciatim de ea, quæ ob Clerici percuſſionem decreta eſt.* 45
VI. *De abſolutione ab excommunicatione.* 46

PARS III.

De Suſpenſione.

CAP. I. *Quid, & quotuplex ſit ſuſpenſio?* 47
II. *Quis poſſit cenſuram ſuſpenſionis ferre, & in quos?* ibid.
III. *Ob quam cauſam ſuſpenſio ferri poſſit.* ibid.
IV. *Quibus modis ſuſpenſio tollatur?* 48
V. *De depoſitione, ac degradatione.* ibid.

PARS IV.

De Interdicto.

CAP. I. *Quid, & quotuplex ſit interdictum?* 48
II. *De effectibus interdicti.* ibid.
III. *De violatione interdicti.* 49
IV. *Qui poſſit interdictum ferre, in quos, & ob quam cauſam?* ibid.
V. *Quibus modis interdictum tollatur?* ibid.
VI. *De ceſſatione a Divinis.* ibid.

PARS V.

De Irregularitate.

CAPUT I. *Quid, & quotuplex ſit irregularitas.* 49
II. *De irregularitatibus, quæ incurruntur occaſione Sacramenti baptiſmatis.* 50
III. *De irregularitatibus ex ordinis abuſu.* ibid.
IV. *De irregularitatibus ex infamia.* 51
V. *De irregularitate ex natalium defectu.* ibid.
VI. *De irregularitate ex bigamia.* 52
VII. *De irregularitate ex corporis vitio.* ibid.
VIII. *De irregularitate ex obligatione ſervili.* ibid.
IX. *De diſpenſationibus ſuper irregularitatibus.* 53

LIBER II.

De fide, ſpe, charitate.

TRACTATUS I.

De fide.

CAP. I. *De nomine, definitione, ac diviſione fidei.* 53
II. *De objecto, ſeu ſubjecto fidei.* ibid.
III. *De rationibus, ſeu motivis fidei Divinæ.* 54
IV. *Utrum fides Divina ſit diſcurſiva?* ibid.
V. *De reſolutione fidei.* 55
VI. *De ordine rerum credendarum.* ibid.
VII. *De proponente fidem.* ibid.
VIII. *An, & quatenus fides divina viatoribus neceſſaria ſit neceſſitate medii ad ſalutem?* 56
IX. *Quæ fides neceſſaria ſit neceſſitate præcepti.* ibid.
X. *Quo tempore præceptum fidei divinæ obliget?* 57
XI. *De præcepto externæ fidei confeſſionis.* ibid.
XII. *De infidelitate, ejuſque ſpeciebus.* 58
XIII. *De hæreſi.* 59
XIV. *De excommunicatione lata in hæreticos; eorumque fautores &c.* ibid.
XV. *De excommunicatione Bullæ lata in eos, qui libros hæreticos legunt.* ibid.
XVI. *De Apoſtatis, eorumque, & hæreticorum pœnis.* 60
XVII. *De communicatione Chriſtianorum cum infidelibus, puta, judæis, ac Paganis.* ibid.

TRACTATUS II.

De Spe, & oppoſitis vitiis.

CAP. I. *Quid ſit Spes?* 61
II. *De peccatis contra Spem.* 62

TRACTATUS III.

De charitate, Miſericordia, & oppoſitis vitiis.

CAP. I. *Quid ſit Charitas?* 62
II. *De præceptis Charitatis.* 63
III. *De ordine Charitatis.* ibid.
IV. *De dilectione peccatorum, & inimicorum.* 64
V. *De actibus Charitatis.* 65
VI. *De miſericordia, & eleemoſyna corporali.* ibid.
VII. *De correctione fraterna.* 66
VIII. *De odio Dei, ac proximi.* ibid.
IX. *De peccato Acediæ.* 67
X. *De peccato invidiæ.* ibid.
XI. *De diſcordia, contentione, & ſchiſmate.* 68
XII. *De bello.* ibid.
XIII. *De ſcandalo:* 71

LIBER III.

De Juſtitia, Jure, cæteriſque virtutibus cardinalibus.

Sectio I. *De virtute morali generatim.* 74
Sect. II. *De prudentia, & vitiis ei oppoſitis.* ibid.
Sect. III. *De fortitudine, & oppoſitis vitiis.* ibid.
Sect. IV. *De temperantia, & oppoſitis vitiis.* 75
Sect. V. *De jure, & juſtitia.* 77

TRACTATUS I.

De quibuſdam generalibus principiis juris, ac juſtitiæ.

CAP. I. *De objecto juſtitiæ, quod eſt jus, ſive juſtum.* 77
II. *De juſtitia generali, ſeu legali.* 78
III. *De juſtitia particulari.* ibid.
IV. *De ſpeciebus juſtitiæ particularis.* ibid.
V. *De jure dominii, & rerum diviſione.* ibid.
VI. *De uſufructu, uſu, & habitatione.* 81
VII. *De poſſeſſione.* 82
VIII. *De exceptione, præſcriptione, ac uſucapione.* 83
IX. *De ſervitutibus, earumque præſcriptione.* 85

TRACTATUS II.

De Reſtitutione.

CAP. I. *Quid ſit reſtitutio?* 86
II. *Utrum reſtituere ablata ſit neceſſarium ad ſalutem?* ibid.
III. *De poſſeſſore bonæ fidei, quatenus reſtituere teneatur.* ibid.
IV. *De poſſeſſore malæ fidei, quatenus reſtituere teneatur?* 87
V. *Quinam reſtituere debeant damnum injuſte datum?* 88
VI. *Quantum ſinguli damnificantes reſtituere debeant, & quo ordine.* 90
VII. *Utrum reſtituere debeat, qui aliquem a conſecutione alicujus boni impedivit?* 91
VIII. *Utrum reſtituere debeat, qui aliquem ad peccatum induxit, vel a religione abduxit?* ibid.
IX. *Cui reſtitutio fieri debeat?* 92
X. *Quo tempore, & loco reſtitutio fieri debeat?* 93
XI. *Quo ordine reſtituendum ſit?* ibid.
XII. *De reſtituendi impotentia.* 94

TRACTATUS III.

De Delictis.

PARS I.

De Obligationibus contractis ex injuſto fortunarum damno.

CAP. I. *De furto.* 96
II. *De Rapina.* 98
III. *De tributis, & vectigalibus, eorumque defraudatione.* ibid.
§. *Unicus de ſubſidio charitativo.* 99
IV. *De crimine falſi.* ibid.
V. *De monetæ falſatione.* ibid.
VI. *De Damno injuſte dato.* 102

PARS

Digitized by Google

I N D E X C A P I T U M.

P A R S II.

De Obligationibus contractis ex injuſta laſione fama, & honoris.

CAP. I. *Quid ſit fama, honor, laus, gloria.* 103
II. *De temerario judicio, ſuſpicione, ac dubitatione.* ibid.
III. *De detractione.* ibid.
IV. *De denuntiatione fraterna.* 105
V. *De obligatione ſecreti.* 107
VI. *De contumelia.* ibid.
VII. *De reſtitutione fama & honoris.* 108

P A R S III.

De Obligationibus contractis ex injuſta laſione corporis.

CAP. I. *De occiſione, & mutilatione ſui ipſius.* 109
II. *De homicidio, quod publica authoritate ſit.* 110
III. *De homicidio ob defenſionem.* ibid.
IV. *De homicidio voluntario, & caſuali.* 111
V. *De Duello.* 112
VI. *De obligatione compenſandi damnum ex homicidio, vel mutilatione.* 113
VII. *De irregularitate orta ex homicidio, vel mutilatione publica authoritate facta.* ibid.
VIII. *De irregularitate ex homicidio contingente in bello offenſivo.* 114
IX. *De irregularitate ex homicidio ob defenſionem.* ibid.
X. *De irregularitate ex homicidio voluntario, & caſuali.* ibid.
XI. *De irregularitate ex mutilatione.* 115
XII. *De diſpenſatione ſuper irregularitate ex homicidio & mutilatione.* ibid.
XIII. *De ſtupro.* 116
XIV. *De adulterio.* ibid.

T R A C T A T U S IV.

De Pactis, & Contractibus.

CAP. I. *Quid ſit pactum?* 117
II. *De pacto nudo, & veſtito.* ibid.
III. *Quid ſit Contractus, & quotuplex?* 118
IV. *De qualitatibus contractuum.* ibid.
V. *De contractibus ob errorem, aut dolum initis.* 119
VI. *De contractibus ob metum initis.* 120
VII. *Si res poſt contractum pereat, aut deterior fiat, cujus damno id accidat?* ibid.
VIII. *Utrum filius familias contractus inſtituere poſſit?* 121
IX. *Utrum pupillus, & minor 25. annorum contrahere poſſint.* 122
X. *De alienatione bonorum Eccleſiaſticorum.* 123
XI. *De in integrum reſtitutione minorum, Eccleſia &c.* 124
XII. *De donatione.* ibid.
XIII. *De dote, paraphernis, donatione propter nuptias, & ſponſalitia largitate.* 126
XIV. *De commodato, & precario.* 127
XV. *De mutuo.* 128
XVI. *De uſura.* 129
XVII. *De emptione, ac venditione.* 131
§. 1. *De pretio rerum venalium.* ibid.
§. 2. *De re vendita, ſive merce.* 132
§. 3. *De venditione rei aliena, ejuſque evictione.* 133
§. 4. *De merce duobus in ſolidum vendita.* 134
§. 5. *Qua res vendi poſſint, vel non, vel vendi debeant.* ibid.
§. 6. *De retractu gentilitio.* 135
§. 7. *De negotiatione, & Monopoliis.* ibid.
XVIII. *De cenſibus.* ibid.
XIX. *De cambio.* 137
XX. *De contractu Societatis.* ibid.
XXI. *De ludo, & ſponſionibus.* 138
XXII. *De contractu locationis, & conductionis.* 139
XXIII. *De Emphyteuſi.* 140
XXIV. *De feudo.* 141
XXV. *De depoſito.* 142
XXVI. *De mandato, Procuratore, Syndico.* ibid.
XXVII. *De actione ex juſſu, & de in rem verſo.* 143
XXVIII. *De negotiorum geſtore.* ibid.
XXIX. *De fidejuſſoribus.* 144
XXX. *De Pignore, & hypotheca.* ibid.
XXXI. *De tranſactione.* 145

T R A C T A T U S V.

De Teſtamento, aliiſque ultimis voluntatibus.

CAP. I. *Quid ſit Teſtamentum, & quotuplex?* 146
II. *De Teſtamentis privilegiatis.* 147
III. *Quis de bonis ſuis teſtari poſſit?* 148
IV. *De revocatione teſtamenti.* ibid.
V. *De haredibus inſtituendis.* 149
VI. *De haredibus ab inteſtato venientibus.* 150
VII. *De renunciationibus hareditatum.* ibid.
VIII. *De codicillis.* 151
IX. *De ſubſtitutione, & fideicommiſſo.* ibid.
X. *De legatis particularibus.* 152
XI. *De Executione Teſtamenti, & aliarum ultimarum voluntatum.* 153
XII. *De ſepultura, & portione Canonica.* 154

T R A C T A T U S VI.

De Judiciis:

CAP. I. *De judicio:* 154
II. *De judice.* 155
III. *De Actore, & accuſatore.* 156
IV. *De Probationibus.* 157
V. *De Reo.* ibid.
VI. *De appellatione:* 159

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS PARS PRIMA.

LIBRI PRIMI TRACTATUS PRIMUS.

DE CONSCIENTIA.

CAPUT PRIMUM.

De Syntereſi.

1 SYnteresis eſt habitus, ſive conſervatio principiorum practicorum.

2 Practica ſive moralia principia ſunt univerſales, ac per ſe notæ humanarum actionum regulæ, & quædam lumina virtutum vera, & incommutabilia; ut, bonum honeſtum ampiectendum, malum peccati fugiendum, non plus minuſve iraſcendum, comedendum quam oportet, juſte vivendum, propria ſuis reddenda.

CAPUT II.

De Conſcientia, quid ſit?

1 COnſcientia eſt judicium rationis practicæ circa particularia per ratiocinationem deductum ex principiis univerſalibus contentis in Syntereſi. V. C. Omne malum peccati eſt deteſtandum: Perjurium eſt malum peccati, quippe rectæ rationi adverſum. Ergo

2 Conſcientia partim ſe extendit ad opera præterita, ſi mala, dicitur remorſus, ſi bona, teſtimonium Conſcientiæ. 2. Cor. 1. Vel ad futura, dictando, quæ facienda, tanquam honeſta, & quæ omittenda, tanquam turpia.

3 Coroll. Conſcientia eſt actus elicitus a virtute Prudentiæ circa particularia. Syntereſia autem continet univerſaliſſima principia Prudentiæ. Inter Syntereſio & Prudentiam particularem eſt media moralis ſcientia, ſive Juriſprudentia. V. C. In malis promiſſis fides non eſt ſervanda: Omne juramentum ſervari debet, quod ſine diſpendio ſalutis æternæ ſervari poteſt. Hæc comparata ad Syntereſin concluſiones ſunt; comparata ad Prudentiam ſunt & ipſa moralia quædam axiomata, recteque vivendi regulæ.

CAPUT III.

Quotuplex Conſcientia?

1 COnſcientia alia eſt vera, recta, alia eſt falſa, errans. Eſt diviſio analoga, quippe cum errans Conſcientia proprie nomen Conſcientiæ non meretur.

Conſcientia recta eſt, quæ ex practicis principiis ſecundum omnes circumſtantias recte applicatis colligitur de agendo, vel non agendo.

Porro applicatio illa principiorum interdum vera eſt tam ſpeculativa, quam practica veritate, & tunc emergit conſcientia omnimode vera. V. C. Jus ſuum cuique tribuere honeſtum eſt; conjugi autem jus competit ad conjugii actum: Ergo ipſi ſuus conjux recte & honeſte conjugii debitum reddit: hæc autem eſt mea legitima conjux, uti vere perſpectum habeo: Ergo. Interdum applicatio illa eſt ſolum practice vera in ordine ad practicam concluſionem, ſeu conſcientiam recte formandam. V. C. Gen. 29. Jacob. Honeſtum eſt accedere ad propriam uxorem; atqui hæc eſt mea uxor, uti prudenter arbitror: Ergo.

Acceſſus ille erat honeſtus, quia quivis vir prudens, ſpectatis omnibus circumſtantiis, ita judicaſſet.

Coroll. Licet ejuſmodi Concluſio, ſeu judicium, ſecundum quid falſa, ſecundum objectum ſcilicet præciſe ſpectatum, abſolute tamen eſt vera, 1. quia, ut vidimus, per bonum argumentum ex principiis practicis abſolute veris concludi poteſt, ex vero autem non niſi verum. 2. quia talis conſcientia eſt regula proxima honeſtæ operationis, ideoque proprie actus Prudentiæ virtutis ſemper ad verum inclinantis.

2 Conſcientia falſa, ſive erronea dicitur, quæ ex falſo, ſive erroneo practico principio colligitur, V. C. Cultus religioſus eſt Deo gratus, ſed mentiri pro Religionis augmento honeſtum, & Deo gratum; atqui hoc mendacium in Religionis augmentum cedet: Ergo licitum eſt nunc mentiri. Quæ concluſio erronea eſt, quia ex erroneo principio deducta.

Conſcientia erronea dividitur in invincibilem, & vincibilem. Invincibilis eſt, cum error moraliter vitari non poteſt, ideo nec voluntarius, nec ad culpam imputatur.

Vincibilis eſt, cujus error vitari poteſt, ac potuit,

potuit, ac proinde indirecte voluntarius, & culpabilis. Conſequenter voluntas ſequendo hanc conſcientiam peccat, invincibilis autem excuſatur.

Actus mendacii v. g. Religionis cauſa invincibilis aliquo modo bonus eſt ſecundum intentionem finis, quamvis deficiat a rectitudine honeſtatis ſecundum applicationem medii, quæ tamen deficientia propter ignorantiam excuſatur.

3 Altera Diviſio. Conſcientia alia eſt ſuadens, V. C. virginitatem; alia præcipiens, V. C. non mentiendum.

4 Conſcientiæ diviſio in dubiam, & ſcrupuloſam ſecundum ſimilitudinem ſolum eſt; quia conſcientia debet eſſe practicum judicium ſive aſſenſus, ſive rationis: At nec dubitans, nec ſcrupuloſus determinate judicat aliquid agendum, ſed ambiguus hæret.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quandoque Confeſſarius dum audit Pœnitentem ſe accuſare de aliqua re, quæ non eſt mala, nihil curat de ea, & ut ultra progrediatur ſollicitat. Sed in hoc multoties non bene ſe gerit; examinare etenim debet, an illud fecerit ex conſcientia erronea, cum potuerit gravius, & levius peccare juxta dictamen talis conſcientiæ.

II. Item ne Confeſſarius, vel nimis rigidus, vel nimis laxus ſit in judicando, maxime dum excipit confeſſiones ruſticorum, idiotarum, mulierum &c. ſi aliquod malum feciſſe auſcultat, videat, an ſaltem dubitaverint graviter poſse peccare, in quo caſu judicet commiſiſse peccatum mortale. At multoties in quibuſdam peccatis, ut dum per Deum jurant, creaturas execrantur, imprecantur mala filiis, laborarunt in die feſto, & ſimilibus, accidit habuiſse quidem cognitionem ſe male agere, at neutiquam conſideraſse, an graviter, vel leviter; neque de gravi malitia ullum habuiſse dubium. Hinc bene judicare poteſt leviter tantum peccaſsa, neque deſunt Theologi qui putent tuto omitti poſse eam interrogationem, an crediderint ſe peccaſse mortaliter, vel venialiter; quia tales pœnitentes neſciunt ſe in hac interrogatione explicare; & de facto id multoties mihi avenit, & audivi eos reſpondere, agnoviſsa quidem ſe peccare, ſed nihil cogitaſsa de peccato gravi, vel levi.

CAPUT IV.

Quanta ſit obligatio Conſcientiæ præcipientis?

1 ASſertio 1. Conſcientia recta obligat ſub peccato. Probatur: Quia voluntas peccat, ſi in operatione non ſequitur regulam ſuam; atqui conſcientia intellectus recte præcipiens eſt regula: Ergo.

Nota. Regula proxima voluntati eſt conſcientia rationis, ducta ex Synterefi, lex divina remota.

2 Aſſertio 2. Voluntas peccat, agens contra conſcientiam erroneam. Rom. 14. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*

Ratio. Cum objectum voluntatis ſit bonum ac malum, prout eſt in apprehenſione rationis, ideo ſi ratio apprehendat aliquid, ac voluntati proponat tanquam bonum morale neceſſarium, ac præceptum, aut prohibitum, eſto, re ipſa præceptum, aut prohibitum non ſit, (ſi malum) voluntas illud bonum reſpuendo (malum amplectendo) conſentit in tranſgreſſionem legis.

Corollarium. Operans contra conſcientiam erroneam, vincibilem & invincibilem, ea ipſa ſpecie peccati, atque contra eam virtutem delinquit, pro gravitate vel levitate materiæ, venialiter vel mortaliter, ſuppoſita actione libera; quia, ſi incarceratus exiſtimet ſe peccare, Miſſam non audiendo, non ideo peccat, nec ſcrupuloſus involuntarias ſuas actiones peccata putans.

3 Aſſert. 3. Hoc intereſt inter conſcientiam errantem invincibiliter, & vincibiliter, quod illa voluntatem obligat, adeo ut niſi ſequatur, peccet; quia lex falſo exiſtimata errore, qui deponi non poſſit, ratione ejus deceptionis, adeoque per accidens obligat non minus, quam præceptum verum, adeoque, ut, qui ſecundum tale exiſtimatum præceptum operatur, moraliter non male, ſed potius bene operetur, ut dixi Cap. præcedenti. Ad vincibiliter vero conſcientiam errantem ſequendam voluntas non obligatur, ſed tantum ad non repugnandum; nam qui per vincibilem ignorantiam exiſtimat, V.C. mentiendum eſſe, ut vita hominis liberetur, is duo virtualiter judicia format: 1. Oportet mentiri: Ad quod voluntas non obligatur, involvit enim contradictionem, obligari voluntatem ad peccatum; atqui voluntas ſequendo conſcientiam errantem vincibiliter peccat: Ergo non obligatur ad eam ſequendam. 2. Judicium: Malum peccati eſt non mentiri: Secundum quod Judicium, ſi voluntas nolit mentiri, itidem peccat, quia conformat ſe malo peccati exiſtimati; ſicut conſtat ex ſecunda aſſertione.

4 Objicies: Hinc ſequitur, hominem perplexum fore, ut, quidquid agat, peccaturus ſit: ſi enim ſequendo conſcientiam vincibiliter erroneam conſentiat in mendacium, peccabit contra veritatis virtutem: ſi autem reſiſtendo conſcientiæ mentiri nolit, peccabit contra veritatem miſericordiæ. Reſp. Non eſſe hominem ſimpliciter perplexum, aut conſtitutum in abſoluta neceſſitate peccandi, poteſt enim, & debet deponere errorem, quo depoſito ceſſabit talis conſcientia; dum autem non deponitur, eſt neceſſitas peccandi, ſed non niſi ex hypotheſi, id eſt, ſi nolit deponere errorem.

Nota; tunc errorem eſſe vincibilem, cum intellectus judicat aliquid agendum, vel omittendum non ſine formidine oppoſiti, expreſſe vel implicite dictans, rem magis conſiderandam eſſe. Quod ſi autem aliquis eo perplexitatis deveniat, ut utrumque oppoſitorum peccatum ſit peccatum, mentiri ſcilicet contra veritatem, & non mentiri contra miſericordiam, & non habeat, quem conſulat, tunc minus malum eligendum, ſcil. mentiri, ut ſcil. culpa, quæ gravior videtur, contra miſericordiam evitetur. Quod ſi demum adeo perplexus ſit, ut neque hoc ipſum arbitrari poſſit, utrum ex propoſitis ipſis malis minus exiſtat, tunc non peccabit, (a) quidquid egerit, quia nemo neceſſitate peccat. Aliud exemplum de Parocho. Die feſto veniens ſacrificaturus pro populo recordatur, ſe jejunum non eſſe: nec alius ſacerdos accerſiri poteſt, nec populus edoceri, ut ſine Miſſa quietus abſcedat.

„ (a) Non peccabit quia in neceſſitate conſtituitur, ſed in eo caſu poſitus tenetur, ſi poteſt, virum doctum conſulere.

CAPUT V.

De Conſcientia dubia.

1 NOt. 1. Dubium eſt diſtinctum ab Opinione, Sententia, ſeu Judicio.

Dubium eſt, cum mens anceps hæret, ac neutri parti contradictionis aſſentiatur. Opinio eſt aſſenſus incertus, non carens ſaltem virtuali formidine oppoſiti. Judicium excludit omnem dubitationem, vel propter conteſtantis auctoritatem.

2 Not. 2. Dubium aliud eſt juris, & aliud facti.

Dubium Juris dicitur, quod eſt de obligatione, aut facultate legitima agendi, vel de legitimo actus valore. Dividitur in ſpeculativum, & practicum. Speculativum dubium juris eſt, in quo non quæritur directe de praxi, & de humana actione, utrum ea licita ſit, nec ne, ſed de quodam alio legitimo, V. C. utrum Baptiſmus in nomine Chriſti ſine invocatione Sanctæ Trinitatis ſit validus? Dubium juris practicum eſt, in quo directe quæritur de praxi, ſeu actione morali, num ea licita ſit? Hoc iterum duplex 1. Generale & abſtractum, num V. C. contractus cenſus germanici uſurarius ſit? utrum liceat die feſto bellare, piſcari, &c.? 2. Practicum practice, proprie, cum in particulari dubitatur, utrum hic & nunc mihi liceat die feſto pingere, bellare? Prius, quia remotum a praxi, reducitur ad ſpeculativum.

Dubium facti dicitur, in quo ambigitur, utrum aliquid factum ſit, nec ne. V. C. utrum ætas ſeptennii completa, utrum horæ lectæ? Cæterum ex dubio facti plerumque oritur dubium juris, V. C. utrum votum Religionis ediderit, mox incipit dubitare, utrum obligetur? Item ex dubio juris practicum, V. C. utrum Baptiſmus validus fuerit, mox dubitare incipit, an repeti debeat? utrum res fuerit ſua, mox, an eam retineri poſſit?

NB. Eadem diviſio, quæ eſt dubii, eſt etiam Opinionis, & Sententiæ.

§. I.

§. I.

De Dubio Juris proprie, ſeu practice practico.

3 **A**Sſert. Agere, vel omittere aliquid cum dubio proprie practico ſemper eſt peccatum. Probat. Rom. 14. *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; id eſt, quod non fit cum determinato judicio intellectus. Ratio 1. Omnis actus humanus rectus & honeſtus debet eſſe prudens: Prudentia autem conſiſtit in judicio mentis definientis, quid hic & nunc licite fiat, vel non fiat. 2. Exponens ſe periculo peccandi peccat eodem genere peccati, cui ſe exponit; qui autem agit aliquid, vel omittit cum dubio practico, id eſt, dubitans, utrum agendo, vel omittendo peccet, is committit ſe peccandi periculo: Ergo.

4 Ad recte operandum requiritur judicium practicum, moraliter certum, quo excludatur omnis formido oppoſiti. Nam prima regula humanarum actionum debet eſſe firma & conſtans, ſcilicet conſcientia recta, quæ eſt actus prudentiæ, unius ex intellectualibus virtutibus, quæ ſemper ad verum inclinant: at Opinione aliquando fallimur. Deinde, quicunque exponit ſe periculo peccandi, peccat; at, quicunque operans practice certus non eſt, is committit ſe periculo peccandi: Ergo: Excipe ſcrupulum, & perplexitatem, qua intellectus utrumque judicat peccatum, & eo errore ſe expedire nequit.

§. II.

De Dubio, ſeu quæſtione practice univerſali, quæ eſt inter diverſas Doctorum opiniones probabiles.

5 **N**Ot. 1. Qui uni parti quæſtionis opinative aſſentit, poteſt alteram nihilominus probabilem judicare, ſed noo ut veræ aſſentiri. *Non ut veræ* dico; quia impoſſibile eſt, ut intellectus duabus propoſitionibos contradicentibus directe aſſentiatur, ſive utramque veram judicet, ſed hoc ipſo, qood uni debiliter aſſentitur, & veram judicat, ejus contradicenti diſſentit, falſamque judicat, cum tamen conſiſtere poteſt, ut eandem probabilem cenſeat. Sic Doctores frequenter Sententiam aliquam adductis rationibus falſitatis arguunt, quam tamen probabilem eſſe fatentur. Cæterum, cui uni pars quæſtionis vei per rationem evidens, vel per fidem certa apparet, ei pars oppoſita oullo modo probabilis videri poteſt.

Nota 2. Licet omnis pars quæſtionis, ſi probabilis ſit, opinativum aſſenſum gignere poſſit abſolute, id tamen non poteſt in omni intellectu; ſi enim tibi pars oppoſita quæſtionis probabilior videatur, ſeu majora rationum momenta in illam partem perſpicias, licet aſſenſum omnem cobibere tunc poſſis, tamen ex hypotheſi, quod alteri parti aſſentiri velis, neceſſe eſt, ut probabiliori aſſentiaris, alteri aotem minus probabili tunc aſſentiri non poteſt. Si enim minus probabili aſſentiaris, ſeu veram judices, hoc ipſo oppoſitam falſam æſtimas, quod fieri non poteſt, dum ea tibi probabilior apparet, propterea quod intellectos judicativus ſecondum ſpecificationem non omnino liber ſit, ſed a rationibus, ſeu motivis objecti determinetur. Nec reſp. Quod propoſitio una ratione falſa, altera vera ſit; cum veritas, & falſitas intra contradictorios terminos verſantes latitudinem non habent.

6 NB. Hoc axioma habet hunc ſenſum: Propoſitio hæc verior, id eſt, veriſimilior eſt, quam ejus oppoſita.

Not. 3. Probabilis Sententia eſt, quæ certitudinem non habens, tamen vel gravi authoritate, vel non modici momenti ratione nititur.

„ (a) Attendenda tamen hac in re merito eſt propoſitio tertia inter damnatas ab Innoc. XI. *generatim dum probabilitate ſeu intrinſeca, ſeu extrinſeca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*.

Gravis authoritas eſt etiam unius viri docti, & probi, qui tamen talem doctrinam non temere, ſed poſt perſpecta rationum pondera; quæ in oppoſitum afferri poſſunt, amplexus eſt (b).

„ (b) Hac etiam in re attendenda eſt propoſitio 27. inter damnatas ab Alex. VII. quamvis, ut vera fatear, rectæ ſententiæ non repugnet doctrina hic a P. Layman ſtabilita: *ſi liber ſit alicujus junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe S. A. tanquam improbabilem*.

7 Aſſert. 1. Ex duabus probabilibus contradicentibus opinionibus, quæ verſantur circa actionem humanam, an ea ſit licita, nec ne, quiſque in praxi, ſive operatione ſequi poteſt, quam velit, etſi ipſi operanti altera ſpeculative minus probabilis videatur. Prob. Opinionem, quæ non eſt aliena a recta ratione, poteſt quis prudenter ſequi; atqui probabilis opinio, quia nititur gravi authoritate, non eſt aliena a recta ratione: Ergo. Speculative magis probabilis opinio nihil facit ad rem, quia, cum ſit incerta, & fortaſſe falſa, non poteſt eſſe regula operationis.

Aſſert. 2. Ex duabus probabilibus opinionibus aliquis minus probabilem, & minus tutam poteſt ſequi. Prob. In moralibus operationibus non eſt neceſſe ſequi, quod optimum eſt, ſed ſufficit ſequi, quod bonum ac tutum; at, quod opinio probabilis tradit, id bonum ac tutum eſt: Ergo. Probatur major (cum minor certa ex dictis) tum quia alioquin conſilium non differret a præcepto, tum quia nimis gravis obligatio incumberet homini operanti, ſi ſcilicet quiſquam examinare deberet, utra duarum propoſitionum probabilior eſſet.

8 Sed objicies, quod *in dubiis tutior via eligenda*, juxta c. juvenis de ſponſalibus &c. ſi quis autem di. 7. de pœnit. *Tene certum, & dimitte incertum*? Reſp. Regulam illam potius conſilium, quam præceptum continere. Secundo, id locum habet in dubio practice practico, ubi, niſi ſequar tutiorem partem, committo me periculo peccati, quod non habet locum in dubio abſtracto.

Nota. Ad hanc aſſertionem pertinet reg. 31. in 6. *Qui certus eſt, certiorari non debet*.

NB. Certitudinem conſcientiæ non eſſe ſpeculativam ex principiis intrinſecis rei petitam, ſed eſſe practicam, ex practicis, & rei extrinſecis principiis deſumptam. V. C. Sententiæ Doctorum probabiliter docenti, aliquid eſſe licitum agere, poſſum me in praxi conformare.

9 Coroll. 1. Doctor alteri conſulenti conſilium dare poteſt non ſolum ex propria, ſed etiam ex oppoſita probabili aliorum ſententia, ſi hæc illi favorabilior ſit.

10 Coroll. 2. Si pœnitens in praxi bona fide ſequatur Sententiam tutam, & probabilem, Confeſſarius vero eandem ſpeculative improbabilem cenſeat, tenetur tamen abſolvere, quia Confeſſarius non poteſt negare abſolutionem bene diſpoſito, & nullum peccati obicem ponenti. Nec obſtat, ſi dicas, Confeſſarium eſſe Superiorem pœnitentis; non enim eſt Superior ſimpliciter, neque jus habet præcipiendi in omnibus, ſed ſolum in ordine ad peccata, quæ ad tribunal pœnitentiæ adferuntur (c).

„ (c) Poteſt tamen in eo caſu Confeſſarius, ſi non eſt a jure obligatus auſcultare Confeſſiones illius pœnitentis, recuſare deinceps auſcultare ejus confeſſiones, data tamen pro ea confeſſione abſolutione.

11 Coroll. 3. Superiori præcipienti ſecundum opinionem probabilem ſubditus tenetur obedire etiam contra propriam magis tutam, & probabilem. Si enim ſubditus aliquid licite agere poteſt, præcipiente Superiore etiam debet.

12 *Deinde*: In dubio inter Superiorem, & ſubditum præſumptio eſt pro Superiore. Arg. c. quid culpatur 23. q. 1.

Et licet ſubditus dubitet, utrum Superior juſte præcipiat, tamen tenetur obedire, niſi grave damnum timeatur.

§. III.

De Dubio juris mere ſpeculativo.

13 REgula illa, quod liceat quamvis probabilem Sententiam ſequi, accommodanda non eſt ad quæſtiones mere ſpeculativas, qualia eſt de valore Baptiſmi. V. C. ſi miniſtretur in materia, vel forma dubia, & incerta, nam licet in ſcholis probabiliter doceatur, tamen, cum ſit mere ſpeculativa, nihil dictat de operando, & in Sententia dubia periculum eſt, ne invalide Sacramentum adminiſtretur cum magna irreverentia.

Excipiatur tamen caſus neceſſitatis, in quo recte adminiſtratur Sacramentum, ſi ſit ex neceſſariis, cum dubio valoris, ſaltem ſub conditione. Ita enim V. C. proles baptizatur, exerta ex utero ſola manu, ſi periculum in mora ſit; cum enim ratio dictet, ex duobus incommodis minus eligendum, in tali caſu ceſſat periculum irreverentiæ formalis.

14 Non tamen requiritur in quæſtionibus de valore Sacramenti exacta certitudo, ſed ſufficit magna probabilitas, quomodo ajunt Doctores, licitum eſſe, Sacramentum pœnitentiæ accipere cum ſola attritione etiam cognita, conformando ſe probabiliſſimæ Sententiæ, quod talis dolor in Sacram. ſufficiat, quia oppoſita Sententia negans attritionem ſufficientem valde improbabilis eſt: quia ſequeretur, hominem nunquam juſtificari per ipſam ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, cum jam ante per contritionem eum juſtificatum eſſe oporteret, quod tanquam improbabile communiter jam rejicitur (a).

„ (a) Maxima eſt inter doctos controverſia, utrum „ pura attritio concepta ex metu gehennæ, & pœnarum in Sacramento Pœnitentiæ juſtificet; ſed „ in praxi poteſt Confeſſarius pœnitentem ita attritum abſolvere, alias male egiſſet Benedictus XIV. „ dum voluit, ne Epiſcopi in Synodis Diœceſanis „ quidquam ea de re ſtatuerent. Vide illum de „ Synod. Diœceſ. lib. VIII. cap. 13.

De Medico, & Chirurgo.

15 MEdicus in curando infirmum ſequi debet Sententias certas, & ſecuras, relictis incertis, ac dubiis. Ratio: Quia Medici officium, & lex charitatis ita poſtulat, ut adhibeantur remedia, quæ ad propoſitum ſanitatis finem magis idonea ſint, id eſt, profutura, non obfutura judicantur.

Quod ſi nulla, niſi dubia, & periculoſa medicamenta ſuppetant, & Medicus intelligat, certo moriturum infirmum, niſi medicamentum adhibeatur, non carens quidem periculo accelerandæ mortis, junctum tamen cum probabili ſpe conferendæ ſanitatis, adhibere poterit. Adrian. ex Galeno.

De Judice in cauſa dubia.

16 JUdex debet ſententiam ferre, quæ inſpectis allegationibus, & probationibus probabilior, jurique conformior eſt. 1. Quia Judicis officium eſt, partibus litigantibus ſententiam dicere ſecundum merita cauſæ; eſt autem per ſe notum, eam litigantium partem, quæ cauſam ſuam in judicio ſecundum leges, & rationes probabilius defendit, potiore jure mereri: Ergo.

Nota. Judicem non ſecundum benevolentiam judicare debere juxta regulam 12. in 6. *In judicio non eſt acceptio perſonarum habenda.*

Quod ſi cauſæ, & rationes hominum litigantium æquales ſint, tunc Judex ablegare poteſt eam ad ſuperiorem, vel arbitros partium conſenſu ſtatuere, vel compoſitionem ſuadere, vel uni dimidium, alteri alterum dimidium juris, aut rei, de qua lis eſt, adjudicare.

Probabilior vero cauſa cenſeri debet illa. 1. cui lex en loco recepta aſſiſtit. Nam *Judex in mandatis habet, ut ſecundum leges judicet*. l. nemo. C. de ſentent. Adde, Judicem defectum ſcientiæ Advocatorum & litigatorum, ſupplere poſſe, ac proferre, quod ſcit, legibus, ac juri publico convenire, juxta Abb. in c. Raynutius, num. 11. de teſtam. ubi ait. *Ubicunque aliquod jus ex deductis in judicium competit parti, licet pars ignoret, poteſt & debet Judex ex officio ſupplere, cum ipſi notorium ſit*. Quæ ad facta pertinent, illa ex notitia proferre debet, quæ ex actis, & inſtrumentis accepit.

2 Quam loci conſuetudo tuetur, juxta l. 1. C. quæ ſit longa conſuetudo. Nam in dubio *Optima eſt legum interpres conſuetudo*, leg. ſi de interp. ff. de legib. 3. Quam Doctores eo cauſarum genere bene periti communiter ſequuntur. 4. Quam firmiorum rationum momenta ſtabiliunt. 5. Si cætera paria ſunt, benigniora proferri debent, juxta reg. 56. ff. *quod promiſſori favet, ut is in caſu dubio minus adſtringatur*. Item, quod fidei, & Religioni, atque animæ ſaluti conducit: nam tales cauſæ quam maxime favorabiles eſſe ſolent; *ſumma enim ratio eſt, quæ pro Religione facit*, l. ſunt perſonæ, ff. de Religioſ. *Præterea cum partium jura obſcura ſunt, reo potius favendum eſt quam actori*, reg. 11. in 6. Quare, actore non demonſtrante, reus abſolvi debet, non quidem pronunciando, ipſum innocentem eſſe, ſed crimen de eo demonſtratum non fuiſſe.

De Advocato.

17 NOta. Hæc, quæ de Judice dicta, de Advocato dici non poſſunt, quia Advocati officium non eſt definire, ſeu jus dicere inter partes contendentes, ſed parti uni litigantium aſſiſtere, conſequenter, ſi Advocatus cauſam clientuli non manifeſte iniquam, ſed probabilem judicet, licite ejus cauſam ſuſcipit, etſi cauſam adverſariam probabiliorem, & facilius obtinendam arbitretur. Nam, quotieſcunque cauſa dubia, ſeu controverſa eſt, permittitur parti litem cum adverſario conteſtari, atque propoſitis juribus, ac rationibus ſuis Judicis dirimentis ſententiam poſtulare. *Poteſt* autem *quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum*, reg. 68. in 6. Nam ideo jura Advocatum permittunt, ut ſit vicarius partis litigantis.

18 Cæterum Advocatus, cauſam dubiam ſuſcipiens, debet 1. inſpicere diligenter cauſæ æquitatem, & ſi injuſtam comperiat, non ſuſcipiat patrocinium, alioquin tanquam concauſa ad compenſationem damni parti læſæ obligatus erit. 2. Ut ſincere aperiat clienti, quantam probabilitatem, & ſpem victoriæ obtinendæ habeat, alias, ſi ſpe inani, & ſumptibus fruſtraneis clientem involvat, ad compenſationem damni obligatur. 3. Ut paratus ſit abſiſtere, & clienti ſignificare, quamprimum in progreſſu litis iniquitatem deprehenderit.

19 His adde 1. Si bona fide & probabili ignorantia ductus Advocatus cauſæ patrocinium ſuſcepit, & poſtea ex nova cauſa, V. C. propter inſtrumentum repertum, vel clientuli confeſſionem cauſæ iniquitatem deprehendit, ſalarium nihilominus peti poteſt; ſecus, ſi ob imperitiam cauſæ iniquitatem non cognovit.

Adde 2. Quamvis abſolute loquendo talis deprehendens iniquitatem cauſæ, quam defendendam ſuſcepit, poſſit ea derelicta parti adverſæ operam præſtare, dummodo ſecreta, quæ cum expreſſo, vel tacito reticendi pacto accepit, non aperiat, tamen plerumque id ſcandalo non caret, ideoque diſſuadendum, nec a Magiſtratu permittendum.

20 Adde 3. Quod peccet Advocatus, ſicut & Judex, vel Confeſſarii, ſi intellecto, quod pars una litigantium cauſam iniquam habeat, auctores ſunt tranſactionis faciendæ, cum alterius partis damno, quandoquidem tranſactio ſolum in cauſa dubia intervenire debet.

De Jure dubio Proprietatis.

21 SI bonæ fidei poſſeſſori ſuperveniat dubium, num res ſua ſit, & poſt diligentem veritatis inquiſitionem nihil certi cognoſcere poſſit, licite eam retinet, imo & abſumit, & qui tali poſſeſſori in dubio rem aufert, peccat, ac reſtituere debet.

Sed licet poſtea alienum fuiſſe demonſtretur, non amplius tamen obligatur, quam inde locupletior factus. Prob. Aſſertio; *nam in pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet*, reg. 170. ff. ſive in

pari

pari delicto , vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis . reg. 65. in 6.

Quod ſi bonæ fidei poſſeſſor ſpeculative probabilius judicet , rem alterius eſſe , dum tamen moralem certitudinem non habet , ad nullam reſtitutionem obligatur . Nam non tenetur aliquis jure poſſeſſionis ſuæ ſeipſum privare ante omnem Judicis ſententiam , niſi conſtet , rem ad alterum pertinere . Ut Sanctus Auguſtinus ait : Bonæ fidei poſ„ ſeſſor rectiſſime dicitur , quamdiu ſe poſſideri „ ignorat alienum : cum vero ſciverit , nec ab alie„ na poſſeſſione receſſerit , tunc malæ fidei poſſeſ„ ſor perhibebitur . Dum vero partium jura obſcura ſunt , ordinarie loquendo , eſt præſumptio pro poſſeſſore .

22 Secundo , Qui ab initio dubius fuit , & ideo non bona fide poſſeſſionem rei nactus , debet eam reſtituere , ſaltem ſecundum proportionem dubii juris , quod alter in illa ſe habere videtur . Qui enim rem aliquam accipit , dubitans , utrum accipiendi jus habeat , is malæ fidei poſſeſſor eſt : Igitur durante hoc dubio poſſeſſio illi ſuffragari non debet .

De Dubio valoris Matrimonii .

23 DUbitans de matrimonii contrahendi valore (quia V. C. certum nuntium de morte conjugis non accepit) abſtinere cogitur ob ſavorem Sacramenti , ne invalide adminiſtretur , & ob hoc principium : *Mala fide contractum iniri , poſſeſſionemque inchoari ab eo , qui ab initio dubitat , num contrahendi , poſſeſſionemque capiendi jus habeat* . Quare , qui ita mala fide contraxit , durante dubio reddere , ſed non petere debitum poteſt .

24 Quod ſi vero poſt matrimonium bona fide contractum ſuperveniat dubium de illius valore , licite poteſt petere debitum . Nam dubium ſuperveniens bonæ fidei poſſeſſori obeſſe non debet .

De Jure belli in cauſa dubia .

25 EXorto inter Principes dubio de Jure proprietatis , potior eſt cauſa poſſeſſoris bonæ fidei . Sin longe probabilius judicetur , ad alterum rem pertinere , tunc poſſeſſor in tranſactionem conſentire debet ; alioquin bellum contra eum geri poteſt , ſi partes contendentes Judicem ſuperiorem non habent . Quod ſi vero poſſeſſor dubius ſuperiorem Judicem habeat , tunc , antequam condemnetur , nihil reſtituere tenetur , dummodo actor impeditus non ſit , quo minus , ſi velit , judicio contendere poſſe , poſſeſſor etiam juſtæ ſententiæ ſuperioris ſui ſtare paratus ſit .

26 Si neuter contendentium cum bona fide poſſideat , tunc unus alterum mutuo conſenſu ad tranſactionem cogere poteſt , ut dividantur omnia proportione dubii juris , quod cuique competere videtur , Quod ſi juſte huic tranſactioni , & petitioni alter ſatisfacere recuſet , jam injuſtus eſſe incipit , ideoque bello peti poteſt .

27 Per accidens , videlicet ob ignorantiam , fieri poteſt , ut bellum ex utraque parte formaliter juſtum ſit , ut ſi partes poſt exactam cauſæ diſcuſſionem judicio diſcrepent , & una quidem arbitretur , certo ſibi rem debitam eſſe , altera vero ſibi . Quo caſu alteram quidem partem neceſſe eſt decipi : Si tamen error invincibilis ſit , & non ex pravo affectu ortus , ſic fieri poteſt , ut bellum utrobique juſtum ſit .

28 Qui in aliquo regno ſubditi ſunt , ſi de aliqua re contendant , debent ſtare ſententiæ Regis , vel provinciæ Regni , ideoque inter tales ordinarie bellum geri non poteſt .

§. IV.

De dubio, & quæſtione Facti .

29 DUbium Facti V. C. cum quæritur , quis ſit 24. annorum , potius ſpeculativum eſt , quam practicum , quia per eam quæſtionem directe non quæritur , utrum operatio licita ? V. C. Tametſi probabile , quod aliquis 24. annorum , non tamen ſequitur , quod liceat ſtatim illi Presbyteratum accipere , ſed ejuſmodi quæſtiones circa factum , aut qualitatem facti ex principiis reſolvi debent.

30 NB. *Factum in dubio ordinarie* (in rebus odioſis) *non præſumitur , ſed demonſtrari debet* l. in bello , §. factæ , ff. de captivis . Cui affine eſt illud l. 2. ff. de probat. *Et incumbit probatio , qui dicit* , ſeu affirmat aliquid factum , *non qui negat* ; intellige , niſi præſumptio potius ſit pro affirmante , factum aliquid fuiſſe . Quo pertinet illud Maſcardi Vol. 2. ff. de probat. *Factum in dubio præſumitur , ſi illud de jure faciendum erat* ; quia majus eſt , ſi exiſtimemus , aliquem munus ſuum recte obiiſſe , atque in eo , quod egit , nihil neceſſarium omiſiſſe , V. C. Si conſtet , alienationem aliquam factam eſſe , in dubio præſumitur , omnem neceſſariam ſolemnitatem adhibitam . Ita , ſi conſtet , hominem voviſſe Deo aliquid , præſumitur , ſufficientem adhibuiſſe deliberationem ; quia id naturæ ineſt , ut homo deliberate agat .

31 NB. In dubio an aliquis votum ediderit , aut homini promiſerit , non debet cenſeri obligatus . Sin vero conſtet , promiſſionem factam , ſed dubitetur , an ei ſatisfactum , ſtat præſumptio pro obligatione . Prior pars probatur ; nam factum in dubio non præſumitur , ſed demonſtrari debet . Et hic etiam locum habet regula : *Nemo ſolvere cogitur , antequam monſtretur eſſe debitor* . Poſterior probatur ; nam executio voti , alteriuſve obligationis eſt aliquid facti , quod in dubio non præſumitur .

Cæterum ſi quis probabilius eſſe arbitretur , adeoque opinetur ſe votum executum fuiſſe , ſe Horas abſolviſſe , immunis eſt ab obligatione ; eo quod in moralibus ſæpe certitudo haberi non poteſt , neque in talibus conſcientias nimis gravare oportet .

32 In dubio non præſumitur aliquem actum V.C. donationis , legati , interveniſſe : Si autem conſtet , actum eſſe , præſumptio eſt pro valore ejus .

33 Qui dubitat , utrum 21. annum ætatis compleverit , non tenetur jejunare .

34 Si dubium eſt , utrum pubes fuerit adoleſcens , cum votum edidit , a patre , vel tutore caſſari poteſt ; nam hæc ætatis mutatio eſt quid facti , quod non præſumitur , donec probetur . Accedit , quod in dubio Superior non ſit ſpoliandus jure ſuo .

35 Dubitans , utrum 25. annorum , debet abſtinere a Presbyterio , partim quia factum in dubio præſumitur , partim ob reverentiam Sacramenti , ne contingat , hominem cum legitimæ ætatis defectu contra ſacros Canones ordinari .

36 Dubitans , an dies jejunnii tranſacta , ſeu noctis medium ſit , non poteſt carnibus veſci . Dubitans vero , utrum ſequens dies jejunii cœpta ſit , pergere poteſt veſcendo , donec certior fiat . Et quod talis non obſtante illo dubio poſtera die licite ſacrificet , aut communicet , non eſt improbabile . Secundo : Quia lex Eccleſiaſtica de jejunio communicantium non videtur tam arcte conſtringere conſcientias in caſu dubio ; ut ſi quis dubitet , an dentibus maſticans deglutiverit , &c. ? Alia vero ratio eſt , ſi dubitetur de eo , quod ad ſubſtantiam Sacramenti pertinens ab Eccleſiæ voluntate non dependet .

37 Qui dubitat , utrum peccatum mortale confeſſus fuerit , debet illud confiteri .

Dubitans , an peccaverit mortaliter , debet confiteri , quia tutior pars eligenda eſt in favorabili , & animæ ſalutari .

38 In dubio , utrum cenſura contracta ſit , benignior pars præferenda eſt . Sin vero conſtet , contractam cenſuram , in dubio non præſumitur , abſolutionem datam eſſe . Ratio prior eſt ; quia (in odioſis) delictum opere conſummatum eſſe , atque exinde pœna conſequens , in dubio præſumi non debent . Hinc reg. 167. ff. *Favorabiliores rei potius , quam actores habentur* . Reg. 15. in 6. *Odia reſtringi , favores convenit ampliari* . Probat. poſterius ex Sanch. & Abb. in Cap. Propoſuit. num. 4. de Cleric. excomm. donec probetur ſublata . Arg. reg. 8. in 6.

39 In dubio Juris nemo cenſetur irregularis , ſed neque in dubio facti , excepta irregularitate ex homicidio injuſto . Prob. prius . Ubi dubitatur de culpa , non eſt deferenda pœna ; *ſatius enim eſt impunitum relinqui facinus nocentis , quam innocentem condemnare* , juxta l. abſentem , ff. de pœnis . Et in

Cap. Is qui. de ſent. excom. in 6. ad crimen incurrendum cequiſitue, ut in Jure expreſſum ſit; cum autem jus dubium ſatis exptеſſum non ſis, ergo in dubio juris non incurritur irregularitas.

Quod attinet dubium commiſſi homicidii, cenſeri debet dubitans in utroque foro irregularis. Eſt communis Sententia, & fundatuc in Conſtitutione Pontificum, qui ob periculum ſpecialis indecentiæ, ſi forſe poſtea innoteſcat, homicidam ad ſacrum Altaria miniſterium acceſſiſſe, in tali dubio abſtinendum eſſe decreverunt. C. Significantis.

Quod attinet alia dubia, V. C. utrum legitime ſit natus? utrum uxor virgo acceſſeris ad maritum? poteſt & Clericus fieri, quia io jure dubia illa non expreſſa.

NB. In dubio nemo condemnandus, in pœnis benignios interpretatio ſacienda.

40 Qui rationabiliter opinatur, quamvis non ſine ſoemidine oppoſiti, ſe hominem non occidiſſe, mortaliter non peccaſſe, aus peccatum confeſſum eſſa, practice ſecurus eſſe poteſt, quia in tali caſo, cum ob humanæ naturæ imbecillisatem majoc certitudo haberi non poteſt, ſatis eſt, ſequi veriſimiliora. Quod ſi vero agatur de valore Saccamenti neceſſarii, majoc neceſſitas requicitur ad hoc, us com cationabili formidine partis oppoſitæ operari liceat.

41 Puec Baptiſmum petens, de quo dubitatur, utrum uſum rationis habeat, baptizari debet, pacentibus reluctantibus infidelibus, ſi periculum in mora ſis: Sed & vice verſa, ſi pacens ralem puerum Baptiſmo offerat, ipſe vero reluctetuc. Quia in dubio inclinandum eſt in favorem fidei, & Religionis; ſed ſub conditione: Si capax es, ego te baptizo.

42 Interdum vero ex diverſis principiis pro utraque quæſtionis pacte rationes peobabiles occurrunt, ut diſcerni non poſſit, quatum majus momentum ſit. V. C. Si in utramque partem æquale cationabile dubium ſit, uteum pecuniarum debitoc illas ſolverit, nec ne? quæſtio eſt, an hoc caſu ad ſolutionem integram teneatur? Quod teneatur, prob. Quia factum in dubio non præſumitur, & creditor actione ſua in dubio privaci non debet. Quod non teneatuc, probatur: Quia æquitas non patitur, us debitor ſine culpa ſua magno periculo ſubjiciatur bis ſolvendi debitum, creditor autem, quia & ipſe, ut ponn, tale dubium non dimittetur, nullo periculo expoſitus ſit (a).

,, (a) Ne quæſtio hæc indeciſa relinquatur dicam quod occurrit. Debitorem teneri ad partem
,, debiti ſolvendam certum eſt; ut um ad totam?
,, Affirmas Sanchez Morali. l. 1. cap. 10. num. 12.
,, Layman vero dicit ſe abſoluturum debitorem qui
,, noluiſſet ſolvere niſi partem.

CAPUT VI.

De Conſcientia ſcrupuloſa.

1 SCrupulus eſt vana apprehenſio, & hinc ortus timor, peccatum alicubi eſſe, ubi non eſt. Oritur ex naturæ infirmisate, puſillanimitate, & melancholia.

2 Remedia contra ſcrupulos: 1. Conſultum eſt ex certa conſcientia contra ſcrupulos operari. 2. Nunquam judicare, ſe conſenſiſſe in peccatum mortale, niſi id certo deprehendas. 3. Ea ſolum confiteatuc, quæ certa cognoveris. 4. Confeſſarium non de quibuſcunque ſcrupulis conſuiat, ſed ſæpe propriis rationibus, ac regulis a Confeſſario præſcriptis utatur. 5. Cum primum animo ſcrupulus exoriatur, peudente aliqua ratione rejiciat. 6. Confeſſiones non repetat, ſed Confeſſario acquieſcat. 7. Quod aliorum bonorum virorum vita, & conſuetudo aliis poſſit eſſe vivendi regula. 8. Noſſe, quod præcepta affirmativa & poſitiva de jejuniis, Horis Canonicis &c. non ſecundum rigorem, ſed ſecundum Epickejam intelligenda ſint.

Sentire de Domino in bonitate, & ſimplicitate cordis. Sap. 1.

TRACTATUS II.

D E

Actibus Humanis voluntariis, & involuntariis.

CAPUT PRIMUM.

De Spontaneo, & Voluntario.

1 AD operationem ſpontaneam requiritor, ut ab intrinſeco principio procedar, & agens agnoſcat, quid agatur. Nam *voluntas non fertur in incognitum*. Hinc Spontaneum definitue, cujus principium eſt in agente, cognoſcente ſingula, id eſt, omnia, ex quibus ſubſtantia actionis, tanquam objecto ſuo, dependet. V. C. Si Titius patrem enſe occidat, neceſſe eſt, ut ſciat, eſſe hominem, eſſe patrem, eſſe enſem, &c. Nam actio parricidii ex natuca verſatur circa patrem.

2 NB. Spontaneo contradictorie opponitur non ſpontaneum, contrarie invitum; quare omne invitum eſt non voluntacium, ſed non vice verſa.

Differt autem invitum a non ſpontaneo, & involuntarium a non voluntario. 1. Subjecto; quia invitum, & ſpontaneum ſolis ſubſtantiis cognoſcentibus tribuitur, non voluntarium autem, & involuntarium proprie ſolis intellectualibus: At vero non ſpontaneum, & non voluntarium maxime ſubſtantiis non cognoſcentibus competunt. 2. Differunt latitudine prædicationis. Omne enim invitum eſt non ſpontaneum, ſicuti & omne involuntarium eſt non voluntarium, ſed non vice verſa: ſiquidem ex contrario recte infertur contradictorium; *Eſt nigrum; Ergo non album*. Non item ex contradictorio contrarium: *Eſt non album? Ergo nigrum*. Confirmatur. Sola ignorantia facit, actionem eſſe non voluntariam; ut ſi hominem occidiſti, invincibiliter ratus, eſſe feram, ſponte homicidium non commiſiſti. Non tamen ſola ignorantia facit, actionem eſſe involuntariam, ſed requiritur etiam repugnantia voluntatis, ut dicaris invitus agere. Quapropter, ſi inimicum, quem occiſum vis, per invincibilem errorem pro fera occidas, homicidium tibi nec voluntarium erit, nec involuntarium.

CAPUT II.

De Libero.

1 LIbera actio eſt, quæ poſt intentionem finis, & deliberationem rationis electione eſt.

Intentio eſt motus rationalis appetitus in finem, per media aſſequendum, cujuſmodi actio ſoli homini competit; nam ſolus ipſe in bono cognito percipit ordinem, ac proportionem ad media, in qua proportione formalis ratio finis conſiſtit. Bruta, quia carent intellectu, materialiter ſolum cognoſcunt bonum ſuum, & finem.

Finis eſt, qui propter ſe appetitur, & cujus gratia cætera velut media appetuntur.

2 Deliberatio rationis oritur ex indifferentia rerum, intellectui in hac vita propoſitarum, quæ indifferentia in eo conſiſtit, quod nullum particulare objectum homini in hac vita appareat omni ex parte bonum, atque conveniens, hic & nunc neceſſario appetendum, ſi felix eſſe velit; nam in objectis virtutum V. C. reperit moleſtiam, in objectis vitiorum turpitudinem. Quamobrem humana ratio confert hinc apparentes rationes convenientiæ, illinc oppoſitas rationes inconvenientiæ, & ſic deliberas, ac denique concludis, ſive judicat; diciturque talis proceſſus intellectus deliberatio, & conſilium, quod in brutis non reperitur, ſed ſolum neceſſarios impulſus, ſive determinatio potentiæ ad proſequendum delectabile, & fugiendum moleſtum.

3 Voluntas libere eligit, vel reſpuit id, quod intellectus facta conſultatione judicavit.

NB. Quamdiu intellectus unum ex propoſitis melius aptiuſque ad finem intentum judicat, voluntas

non

non poteſt eo ipſo oppoſitum eligere. Eſſet enim talis electio ſine rationis judicio; quod fieri nequit.

4 Duplex eſt libertas. I. Secundum exercitium, eſtque poteſtas, ſeu indifferentia ad agendum, & non agendum. Qualem libertatem homo in hac vita circa omnia objecta habet; ſiquidem nullum objectum eſt, cujus proſecutio adeo neceſſaria videri debet ad obtinendam felicitatem, ut omiſſio actus circa idem objectum non etiam aliquam rationem boni habere poſſit. Quod attinet activam vitam, Beati neceſſario amant Deum, ideo, quia nulla ratio ſe offerre poteſt, cur Deus clare viſus, & voluntati tanquam ſummum bonum indeſinenter propoſitus non ametur. 2. Libertas ſecundum ſpecificationem, eſtque poteſtas, ſive indifferentia, tum hanc, tum contrariam actionem circa idem objectum exercendi, V. C. circa fidei propoſitionem aſſenſum, ac diſſenſum, circa Deum amorem, & odium. Cujuſmodi libertatem homo in hac vita circa omnia bona particularia habet; non item circa bonum & malum in communi. *Prius prob.* Quia nullum eſt particulare objectum, quod intellectui in hac vita adeo bonum appareat, ut non etiam in eo reperire poſſit aliquam rationem malitiæ. Siquidem optimum Deum apprehendere poteſt ut punitorem ſui, eaque ratione ipſum odiſſe. Neque ullum objectum adeo malum apparet, ut non habeat rationem boni; nam omne malum fundatur in aliquo ente, quod natura ſua bonum eſt: Sic mors propria, quia a majori malo liberat, per accidens bona judicari poteſt. Poſterior prob. Adæquatum objectum voluntatis volentis eſt bonum, nolentis eſt malum; atqui in bonitate, ſeu felicitate univerſim, ſeu abſtracte conſiderata non reperitur aliqua ratio mali, & econtra: Ergo voluntas odiſſe non poteſt felicitatem, neque amare miſeriam in communi.

5 Libero contradictorie opponitur non liberum, contrarie autem neceſſarium.

NB. Sicut duplex eſt neceſſitas 1. Præcipientis legis, ſeu prohibentis, quæ eſt neceſſitas ex hypotheſi, ſi reatum, ac pœnam declinare velis. 2. Neceſſitas naturæ. Sic homo ſumpto cibo non poteſt non nutriri. Ita & duplex libertas. 1. Ab obligatione legis. Sic libera opera dicuntur, quæ non cadunt ſub præceptum, V. C. cœlibatus. 2. Libertas a neceſſitate naturæ. Sic omnia ea libera dicuntur, quæ ex deliberatione rationis, & electione voluntatis fiunt, alioque nomine vocantur actiones morales, quia pertinent ad mores, quibus laudem, vel vituperationem meremur.

6 Sola voluntas libera eſt formaliter a neceſſitate naturæ, intellectus autem eſt radix libertatis.

7 Illæ actiones hominis propriæ dicuntur, quæ propter finem ex deliberatione rationis fiunt, reliquæ, quæ ex neceſſitate, naturales, V. C. Dormire.

8 Actus humani partim ſunt eliciti a voluntate (V. C. quæ a libera voluntate immediate eliciuntur) quorum alii circa finem verſantur, & ſunt tres. Simplex voluntas ſeu complacentia boni, intentio boni acquirendi, & fruitio, ſeu gaudium in bono acquiſito. Alii vero verſantur circa media, ſcilicet conſenſus, electio, & uſus; partim ſunt imperati, qui ſunt actus aliarum potentiarum, videlicet intellectus, appetitus ſenſitivi, & externorum membrorum, quæ voluntatis motionem ſuſcipere ſolent. Adde: Ipſam voluntatem ſibi ipſi imperare poſſe. Sic V. C. charitas, vel pœnitentia imperat actus aliarum virtutum, quando voluntas ex motivo unius virtutis elicit actum alterius virtutis, V. C. ex amore Dei pauperis miſeretur.

9 Coroll. 1. Intellectus per ſe, & ſecluſo actu voluntatis non eſt capax peccati, & meriti, ſimiliter nec appetitus ſenſitivus, nam ad peccandum, & ad merendum requiritur libertas a neceſſitate naturæ; atqui intellectus per ſe non eſt liber a neceſſitate naturæ: Ergo.

10 Coroll. 2. Primus actus intellectus in quovis negotio non eſt proprie humanus, ſeu moralis; ſed naturalis, ideoque peccati, meritique incapax. Nam libertas non eſt ſine actu voluntatis: Sed primus actus intellectus, ſeu prima cogitatio in quovis negotio eſt ſine omni actu voluntatis; cum enim voluntas non feratur in incognitum, & conſequenter omnem actum voluntatis præcedat actus intellectus, ne in infinitum abeamus, neceſſe eſt fateri, aliquem eſſe actum intellectus, qui volitus non ſit, ideoque nec liber, aut moralis: Ad ejuſmodi autem primam cogitationem homo a Deo immediate poteſt moveri; ordinarie tamen per ſenſus exteriores, & per imaginationem naturaliter concitatam.

11 Coroll. 3. Actus intellectus, & actus voluntatis ſunt inter ſe partim priores, partim poſteriores. Primus enim omnium eſt apprehenſio finis, ſeu actus intellectus proponentis objectum voluntati ut bonum hominis: Sequitur amor, & intentio voluntatis: Exinde movetur intellectus ad inquirendum media, & conſultandum, ac denique judicandum, quodnam conveniens ad finem obtinendum: Succedit his liber conſenſus voluntatis amplectentis medium: Poſt conſenſum in tempore executionis faciendæ intellectus practice judicat, medium voluntate approbatum membris exterioribus exequendum eſſe, qui actus imperium dici ſolet, procedens elicitive ab intellectu ex electione voluntatis, cum ſit intimatio quædam facta inferiori membro de executione voluntatis. Denique cum hoc ipſo practico judicio, ſeu imperio intellectus conſentiens voluntas reipſa movet, & applicat potentiam ad executionem, quæ applicatio uſus appellatur.

12 Coroll. 4. Licet intellectus in actibus ſuis per ſe liber non ſit, multum tamen pendet a libera motione voluntatis, tum, quia voluntas intellectum applicat ad hoc, vel aliud objectum; tum etiam propter ſympathiam, quæ eſt inter voluntatem, & intellectum, ut, ad quod objectum affectus voluntatis inclinatur, id etiam melius, magiſque appetendum intellectui appareat.

CAPUT III.

Quotuplex ſit voluntarium, ſeu liberum?

1 VOluntarium ſubſtantiæ intellectualis vel eſt neceſſarium, vel liberum. Stricte, quomodo Beati in cœlo neceſſario amant Deum, & infantes, & amentes, & ebrii voluntate ſua neceſſario feruntur in objectum ſub ratione boni propoſitum. Voluntarium liberum dividitur 1. in elicitum, quod eſt ipſe actus voluntatis cum rationis deliberatione elicitus. 2. in imperatum, id eſt, actus intellectus, & aliarum potentiarum, quæ voluntatis motioni parent.

2 Secundo dividitur in id, quod eſt voluntarium voluntate propria, & quod eſt voluntarium voluntate aliena. Hoc poſteriori modo voluntas patris cenſetur voluntas filii impuberis, tutoris pupilli, Prælati Religioſi, Adami poſterorum.

3 Tertio dividitur in voluntarium expreſſum; (quod verbis, aut ſignis ex inſtituto ſignificatur) & tacitum (quod ſine verbis, facto, aut omiſſione facti). Unde ex circumſtantiis conſenſus voluntatis colligi poteſt. Huc illud Reg. 43. in 6. *Qui tacet, conſentire videtur*. Quod verum eſt, ſi ex conjecturis conſenſus adjuvetur; ſicut declarat Reg. 44. in 6. *Qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur*.

NB. Tacens conſentire videtur, ſi agatur de ejus favore, & commodo, non item, ſi de ejus incommodo. V. C. Si aliquis tibi promittat, aut donet, taces, nec contradicis, cenſeris acceptare. Item, ſi aliquis pro te præſente, & non contradicente fidejubeat, cenſeris ratum habere, juxta illud Bartholi, l. Si remunerandi, §. Si paſſus. ff. Mandati. *Qui patitur aliquid fieri, quod ad ſui commodum ſpectat, mandari cenſetur*. Contra vero ſi quis rem ſibi ab altero donari, vel puellam ad matrimonium contrahendum obligare cupiat, illa vero taceat, non cenſetur hoc ipſo conſenſum præbere, quia agitur de ejus obligatione; ſecus, ſi nutu, vel accepto annulo ſignificet.

Secundo. Tacens conſentire videtur, ſi conſentire nolens negare, vel contradicere deberet; non item, ſi contradicere, aut reſpondere non teneatur.

Coroll. Si reus a Judice legitime interrogatus reſpondere ad objecta taceat, fateri præſumitur; item, ſedens in Capitulo, ſi iniquæ Conſtitutioni non reclamet, cum tamen utiliter poteſt, conſen-

tire cenſetur. Quod verum eſt in ordine ad incurrendum peccatum, & pœnam; non item, quod atsinet valorem electionis, quia iu re gravi, & communitasi præjudicante taciturnitas non debet haberi pro conſenſu.

3. Scientia, & patientia Prælati conſenſus æſtimatur, ſi contradicendo abſque ſcandalo, alteriuſve mali periculo impedire poſſit; non ltem, ſi ſacile impedire non poſſit. V. C. Si prælatus, habens poteſtatem diſpenſandi, ſciat ſubditum ſuſpenſum, vel irregularem (præſumentem ex juſta cauſa, Prælatum ſcire, & contentum eſſe) confeſſiones audire, non prohibeat, cenſetur hoc ipſo diſpenſare velle, juxta regulam: *Quod ubi requiritur licentia ad valorem ipſius actus, ſufficit tacita, & præſumpta de ratihabitione præſente, non autem futura.* Sed ubi licentia non requiritur ad valorem actus, ſed tantum ad debitum ordinem, tunc ſufficit probabilis ſpes, & præſumptio ratihabitionis futuræ.

4 4. Dividitur in voluntarium actu, & virtute. Ut vero actio virtute voluntaria dicatur, debet initio fuiſſe libera, & vi motionis illius hucuſque durare, & operantem neceſſe eſt permanere in ea animi diſpoſitione, ſecundum quam operatio ejus ſub arbitrii poteſtatem cadere poteſt. Nam ſi ſacerdos V. C. domo egreſſus Sacramenti conferendi gratia poſtea in ſomnum, aus ebrietatem incidat, & iu ea diſpoſitione formam verborum proferat, non erit talis operatio virtute voluntaria, cum moralis actio non ſit. Loquor de actione, non de paſſione: Nam in ſuſcipiente (ſicut in adminiſtrante) non requiritur voluntas permanens actu, ſed virtute, ſive in effectu morali; ſufficit enim, ſi anteceſſerit, & contrario actu nunquam revocata ſit, tunc enim ſecundum benignam interpretationem permanere cenſetur. Quare dormiens V. C. vel phreneticus valide baptizatur, ſi ante Baptiſmum deſideravit; non item valide baptizat.

5 5. Dividitur id, quod directe, ac per ſe voluntarium eſt, & quod indirecte, ſive in alio.

Voluntarium indirectum duobus modis accidit:

1. Si homo voluntarie exerceat actionem, ex qua ſcit, vel ſuſpicatur ſecuturum aliquem effectum, etſi eum per ſe, ac directe non intendat, indirecte tamen ipſi voluntarius eſt. V. C. Si ſcias, se in ebrietate rixari, verberare, & tamen te inebries, percuſſio, & homicidium indirecte voluntarium in ebrietate commiſſum cenſebitur, &c. Idem dicendum de pollutione, quam ſcis ſequi, ſi ita jaceas, tales cibos comedas.

Circa hanc doctrinam 3. advertenda ſunt: I. Ut effectus ex ea operatione, ut cauſa, ſecutus voluntarius cenſeatur, neceſſe eſſe, operantem advertiſſe periculum ſecuturi effectus; nam ſi nullam cogitationem de effectu ſuſcepit, nullo modo voluntarius cenſebitur. II. Aliquando accidit, ut effectus inordinatus ex libera actione naturaliter ſecuturus, ſi præviſus fuerit, voluntarius operanti cenſeatur, ſed ad culpam ei non imputetur, quamvis imputetur, ſi ejuſmodi effectum voluntas directe intenderet. V. C. Si intelligas ex honeſta operatione, quam exercere utile, aut neceſſarium eſt, delectationem carnalem in appetitu, pollusionem in ſomnis ſecuturam, ea tibi ad peccatum non imputatur, ſed nihilominus indirecte voluntaria eſt; quia, qui cauſam vult, e qua effectum naturaliter, ac neceſſario ſecuturum non ignorat, is indirecte, & per accidens vult etiam effectum, quatumvis per ſe non intendat. III. Cum homicidium in ebrietate, pollutio in ſomnis, non ſit actio voluntaria in ſe, ſed ſolum in ſua cauſa libere volita, ex qua effectus ille poſtea naturaliter provenit, nec amplius ſub arbitrii poteſtatem cadit, ſequitur, homicidium, & pollutionem in ſomnis ſecundum ſe non eſſe peccatum, ſed interdum antecedentis peccati effectum; cum ſcilicet præviſo periculo nihilominus quis ſe inebriavit, omiſſio Sacri die feſto propter ebrietatem per ſe non eſt peccatum, ſed effectus præcedentis ſcilicet ebrietatis.

Nota I. Habens conſuetudinem blaſphemandi non ſatisfacit Confeſſario, ſi dicat, ſe trigeſies blaſphemaſſe, ſed debet conſuetudinem inſinuare; nam iſte admonendus, quod teneatur ſub mortali ſe corrigere. Prob. Qui cauſam futuri pravi eventus, a ſe voluntarie poſiti, non tollit, cum poſſit, is continuo peccat peccato omiſſionis; ſicuti qui accendit ignem, ex quo oriturum incendium prævidet, niſi extinguat: Sed mala conſuetudo blaſphemandi, ſeu pejerandi, collocat hominem in periculum falſo jurandi; Ergo.

Nota II. Poſſe impedire effectum, & non velle, non ſufficere, ut idcirco effectus indirecte voluntarius cenſeatur, aut alicui tanquam cauſæ morali imputetur, ſed debet etiam eſſe homo obligatus impedire effectum, quem poteſt, & non vult impedire.

Regula in praxi obſervanda.

I. Solent aliquando Confeſſarii anxii eſſe propter effectum pravum, quem putant derivare ex aliqua operatione ſui Pœnitentis, ac exinde illum obligant ad illam omittendam. Si ex. gr. audiant Pœnitentes pati nocturnas pollutiones, eaſque derivari credant ex ſerotina comeſtione, illos inquietare incipiunt quoad cibum, & potum, vel illas culpabiles judicant. Videant ergo Confeſſarii, quod ſemper cum cauſa eſt honeſta, non eſt obligatio illam deferendi, quamvis effectus pravus, cui alias non præbent conſenſum, per accidens ſequatur. Potius ſatagant, ut Pœnitentes abſtineant ab omni voluntaria complacentia, ſed non imponant eis obligationem, ad quam non tenentur, ut eveniret, ſi cogerent abſtinere a cibo, & potu non excedentibus eorum neceſſitatem. Quod ſi velint conſulere chriſtianam mortificationem, ac Pœnitentes promptos adinveniant, optimum quidem erit, ſed caveant adſtruere obligationem, ubi non eſt.

II. Dum Pœnitentes ſe accuſant pejeraſſe, blaſphemaſſe, vel verba obſcœna protuliſſe, & addunt in ſui defenſionem, ſe tunc ex ira, ex ebrietate non advertiſſe, ſed potius protuliſſe ex habitu, quam advertenter, non ſtatim credat illos immunes a talibus peccatis. Interroget ergo, an ſciverint ex aliorum teſtimonio ſolitos eſſe in ebrietate verba valde obſcœna proferre? an ex pravo habitu, vel ira ſciverint ſolitos eſſe pejerare, blaſphemare &c. Si reſpondeant ſe id ſcire, iterum interroget, an fecerint diligentiam, ut caverent ab ebrietate, & ad extirpandum pravum habitum, & conſuetudinem pejerandi, blaſphemandi &c. ſe Deo commendando, Sacramentorum frequentia, vel etiam, ſi opus ſit, aliquibus pœnitentiis &c. Adhibitis iſtis diligentiis, ſi poſtea ex prava conſuetudine inadvertenter blaſphement, illis blaſphemia non imputabitur, utpote quia cauſa, ſeu prava conſuetudo non eſt amplius illis voluntaria. Secus ſi illas non adhibeant, nam cum illis cauſa adhuc voluntaria ſit, ac providerint quæ mala ex ea ſequantur, iſta cenſentur illis voluntaria in eadem cauſa. Quod ſi Confeſſarius habeat præ manibus pœnitentem tam rudem, ut non adverterit ſe obligatum eſſe ad adhibendam diligentiam pro extirpanda conſuetudine, & malo habitu, tunc excuſari poſſet, ſi pejeravit &c. ſine ſufficienti advertentia. At pertinebit ad pium confeſſarium ipſum commonefacere de ſua obligatione.

III. Quamvis prædicta, dum cauſa non ſit retractata, imputentur ad culpam quatenus ſunt voluntaria in eadem cauſa, nihilominus advertat Confeſſarius, quod ſi agatur de aliquo peccato, cui annexa ſit cenſura, vel reſervatio, quale eſt in noſtra Diœceſi Blaſphemia, tunc peccatum ſolummodo voluntarium in cauſa, non vero quando committitur, immune eſt a reſervatione. Ratio eſt, quia cum cenſura, & reſervatio odioſa cenſeantur, intelligendum eſt afficere peccata formaliter talia, hoc eſt, quæ talia ſunt, dum committuntur: dum vero quis ex. gr. inadvertenter blaſphemat, non dicitur pronunciare formaliter blaſphemiam ex defectu advertentiæ, quamvis reus ſit malitiæ blaſphemiæ in ſua cauſa, quam non curat removere; *Graſſ. in Prax. l. 1. cap. 10. n. 52. Manſ. Tr. de Caſ. Reſerv. p. 1. q. 2. caſ. 1. n. 22.*

CAPUT IV.

De ignorantia, an, & quomodo voluntarium tollat?

1 IGnorantia 1. dividitur in ignorantiam privationis, quæ eſt carentia ſcientiæ in ſubjecto apto, & in ignorantiam pravæ diſpoſitionis, quæ eſt poſitiva deceptio, & contrarius error veritati, exiſtens V. C. in Judæis, Hæreticis, aliiſque errantibus:

2 2. Eſt ignorantia juris, ut ſi quis ignoret, quod lege, vel conſuetudine eſt conſtitutum, V. C. carnes die Veneris prohibitas eſſe. Et ignorantia facti, ut ſi quis ignoret rem particularem, ex qua actio moralis veluti objecto dependet; ut ſi quis neſciat, carnem eſſe, quam comedit, vel non cogitet, eſſe diem Veneris.

3 3. Dividitur in eam, quæ eſt cauſa operis; ut ſi amicum ex ignorantia occidiſti, putans, eſſe feram, quia facti te pœnites. Et in eam, quæ non eſt cauſa operis, ſed concomitans; ut ſi inimicum, quem maxime a te occiſum cupiebas, pro fera occidiſti, non ob ignorantiam, ſed cum ignorantia, quia tamen occidiſſes; quare nec te facti pœnitet, ſed potius gaudes.

4 4. In Ignorantiam antecedentem, quia omnem voluntatis actum antecedit, ideoque prorſus inculpata, invincibilis dicta, quia adhibita diligente inquiſitione veritatis cognitio acquiri non potuit: Et in ignorantiam conſequentem, quæ aliquo modo

modo voluntaria eſt, ideoque culpabilis vincibilis, quia ſuperari, ac tolli, & oppoſita ſcientia acquiri potuiſſet, ac debuiſſet.

5 Vincibilis ignorantia ſubdividitur in affectatam, cum quis data opera vult ignorare: Et non affectatam, quæ vel craſſa, ſupina, ut ſi ad eam tollendam nullam curam adhibeas; alia non craſſa, quæ non tam facile ſuperari potuit, vel ad quam vincendam diligentia adhibita eſt, ſed non ſufficiens.

NB. Craſſa ignorantia in re magni momenti mortalis.

6 Aſſertio I. Ignorantia invincibilis tam juris, quam facti, omnino a culpa excuſat. Nam ubi non eſt voluntarium, ibi nulla eſt culpa; ſed ignorantia facti reddit actum ſimpliciter involuntarium: Ergo.

NB. Ut opus malum homini ad culpam imputetur, debet actu adverti ſſe ejus malitiam, vel formalem rationem mali.

7 Si operans indiſtincte judicavit, eſſe peccatum, quod reipſa nullum, aut veniale tantum eſt, non eſt præſumendus mortaliter peccaſſe, niſi venerit illi in mentem dubitare, vel ſuſpicari de malitia mortali.

8 Aſſert. II. Ignorantia concomitans invincibilis a culpa excuſat, &c. Prob. Ubi non eſt ſcientia ejus, quod agitur, ibi non eſt voluntarium; ubi autem voluntarium non eſt, ibi nulla culpa eſt: Ergo, qui invincibiliter ignorat, hominem inimicum eſſe, quem occidit, is non vult ea actione homicidium committere.

Nec obſtat, quod homo ita affectus ſit, ut, ſi inimicum adverteret, homicidium vellet. Deus enim non imputat homini peccata, quæ faceret, ſi hoc, vel illud in mentem veniret, ſed divinæ gratiæ adſcribendum eſt, quod id animo non incidat (a).

„ (a) Quanquam vero tunc culpa homicidii non
„ incurritur prava tamen illa animi affectio a culpa
„ non vacat.

9 Aſſert. III. Ignorantia vincibilis non excuſat opus a culpa, quam ſi ſcienter patratum eſſet. Nam objectum malum eatenus culpæ imputatur, quatenus eſt voluntarium; ignorantia autem vincibilis voluntarium non tollit quidem, minuit tamen (excipe ignorantiam affectatam). Ergo etiam culpam non tollit ex toto, ſed ex parte.

10 Ignorantia vincibilis earum rerum, quarum cognitio per ſe in præcepto eſt, eſt peccatum ſpeciale, oppoſitum ei virtuti, quæ in talium rerum cognitione verſatur, V. C. negligentia in cognoſcendis fidei myſteriis ad credendum neceſſariis. Ignorantia autem, ſive cognoſcendi negligentia earum rerum, quarum cognitio non per ſe, ſed per accidens præcipitur, nempe in ordine ad opus, quod præcipitur, non eſt ſpeciale peccatum, ſed accipit ſpeciem ſuam a legis tranſgreſſione, cujus cauſam, vel periculum præbet. V. C. Vincibilis ignorantia, utrum jejunii dies ſit, quo carnem comedis, pertinet ad peccatum intemperantiæ. Vincibilis ignorantia, utrum ſacerdos ſit, quem percutis, ad peccatum ſacrilegii.

11 Ignorantia, & cognoſcendi voluntaria omiſſio unum peccatum faciunt in genere moris, ad eum modum, ſicut actus internus, & externus unum. Ratio eſt: Quia ignorantia, cum in intellectu exiſtat, non eſt peccatum, niſi quatenus volita; non autem volita eſt, niſi quia eam aliquis poſſet, ac deberet tollere, & negligit.

CAPUT V.

De Concupiſcentia, utrum voluntarium tollat, aut minuat?

1 NOta Concupiſcentia eſt paſſio appetitus ſenſitivi, proſequentis bonum delectabile; ut ſunt amor, deſiderium, ſpes, gaudium, ira.

Et talis paſſio dividitur in antecedentem (omnem voluntatis deliberationem, quæ nec meriti, nec demeriti capax) & conſequentem, quæ voluntatis arbitrio excitatur, ut ad promptiorem operationem inſerviat.

2 Aſſertio I. Paſſio conſequens non minuit, ſed potius auget voluntarium, quia demonſtrat intenſionem voluntatis ad actum peccati; ut ſi quis in ſe magnum deſiderium vini excitet, ut eo intemperantius bibere poſſit.

3 Aſſertio II. Paſſio antecedens non facit actum, ad quem impellit, involuntarium, minuit tamen libertatem, imo interdum omnino tollit. Prima pars probatur: Quia involuntarium eſt, quod agitur cum triſtitia; quod vero fit ex amore, id non agitur cum triſtitia; Ergo paſſio concupiſcentiæ non efficit actum involuntarium. Secunda pars probatur: Voluntarium humanum, ſive liberum oritur ex intellectu, proponente objectum cum indifferentia; ſed paſſio concupiſcentiæ facit, ut intellectus magis æſtimet motiva occurrentia pro ea parte, ad quam ſenſitivus appetitus inclinat, idque ob naturalem ſympathiam, ſive conſenſionem, quæ eſt inter potentias ſenſitivas, & rationales, juxta illud: *Quemvis judicare de rebus, ſicuti affectus eſt*. Ergo paſſio minuit voluntarium, per conſequens quoque peccatum, aut virtutis meritum. Tertia pars prob. Libertas voluntatis deſcendit ex poteſtate intellectus, proponentis objectum cum indifferentia; ſed in vehementiſſima paſſione V. C. iræ, triſtitiæ, fieri poteſt, intellectum adeo perturbatum eſſe, ut objectum non proponat cum omnibus circumſtantiis, neque rationibus in utramque partem indifferenter oſtenſis, ſed cum determinatione ad id, ad quod paſſio inclinat, exhibitis ſolum rationibus, quæ in eam partem tendunt: Hoc caſu voluntas non agit libere, ſed naturaliter, ac neceſſario, adeoque non peccat. Confirm. Amentes, & ebrii ideo libere non agunt, quia ſenſus internos perturbatos habent, quæ perturbatio per accidens redundat in intellectum, quippe in hac vita dependentem ab internis ſenſibus; ſed in vehementiſſima paſſione iræ, triſtitiæ, ſenſus interni valde perturbari poſſunt, quæ perturbatio ſimiliter in intellectum redundat; Ergo.

CAPUT VI.

De Coactione, & Metu, utrum involuntarium efficiant?

1 VIs; coactio, & involuntarium differunt. Vis, ſeu violentia (etiam inanimatis competit) & coactio locum habet in actibus imperatis exteriorum membrorum, quæ voluntatis imperium ſuſcipere ſolent. Cum ergo ejuſmodi membra ab extrinſeco moventur contra voluntatis inclinationem, tunc homo violenter patitur; ut videtur in ſtupro violenter illato puellæ.

NB. Motus primo primi ſunt involuntarii, ſed non coacti, quia coactio poſtulat motionem ab extrinſeco agente, & contra inclinationem voluntatis.

2 Metus, juxta Ulpianum, eſt inſtantis, vel futuri periculi cauſa mentis trepidatio, & metu fieri id dicitur, quod quis mali declinandi cauſa facit, alioquin non facturus.

3 Metus alius ab intrinſeco proficiſcitur, ut ſi nauta pecunias metu naufragii abjiciat ultro; alius ab extrinſeca perſona directe incutitur, vel juſte, V. C. ſi Magiſtratus te ſub pœna excommunicationis cogat ad matrimonium; vel injuſte, V. C. ſi quis alicui mortem minetur, niſi filiam ducat: Et hoc matrimonium nullum.

4 Metus ab intrinſeco alius eſt cadens in conſtantem virum, qui etiam gravis, juſtus, probabilis dici ſolet; alius cadens in inconſtantem virum, qui & levis, vanus, & injuſtus dici ſolet.

Nota. Ut metus factum alioquin illicitum excuſet, neceſſe eſt, ut ſit majoris mali, quam ſit illud, quod metus cauſa ſuſcipitur. Secundum quam exceptionem metus etiam mortis cenſetur juſtus, ſi ob eam aliquis etiam in minimum peccatum conſentiat. Nam *qualibet mala potius vir fortis tolerare debet, quam in peccatum conſentire*.

5 Metus gravis mali, puta, mortis intentatæ, ſufficit ad infirmandum actum, eſto, aliquis agendo peccet; ut ſi matrimonium tali metu adactus contrahat, & conſumet.

6 Aſſertio I. Vis, & coactio proprie dicta, ſi membris exterioribus inferatur, tollit omne voluntarium, quia quod fit voluntate repugnante, in id voluntas non conſentit.

7 Aſſertio II. Vis, & coactio improprie dicta, & ſecundum quid, inferens metum alicujus mali, ob quem actio fit, quæ alioquin non fieret, non tollit voluntarium ſimpliciter: facit tamen involuntarium ſecundum quid, adeoque efficit, ut actio ſit mixta ex voluntario & involuntario. Prob. prima pars. Voluntarium eſt, quod conſulto fit ab agente cognoſcente ſingula, circa quæ eſt actio; qui autem metu

mor-

mortis V. C. latroni pecunias dat, is, conſideratis omnibus circumſtantiis, conſulto eligit, tanquam hic & nunc bonum, pecunias dare; Ergo datio eſt voluntaria ſimpliciter loquendo. Poſter. pars prob. Involuntarium eſt, quod fit cum averſione voluntatis; ab eo autem, quod quis metu agit, alioquin non acturus, abhorret voluntas, quatenus illud ſecundum ſe ſpectatur.

Coroll. Quod metu fit, magis voluntarium eſt, quam involuntarium. Eſt enim voluntarium ſimpliciter, involuntarium conditionate, juxta l. Si mulier. ff. de eo, quod metus cauſa: *Si metu coactus adii hereditatem, puto me hæredem effici, quia, quamvis, ſi liberum eſſet, noluiſſem, tamen coactus volui*. Quare Reg. 4. ff. de regulis juris: *Quod coacta voluntas tamen voluntas eſt*. Ideoque, quod dicitur in regula illa: *Velle non creditur, qui obſequitur obſequio parentis, vel domini*. Intelligitur, ad hoc, ut pœna delinquenti minuatur.

8 Contractus, qui fiunt ob metum ab extrinſeco injuſte illatum, ordinarie validi ſunt, licet reſcindi debeant. Probatur ex Inſtit. de except. princ. *Si metu coactus, aut dolo inductus &c. ſtipulanti Titio promiſiſti, quod non debueras promittere, palam eſt, jure civili te obligatum eſſe*, inſpecto juris civilis rigore, ex qua tamen obligatione non oritur actio efficax quoad executionem; quia ſecundum æquitatem elidi poteſt exceptione juxta c. 2. De iis, quæ vi, metuſve cauſa fiunt. *Quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*. Aliqui tamen ſunt contractus, ut matrimonium, & ſponſalia, qui ob gravem, & juſtum metum ipſo jure Eccleſiaſtico irriti ſunt.

NB. Quod ſit cauſa metus ab intrinſeco, vel ſine injuria, omni jure validum, ac firmum eſt, V. C. metu naufragii votum conceptum.

9 Metus gehennæ, ſi ſit cauſa finalis obſervationis legum, malus, & ſervilis eſt, (*a*) quia hoc caſu homo reatum pœnæ timet ſuper omne malum, conſequenter ſuam immunitatem, ac proprium commodum amat ſuper omne bonum; quod divinæ charitati repugnat. At vero bonus eſt timor gehennæ, ſi ſit cauſa tantum impulſiva, & finalis ſecundaria; talis enim timor provenit ex habitu ſpei theologicæ: Quandoquidem virtutis eſt, bonum ſuum proſequi, & oppoſitum ejus refugere.

„ (*a*) Tunc vero timor iſte cauſa finalis cenſe-
„ tur, cum quis ita eſſet animo affectus, ut ſi non eſ-
„ ſet infernus noluiſſet a peccato ſeſe retrahere, aut
„ factum retractare.

CAPUT VII.

Utrum actus morales ſpeciem, & eſſentiam ſuam accipiant ab objecto?

1 MOrale per ſe primo convenit actibus humanis ex deliberatione rationis procedentibus, ſecundum analogiam vero actibus exterois, qui rationis, ac voluntatis imperio ſubduntur; ad eum modum, quo ſanitas primo dicitur bona animalis conſtitutio, ſecundum analogiam vero, & denominationem extrinſecam aliis rebus V. C. cibo tribuitur.

2 Dividitur 1. in bonum morale (honeſtum) quod ſubſtantiæ rationali per ſe conſentaneum, ac decens eſt; adeoque moralis bonitas conſiſtit ratione, ſive ordine convenientiæ cum ſubſtantia rationali libera. 2. in malum morale (inhoneſtum), quod per ſe repugnat, ac dedecet rationalem liberam ſubſtantiam.

3 Actus morales bonitatis, vel malitiæ ſpeciem accipiunt a reali objecto ſuo; conſequenter bonitas, vel malitia in objecto reperitur fundamentaliter, in actione formaliter.

NB. Amare Deum ideo bonum, quia Deus optimus peculiari quadam ratione humanæ voluntati congruit; & opus eleemoſynæ ideo bonum, quia decet hominem, a miſeria proximum ſublevare.

4 Actus alii per ſe, & præciſe ex objecto mali ſunt; ut fornicari, Deum ac proximum odiſſe: Alii vero propter legis poſitivæ prohibitionem; ut feſto die laborare, Miſſam non audire.

5 Actus morales alii interne conſummantur; ut charitas Dei, hæreſis: Alii vero in externam operationem tranſeunt; ut eleemoſynam dare, furari. Externa moralis operatio objective quidem prior eſt actu interno, ſed ut exercita ab actu interno poſterior, tanquam participans bonitatem, vel malitiam ab interno actu.

6 Actus internus, & actus externus in genere moris non faciunt numerum; tamen externus actus in Confeſſione debet explicari, quippe materialiter implens internum, & perficiens.

7 Actus internus voluntatis efficax, ſi opere non completur, quia deeſt operandi facultas, habet quidem omnem ſubſtantialem bonitatem, vel malitiam, (*Nam*, ut ait S. Bernard. *voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit neceſſitas*) ſed non accidentalem, quandoquidem externa executione materialiter perficitur. Sic voluntas martyrii eſſentialem gloriam meretur, ac ſi conſummaretur, ſed non accidentalis gloriæ laureolam.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Obſervet Confeſſarius doctrinam, quæ docet, actum externum per ſe non augere bonitatem, aut malitiam actus interni, poſſe ſolatio afficere eos, qui vel ex ſuperveniente impedimento non poſſunt bonam voluntatem executioni mandare, vel a paupertate impediuntur plura bona opera exercere. Moneat ergo eos, bonam ipſorum voluntatem, dummodo quantum ad ipſos erat, fuerit efficax, itaut ſi non ſuperveniſſet inſuperabile impedimentum mandata fuiſſet executioni, moneat, inquam, eamdem mercedem habituram, ac ſi vere operati fuiſſent. Idem dicet pauperibus, & infirmis &c., qui ex talibus impedimentis a pluribus bonis operibus debent abſtinere. Non utique nego ut plurimum perfectionem eſſe actum internum abſolutum, quo quis potens ſuccurrere proximo ſtatuit efficaciter illi opitulari, quam talis actus conditionatus, ut dum pauper dicit, ſi poſſem, libenter illi opitularer. Ideo autem ſolet primus actus eſſe perfectior, quia dum operans conſiderat rem aliquam, ut ſibi poſſibilem, ſolet majori conatu, & inclinatione in illam tendere, quam ille, qui videt ſibi impoſſibile eſſe aliquid facere, & ſolum feciſſet, ſi potuiſſet. Nihilominus ſi pauper non minori fervore, & deſiderio optet ſuccurrere indigenti, quam dives, qui id poteſt, non minus utique merebitur; ſicut & merebitur plus ſi, quia maxima charitate proſequitur proximos, optaret, dum ipſi poſſibile foret, magis aliis dare, quam dives.

CAPUT VIII.

De humanarum actionum Circumſtantiis in communi.

1 CIrcumſtantiæ ſunt particulares humanarum actionum in genere moris accidentales conditiones. Earum 2. ſunt genera: Quædam accidentaliter tantum aggravantes, vel minuentes (V. C. actionis vehementia, vel remiſſio, mora longa, aut brevis) quædam vero novam ſpeciem afferentes ob ſpecialem, quam gerunt, habitudinem conformitatis, vel difformitatis ad rationalem naturam, V. C. furari in loco ſacro.

2 Circumſtantiæ novam ſpeciem addentes ſubdividuntur. Quædam actioni retinenti propriam ſpeciem ex objecto alteram adjungunt: V. C. Si eleemoſynam des pro pœnitentia, erit hæc actio in duplici ſpecie virtutis, id eſt, miſericordiæ, ac pœnitentiæ. Si furaris in loco ſacro, ſpectabit ad ſpeciem peccati injuſtitiæ, & ſacrilegii. Aliæ circumſtantiæ ſpeciem actionis mutant: V. C. Si eleemoſynam des ob vanam gloriam, mutatur opus miſericordiæ in inanis gloriæ opus. Si reddas debitum in loco ſacro, mutatur opus juſtitiæ in ſacrilegium.

NB. Circumſtantiam V. C. loci ſacri mutare actum de bono in malum non ita intelligitur, quaſi actus ante bonus fuerit, & in ſpecie virtutis, per circumſtantiam vero tranſmutatus in ſpeciem vitii, ſed quod eſſet bonus, & in ſpecie virtutis, niſi prava illa circumſtantia inficeretur.

3 Omnis actio moralis, ac libera in individuo vel bona, vel mala eſt, & nulla indifferens, V. C. feſtucam humo levare, ſi humano modo, ac deliberate fiat, ob finem aliquem neceſſarium fit; quæ relatio ad finem, ſi rationi conformis ſit, puta, ſi feſtucam tollas, ut cubiculi munditiés corporis, atque animæ munditiem tibi conciliet, bona, & honeſta eſt talis actio. Sin autem relatio ad finem rationi conformis non ſit, vel quia ad finem malum refertur, vel feſtucam humo tollis, ſolum ut libertatis exercendæ appetitui ſatisfacias, tunc non minus otioſam (quippe ſine debito deſtitutam) actionem exerces, quam ſi otioſum verbum proferas. Verbum autem otioſum peccatum eſt, juxta illud Chriſti Matth. 12. v. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent*

de eo

de eo rationem in noviſſimo die: Ergo a ſimili actio otioſa peccatum.

CAPUT IX.

De Circumſtantiis in particulari.

1 SEptem Circumſtantias numerat S. Thomas. *Quis quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Circumſtantia *Quis* ſignificat conditionem, ſive qualitatem perſonæ operantis, & actui malo ſæpe novam ſpeciem addit; ut ſi conjugatus fornicetur, & contra temperantiam, & juſtitiam peccat.

Peccata tanto graviora ſunt, quanto ſanctior, aut ſublimior perſona eſt, quæ peccat, ſi cum plena deliberatione agat. Hinc Sapiens c.6. *Potentes potenter tormenta patiuntur.*

Circumſtantia *Quid* ſignificat conditionem, aut qualitatem objecti, circa quod actio verſatur. Sæpe adfert novam ſpeciem, ut ſi accedas ad alienam uxorem, ſi delinquas contra parentes, fratres &c. Si innocentem lædas injurioſe, juxta Zach. 2. *Qui vos tetigerit, tanget pupillam oculi mei.* Eadem circumſtantia interdum actui bono novam ſpeciem addit. V. G. Si pauperi ſacerdoti eleemoſynam largiaris, erit is actus duplicis ſpeciei virtutis, miſericordiæ, & Religionis.

3 Peccata externa in loco ſacro commiſſa continent peccatum irreligioſitatis, plerumque veniale; tunc autem mortale, ſi actus valde turpis ſit (ut contactus impudici in verendis) vel ab Eccleſia ſpecialiter prohibitus ob reverentiam loci ſacri, ut fornicatio, & furtum.

NB. Peccata in templo tunc habent rationem ſacrilegii, cum directe repugnant uſibus illis, ad quos locus ſacer deputatus eſt, alias non.

4 Finis extrinſecus licet reſpectu operantis principale objectum ſit, eſt tamen accidentalis circumſtantia operis, quod ob eum finem exercetur; puta, ſi quis furetur cauſa fornicandi, vel ſi quis jejunet pro pœnitentia.

NB. Pauperi eleemoſynam dare cauſa miſeriæ ſublevandæ eſt finis operis intrinſecus, pro peccatis vero dare eſt finis operis extrinſecus.

5 Septem potiſſimum modis contingit, ut actio ex operantis arbitratu ad finem extrinſecum referatur: 1. Vel actus ex objecto bonus refertur ad finem extrinſecum bonum, ut dare eleemoſynam pro pœnitentia, additque novam ſpeciem bonitatis. 2. Vel actus ex objecto bonus refertur ad finem malum, fitque ſimpliciter malus. 3. Vel actus ex objecto bonus refertur ad finem indifferentem, ut ſi jejunes ſolum ad parcendum ſumptibus; & ille actus indifferens. 4. Vel actus ex objecto indifferens refertur ad finem bonum, ut iter facere religionis cauſa, tribuitque actui unam ſpeciem eſſentialem bonitatis, ſcilicet virtutis religionis. 5. Vel actus ex objecto indifferens refertur ad finem malum, ut ambulare ad fornicandum, tribuitque unicam eſſentialem ſpeciem malitiæ, ſcilicet intemperantiæ. 6. Vel actus ex objecto malus refertur ad finem bonum, ut furari, ut poſſis eleemoſynam dare.

6 Ille actus ſimpliciter malus eſt ſub genere injuſtitiæ. Nam ſpecies quædam furti eſt, ex alieno liberalem eſſe. Ratio petitur ex diſcrimine inter bonum, ac malum morale, quia, ut S. Dionyſ. ait: *Bonum ex integra cauſa eſt, malum ex quovis defectu.* Id eſt: Ut actio moraliter bona exiſtat, neceſſe eſt, ut & objectum, & finis, & omnes circumſtantiæ rectæ rationi conſentanea ſint. V. C. Ut corporis refectio ſit opus virtutis temperantiæ, neceſſe eſt, ut mediocris ſit ſumptio, & debito fine fiat, loco, tempore, & modo. Quod ſi unum horum deſit, V. C. ſi comedas in medio foro, vel templo, &c. erit opus malum.

7 Vel actus ex objecto malus refertur ad finem malum, ut furari fornicandi cauſa tribuit diverſam ſpeciem. Quod ſi vero media ejuſdem ſpeciei conjuncta cum malo fine per ſe eſſe ſolent, tunc unam numero malitiam contrahunt. V. C. Actus impudici, qui per ſe ordinarie referuntur ad fornicationes, ſive tanquam diſpoſitiones præcedant, ſive ſequentes, licet diſtinctæ, tamen cohærentes, cenſentur acceſſoriæ, nec opus eſt confeſſa fornicatione tales circumſtantias, & contactus ſignificare.

Circumſtantia *Quomodo* interdum addit novam ſpeciem; ut videre eſt in ſtupro violento, & in cadavere hominis a te occiſi in fruſtra ſecato.

Huc pertinet, an peccatum commiſſum ex ignorantia, an mera malitia, an metu, ſuaſione, precibus?

Circumſtantia *Quando*, ſumpta pro mora temporis, qua actio durat, bonitatem, vel malitiam ejus accidentaliter tantum auget; ut ſi die Dominico te inebries, &c. non addit novam ſpeciem, niſi fiat ex directa intentione inhonorandi ſacrum tempus.

NB. Locus, tanquam res permanens, eſt conſecrationis, & ſanctitatis moralis capax, non item tempus, ut res fluens.

CAPUT X.

Quænam peccatorum Circumſtantiæ in Confeſſione neceſſario explicandæ ſint?

1 CIrcumſtantiæ omnes mortales, ſpeciem mutantes, vel novam ſpeciem adferentes in Confeſſione ſunt explicandæ; quia ad integritatem pertinet, omnem malitiam mortalem explicare: Ergo etiam circumſtantiæ mutantes ſpeciem.

2 Circumſtantiæ ſolum intra eandem ſpeciem aggravantes non ſunt explicandæ, idque propter difficultatem diſcernendi inter circumſtantias, multum, vel parum aggravantes, & ad vitandos ſcrupulos.

3 Circumſtantia *Quid*, ſive circa quid, ſi attingat quantitatem, ac veluti integritatem objecti ſubſtantialis, neceſſario in Confeſſione explicanda, V. C. quod 10000. furatus ſis, quia pertingis ad notabilem quantitatem objecti formalis, quod eſt majus damnum proximi; & quod inceſtum commiſeris in primo gradu; quod tot homines occidere propoſueris; quia alioquin non tota ſubſtantia peccati mortalis explicaretur. Nam major irreverentia eſt contra matrem, quam conſobrinam &c. & majus damnum, ſi 1000. quam ſi 100. furatus ſis.

4 Circumſtantia relapſus non eſt neceſſario explicanda, quia non mutat ſpeciem (*a*); neque circumſtantia duplicis præcepti, ſi V. C. violaſti jejunium Vigiliæ cadentis in quatuor tempora.

„ (*a*) Circa circumſtantiam relapſus attendenda
„ tamen eſt propoſitio 58. inter damnatas ab
„ Innocentio XI. *Non tenetur pœnitens Confeſſario*
„ *interroganti fateri peccati alicujus conſuetudi-*
„ *nem.*

Neque circumſtantia violati duplicis voti caſtitatis. Puta, ſi Religioſus ſacerdos fornicatus ſit, debet dicere, ſe Religioſum eſſe, ſed non eſt neceſſe explicare circumſtantiam ſacri Ordinis.

NB. Monachus debet in Confeſſione ſignificare, ſe Religioſum, quia graviorem habet obligationem, utpote ſpiritualiter mortuus; ſacerdos autem fornicans ſatisfacit, ſi dicat, ſe contra votum caſtitatis fornicatum, tacito ſacro Ordine: ſiquidem ſacerdotis fornicatio extrinſece tantum aggravatur propter ſanctitatem perſonæ; at in Religioſo etiam intrinſece aggravatur in ratione prævaricationis voti, quod majus, & arctius eſſe conſtat in Religioſo, quam ſacerdote.

5 Circumſtantiæ peccati minuentes eæ tantum explicari debent, quæ peccati malitiam vel omnino tollunt, vel ex mortali faciunt veniale; quia alias decipies graviter Confeſſarium.

Regula in praxi obſervanda.

I. Cum actus deſumat ſuam bonitatem, & malitiam ab objecto, aliiſque circumſtantiis, & ab his omnibus in tantum derivetur in actum bonitas, vel malitia, quatenus cognoſcuntur; hinc animadvertere debet Confeſſarius, alio modo procedendum cum homine rudi, & indocto, alio vero cum homine non rudi. Primum non eſt neceſſe, ordinarie loquendo, defatigare multis interrogationibus; ſed tantum iis, quæ aptari poſſunt ſuæ capacitati; nam homo rudis non ſolet cognoſcere bonitatem, vel malitiam niſi rudi modo. Demus ex. gr. aliquem rem alienam ab alio furatam inſimul cum eo diſtra-

ſtraxiſſe, non tam facile animadvertet malitiam, cum ipſe non fuerit furatus. Si peccaverit cum conſanguinea, vel affine, non tam ſibi proxima, forte ignoravit malitiam inceſtus. Si ſe expoſuit gravi periculo peccandi, dum poſtea non peccaverit, non tam facile cognoſcat ſe peccaviſſe ex hoc ſolum, quod ſe expoſuerit tali periculo. Plura dabit praxis ſolerti Confeſſario, quæ videbit non conſiderari a rudibus, quando in aliis ſunt manifeſta peccata.

II. Conſideret Confeſſarius multoties neceſſe eſſe interrogare pœnitentem de fine intento propter novam malitiam, quæ actui peccaminoſo ſuperadditur. Accuſabit ſe fortaſſe aliquis juvenis ſurripuiſſe domi, vel ab exteris materiam notabilem, & nihil addet. Sed ſi Confeſſarius interroget quem finem habuerit, fortaſſe adinveniet furatum eſſe, ut habeat pecuniam, qua poſſit cum mulieribus peccare &c. & en nova ſpecies malitiæ. Dicet aliquis ſe de proximo detraxiſſe, & ita credit propriæ conſcientiæ ſatisfeciſſe. At Confeſſarius ulterius interrogando, adinveniet vel detraxiſſe, ut aliquem impediat a lucro, ſeu dignitate conſequenda, vel ne aliqua ſponſalia compleantur &c.: & en iterum nova malitia.

III. Quia ſicut finis malus addit novam malitiam actui habenti objectum malum, ita finis bonus addit novam bonitatem; hinc eſt, Confeſſarium cupidum, ut animæ ſuæ curæ commiſſæ in via Domini proficiant, debere eas edocere, ut quamplurimos addant fines bonos ſuis operationibus. Si a. g. jejunent, non ſolum jejunent ob honeſtatem virtutis temperantiæ, ſed etiam ob virtutem Pœnitentiæ, jejunando in ſatisfactionem peccatorum; ob virtutem religionis, jejunando ut Deum colant; ob virtutem Charitatis, jejunando ex motivo placendi Deo ſummo Bono &c. Ex hoc exemplo alia Confeſſarius addiſcat. Id autem præcipue animadvertendum eſt in actibus ex objecto indifferentibus, qui nullatenus poſſunt eſſe Deo grati, ſi non participent bonitatem ab aliquo fine extrinſeco operantis. Sic e. g. comedere, dormire, ſtudere &c. ſi ab operante non referantur in aliquem finem honeſtum, nullatenus proſunt animæ; unde Confeſſarius diligens debet de iis pœnitentem monere, & inſtruere qua ratione reddere debeat Deo gratas omnes ſuas operationes.

TRACTATUS III.

DE

Peccatis in communi.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit peccatum?

1 PEccatum aliud eſt habituale, quod per modum habitualis defectus permanet, donec deleatur; aliud actuale.

2 Peccatum commiſſionis eſt actus humanus malus. Dicitur actus humanus, quia liber, malus, quia caret debita commenſuratione, utpote a regula rationis hominis diſcedens. Aliter

3 Peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum (quod materiale peccati) contra, vel præter legem Dei æternam (quod formale).

4 Comprehenditur etiam ſub peccato commiſſionis peccatum omiſſionis, quia affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus.

Peccatum omiſſionis in eo conſiſtit, quod homo non operans eſt, cum ſecundum legem operari deberet.

5 Quædam prohibita ſunt, quia mala (ſuapte natura, ut perjurium, blaſphemia) quædam vero mala, quia prohibita (per ſe quidem non inhoneſta, ſed per poſitivæ legis prohibitionem) ut laborare die feſto. Quamvis autem talis lex ab humano Magiſtratu poſita ſit, tamen ejus tranſgreſſio etiam divinæ æternæ legi conſequenter repugnat. *Qui enim reſiſtit poteſtati, Deo reſiſtit.* Rom. 13. Siquidem Deus jubet, & ratio naturalis dictat, legitimis Superioribus obediendum eſſe, cum talis poteſtas a Deo ſit.

CAPUT II.

De ſpecifica unitate, ac diſtinctione peccatorum.

1 ASſertio 1. Unitas, & diverſitas ſpecifica peccatorum, quatenus præceptis poſitivis repugnant, optime deſumitur penes unitatem, ac diverſitatem ſpecificam præceptorum. Porro unitas illa ſpecifica, & diverſitas non debet attendi penes præcipientes (nam fieri poteſt, ut Deus, & Magiſtratus prohibeant, V. C. furtum ſub una eadem ratione) ſed attendi debet unitas illa formaliter penes motiva honeſtatis, ut ſi præcepta ſint poſita ex motivo diverſarum virtutum, vel ſaltem diverſarum rectitudinem ejuſdem virtutis, tunc etiam tranſgreſſio, ſeu peccatum in diverſa ſpecie exiſtat. Sic injuſta percuſſio Clerici, quæ lege Eccleſiaſtica ſub excommunicationis pœna prohibetur, non eſt tantum peccatum contra Juſtitiam, ſed etiam contra virtutem religionis, cujus intuitu lex illa Eccleſiaſtica poſita eſt. Quod ſi blaſphemia ab Eccleſia in aliqua Diœceſi ſub excommunicationis pœna prohibita ſit, tranſgreſſor unum tantum peccatum committit contra religionis virtutem. Ratio peti poteſt ex dictis. Præterea fornicatio in loco ſacro duplicem malitiam habet, contra caſtitatem, & contra religionem; quia effuſio voluntaria ſeminis in loco ſacro ab Eccleſia ſeveriſſime prohibita eſt. Actus vero conjugalis extra neceſſitatem in loco ſacro exercitus unicam tantum malitiam contra religionem habet: Quia legiſlatrix poteſtas habet hanc vim, ut id, quod juſta de cauſa præcipit, aut prohibet, materiam neceſſariam, ſeu obligatoriam conſtituat ſub ea virtute, cujus intuitu lex lata eſt.

2 Aſſertio II. Unitas, & diverſitas ſpecifica peccatorum, quæ, & quatenus naturali legi adverſantur, proxime, ac formaliter deſumitur ex honeſtate virtutis, cui opponuntur; remote autem, & fundamentaliter ex objecto. Ratio prioris: Quia privatio accipit ſpeciem a forma, cui opponitur; peccatum autem eſt formaliter privatio boni honeſti: Ergo.

Coroll. 1. Illa peccata ſpecifice diverſa ſunt, quæ vel diverſis virtutibus adverſantur, ut furtum, blaſphemia, vel quæ eidem virtuti, ſed diverſa ratione difformitatis repugnant, ut perjurium, & prævaricatio voti, odiſſe Deum, & Deum non amare, cum oportet; nam diverſis modis contra charitatis virtutem tendunt, quamvis interdum omiſſio, & commiſſio ad eandem ſpeciem pertinere poſſunt, ut rapere alienum, & non reſtituere.

3 Coroll. 2. Plures ſunt ſpecies peccatorum, quam virtutum, ſeu, uni virtuti plures peccatorum ſpecies opponi ſolent, V. C. liberalitati avaritia, & prodigalitas. Ratio: Quia bonum ex integra cauſa eſt, malum ex quolibet defectu. V. C. Actus, quo voluntas in Deum, vel proximum fertur, ut charitatis exiſtat, debet ex omni parte eſſe perfectus. Contra hanc autem perfectionem honeſtatis varii repugnantes defectus committi poſſunt, V. C. Deum odiſſe, vel proximum, huic invidendo.

4 Aſſertio III. Inter peccata ſpecie diverſa, quæ graviora ſunt, ex objecto præcipue cognoſcendum eſt. Quare peccata, quæ in Deum directe tendunt, ut Dei odium &c. omnium deterrima ſunt. Inter peccata contra proximum gravius eſt homicidium detractione, & furto; quia majus eſt bonum vitæ, quam bona hominis externa.

Majori virtuti majus vitium opponitur: Detractio majus peccatum, quam ebrietas; quia hoc contra intemperantiam, illud contra juſtitiam eſt. Juſtitiæ autem virtus dignior eſt temperantia.

NB. Ea peccata, quæ intemperantia maxima, ut ſodomia majora ſunt, quam minima, quæ in genere injuſtitiæ ſunt.

CAPUT III.

De numerica diſtinctione peccatorum:

1 ASſertio I. Peccata non ideo præciſe multiplicantur numero, quia ſunt contra plura præcepta. Fieri enim poteſt, ut ſub eadem ratione formali de eodem objecto poſita ſint; ut vides in præcepto jejunii, incidentis in diem Quatuor temporum, & Vigiliæ Apoſtolorum, aut Quadrageſimæ. Sin vero præcepta diverſis rationibus, aut motivis de eodem materiali objecto poſita ſint, tunc eorum tranſgreſſiones erunt diverſæ ſpecie, conſequenter etiam numero.

2 Aſſertio II. Si numerica diſtinctio objecti materialis tantum ſit, non facit plura numero peccata; ut ſi unico actu plures homines occidere intendas, non facis plura numero peccata. Secus, ſi objecti multiplicatio ſit formalis, ſive in ordine ad actum, quia voluntas quaſi pluribus actibus in objectum tendit; ut ſi proponas hodie furari 10. florenos, & cras 20. vel proponas nunc furari claves,

ut

Digitized by Google

ut poſtea ſureris pecunias : Cum enim actus internus eſſentialem ordinem gerat ad actum externum , ideo ſi externus , ſive objectivus unitatem non habet , etiam actus internus virtualiter in genere moris multiplicatus cenſetur .

Exinde etiam nota bene . Si peccata externi operis circa materias parvas , V. C. parva furta (*a*) maneant plura venialia , & non tranſeant in mortalia , tunc etiam propoſitum circa talia peccata frequentanda , per ſe loquendo , non fore mortale , ſed veniale , virtute multiplex . Ratio : Quia propoſitum internum peccandi accipit malitism ab opere externo , tanquam proximo objecto ſuo : Ergo , ſi actus externi repetiti circa materias parvas manent plura venialia , etiam propoſitum eorum erit veniale , virtute multiplex .

„ (*a*) Quamvis hæe doctrina vera eſt , ne appli-
„ cata ad parva furta in errorem tyrones inducat ,
„ noriot proponentes committere plura parva furta
„ commiſſurum in eo propoſito grave peccatum ,
„ quia licet illa ſeorſum conſiderata ſint levia ; pro-
„ ut tamen unita ſunt gravia .

3 Aſſertio III. Peccata , quæ animo perficiuntur , ut hæreſis , odium Dei , & proximi , ſola interruptione , ac repetitione multiplicantur , ut proinde fieri poſſit , eundem hominem uno die mille peccata odii , &c. committere poſſe . Numerus tamen ille tum non poteſt in confeſſione recenſeri , idcoque ſatis eſt , moram temporis explicare , V. C. ſe uno anno inimicitias habuiſſe . Idem dicendum de meretrice , ſe duos , vel tres annos quibuſvis corporis ſui copiam feciſſe .

4 Aſſertio IV. Peccata quæ externo opere perficiuntur , ut homicidium , furtum , fornicatio , &c. non cenſentur multiplicari per repetitionem propoſiti circa idem objectum , quamdiu efficacitas primi propoſiti in libero aliquo affectu perdurat . V. C. Qui animo furandi domo egreditur , unum numero peccatum internum committit , & ſi in via malum furandi propoſitum , quod mortaliter nuoquam interruptum eſt , actualiter aliquoties repetat . Sin vero ſomno oppreſſus renovet propoſitum , novum peccatum committit , ſed non eſt neceſſe , ejuſmodi internorum peccatorum numerum in Confeſſione edicere , cum id moraliter impoſſibile ſit ; ſed ſufficie moram temporis exprimere . V. C. Integro menſe perſtiti in propoſito fornicandi , furandi , &c.

5 Qui eodem commotionis impetu , eademque pugna alterum ſæpius percuſſit , vel repetita contumelia affecit , ſemel tantum peccaſſe cenſetur , ſaltem in ordine ad Sacramentalem Confeſſionem . Sin vero per intervalla ad verberandum , vel convitiandum acceſſit , aut in eadem pugna diverſæ rationis contumelias irrogavit , V. C. compellando furem a latronem , &c. duo peccata commiſiſſe cenſetur . Ratio diſcriminis eſt ; quod in priore caſu verbera , aut contumeliæ majorem ordinem moralis unitatis habeant , quam in poſteriore .

Regulæ in praxi obſervandæ .

I. Cum juxta Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 5. *& can.* 7. aperiendæ ſint in Confeſſione ſpecies peccatorum , & circumſtantiæ mutantes ſpeciem , debet Confeſſarius probe ſcire , unde deſumende ſit ſpecies peccatorum , & exinde judicare quot ſint malitiæ ſpecie diverſæ in peccato ; quod explicat ſuus Pœnitens . At in hoc quamplures non parum agnovi minus peritos . Si accedat e. g. aliquis , qui dicat cum Conſanguinea peccaſſe , multi concipiunt quidem gravius commiſiſſe peccatum , quam ſi ſimpliciter fornicatus fuiſſet ; at neſciunt diſtinguere duo peccata ſpecie diverſa ; inceſtus nempe , quatenus pietatem violavit , & fornicationis , quatenus offendit temperantiam . Demus uxoratum ſe accuſare cum altera uxorata peccaſſe , non multi ſunt Confeſſarii , qui ſtatim ſciant diſtinguere tria peccata ſpecie diverſa , contra temperantiam nempe , & contra juſtitiam , quatenus violavit jus ſuæ conjugis ; & iterum contra Juſtitiam , quatenus violavit jus mariti illius , cum qua peccavit . Idem dicas de habente votum Caſtitatis , qui cum uxorata peccavit , adeoque tria commiſit peccata ſpecie diverſa , nempe contra Temperantiam , contra Religionem , contra Juſtitiam . Quod ſi hæc non probe calleant Confeſſarii , quomodo Judicis officium , ut par eſt , valebunt exercere ? quam ante Tribunal Divini judicie excuſationem habebunt ? Fatendum nihilominus eſt , quod ſi Pœnitens ſit homo rudis , nec valeat ſaltem in confuſo apprehendere diverſas malitias ſui peccati , tunc non judicandus eſt reus , niſi illius pravitatis , quam apprehendit .

II. Neque poteſt Confeſſarius rite fungi officio Judicis , ſi neſciat bene judicare de numero peccatorum , quem explicandum eſſe in Confeſſione docet Tridentinum loco ſupra citato . Si igitur ſuus Pœnitens ſe accuſat de aliquo pravo animo , ſive inhoneſta perpetrandi , ſive ſe ulciſcendi , ſtatim interroget , an ex corde talem animum aliquando retractaverit , & iterum reſumpſerit eumdem pravum affectum . Et tunc judicet toties peccaſſe , quoties reſumpſit eumdem pravum animum . Si dicat nunquam retractaſſe pravam voluntatem ; tunc iterum interroget , an inter unicum actum interaum pravum , & alium interceſſerit ea diſtantia temporis , qua non poſſint dici moraliter continuaſſe , & tunc erunt tot peccata , quot fuerunt actus voluntatis . Item tot erunt peccata , quot actus voluntatis , quando quis libere ceſſavit a prima prava voluntate , & iterum ad eam redit . Quod ſi prava voluntas ſit de peccatis , quæ perfecte conſummantur in corde ; ut odium Dei , proximi , hæreſis , delectatio moroſa &c. tunc ſemper peccata multiplicantur , prout multiplicantur actus voluntatis ; nam eo ipſo quod ſtatim perficiantur , ſecundus actus pravus dici non poteſt continuatio præcedentis . Hæc autem moralis continuatio poteſt adinveniri in prava voluntate circa peccata oris , & operis , ut ſupra dictum eſt . At quia , ſi pravus animus fuit diuturnus , difficillimum eſt adinvenire , quoties prava voluntas fuerit moraliter repetita , ideo multoties ſat erit , ſi Confeſſarius interroget de tempore , quo aliquis in pravo perſeveravit .

Quod ſi Pœnitens ſe accuſet de opere externo conſummato , tunc non opus eſt Confeſſarium illum interrogare de actibus illum præcedentibus , cum omnes conſtituant unicum morale peccatum cum eodem opere conſummato . Id autem quam maxime attendat Confeſſarius , dum Pœnitens ſe accuſat de aliquo opere conſummato in genere luxuriæ ; imprudentiſſime enim ſe gereret , ſi interrogaret de actibus antecedentibus , vel concomitantibus , quod facile non eveniret ſine proprio , vel Pœnitentis periculo . Utrum vero interrogare debeat de ſubſequentibus , dicam alibi .

C A P U T IV.

De diviſionibus peccati accidentalibus .

1 PEccatum aliud eſt commiſſionis ; ut furtum : Aliud vero peccatum omiſſionis ; ne parentes non honorare , Miſſam die feſto non audire .

Peccatum commiſſionis opponitur præcepto negativo , quod pertinet ad declinandum a malo , quod ſemper obligat . V. C. Ne Deum oderis , ne furtum facias , ne parentes inhonores .

Peccatum omiſſionis opponitur præcepto affirmativo , quod pertinet ad faciendum bonum , quod non ſemper obligat ; ut Deum ama , parentes cole , pauperibus miſerere .

2 Si actio , cum impletione præcepti incompoſſibilis , cauſa omiſſionis culpabilis exiſtat , tunc ipſa etiam actio peccaminoſa redditur , V. C. domi manere , & iden Miſſam negligere : Item , ideo Miſſam negligere , ut domi ſtudere , orare poſſis ; ipſa actio propter circumſtantiam mali effectus inficitur .

NB. Si proponas negligere Miſſam , & tamen audis poſtea , ſolum illud propoſitum non ſufficit ad exequendum peccatum , ſed id , quod actu impedit , vel cauſa eſt , cur impediatur Sacri auditio .

3 Si actio , alioquin incompoſſibilis , tantum concomitanter , & per accidens ſe habeat ad omiſſionem culpabilem , ab ea non inficitur . V. C. Si Miſſam die feſto negligere decreviſti , atque idcirco domi manere elegiſti , interim vero , ne tempus otioſe tranſigas , ægrum inviſis &c. erit id opus miſericordiæ .

4 Licet actio ſit cauſa omiſſionis culpabilis , adeoque peccatum , non eſt tamen diſtinctum ab omiſſione peccati . Ratio eſt : Si Miſſam negligis , ut domi ſtudeas , ſtudium iſtud non eſt peccatum abſolute , ſed relate , quatenus cauſa eſt omiſſionis . Tota igitur malitia per ſe primo conſiſtit in omiſſione Miſſæ , & hinc redundat in actionem , quæ ejus cauſa exiſtit . Cauſam autem iſtam non eſt opus confiteri , ſed ſolum neglectum Miſſæ .

Excipe , niſi quis ad talem actionem , V. C. venationem , ſtudium , cujus cauſa feſto die Miſſam negligit , tam inordinatum affectum gerat , ut propter eam quamvis Dei legem tranſgredi paratus ſit . Qui affectus inordinatus manifeſtandus in Confeſſione , eo quod alias non tota malitia actus explicetur . Sic otioſum verbum , ſi in eo ultimus finis conſtituatur , ſit mortale .

5 Peccatum aliud eſt ſpecialiter contra Deum ; ut hæreſis , deſperatio , Dei odium . Aliud contra proximum ; ut , furtum , homicidium , odium &c.

6 Peccata alia ſunt ſpiritualia ſic dicta , quia conſiſtunt in inordinata delectatione ſpirituali , orta e ſola apprehenſione rationis ; ut , inanis gloria , invidia , ira , triſtitia , avaritia , accedia . Alia carnalia ,

Palia, ſic dicta, quia conſiſtunt in inordinata delectatione carnali; ut gula, luxuria.

7 Peccatum aliud eſt cordis, aliud oris, aliud operis. Quæ omnia, ſi connexa ſint cum opere, V. C. fornicatione, unum peccatum efficiunt.

CAPUT V.

De peccato mortali, & veniali.

1 PEccatum aliud eſt mortale, ſic dictum, quia ob gravitatem ſui gratiam, & amicitiam cum Deo ſolvit, pœnamque æternam meretur.

Mortalia ex genere ſunt, quæ in Dei injuriam directe tendunt, vel cum proximi injuria, damno, vel ipſius operantis gravi incommodo contra naturæ ordinem juncta ſunt, ſcilicet peccata contra Theologicas virtutes, contra Religionem, Juſtitiam, Charitatem proximi, & ad luxuriam pertinentia. Verum, quæ ex genere ſuo mortalia ſunt, per accidens poſſunt fieri venialia.

Aliud peccatum eſt veniale, ſic dictum, quia, cum ob levitatem gratiam, & amicitiam cum Deo non tollat, quamvis fervorem charitatis minuat, neque æternam, ſed temporalem pœnam meretur, infirmitatem facile curabilem animæ adſert veniamque facile conſequitur. De his Sapiens Prov. 24. *Septies in die cadit juſtus.*

2 Etſi peccata venialia ſint contra legem Dei, non tamen ſunt contra finem legis, quæ eſt charitas, & amicitia cum Deo: Vel dici poteſt, venialia non eſſe contra legem Dei præcipuam, & quæ ſimpliciter neceſſaria ſit ad ſalutem.

3 Peccati mortalis, & venialis differentiæ accidentales ſunt per ſe loquendo; ut conſtat in parvo, & magno furto. Nihilominus tamen mortale differt a veniali eſſentialiter; nam mortale avertit hominem ab infinito bono: Veniale autem continet deordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem illum, ideo infinite diſtant; & hinc ex venialibus multiplicatis non poteſt fieri mortale, quia ex finitis nunquam efficitur infinitum.

4 Peccata venialia ſunt, vel ex genere ſuo, vel ex materiæ levitate, vel ex imperfectione actus.

5 Cum aliquid per ſe malum non eſt, ſed indifferens, exceſſus in ejus appetitione, uſuve eſt tantum veniale, V. C. exceſſus in cibo, potu, conjugii uſu, ira, timore, triſtitia, &c. nam in his mediocritatem attingere difficile eſt.

6 In peccatis quibuſdam adverſus Deum, ut ſunt, odium Dei, infidelitas, perjurium aſſertorium, non reperitur veniale ob parvitatem materiæ, quia integra ratio, & tota quantitas deformitatis in eo reperitur; ut videre eſt in odio Dei: Quidquid enim in Deo oderis, infinitam ejus bonitatem odiſti.

Mortale ex genere fit veniale ob levitatem materiæ; ut furtum, detractio: Quia, ubi eſt parva materia, ibi etiam parva culpa oriri poteſt.

7 Si plurium tranſgreſſionum materiæ parvæ neque ſecundum ſe, neque ſecundum effectum moraliter coaleſcenne, nunquam efficitur mortale (V. C. ſi opifex omnibus diebus feſtis per quadrantem ſecluſo ſcandalo, & contemptu laboret &c. nunquam fit mortale) ſi vero coaleſcant, tunc ultimæ tranſgreſſiones, V. C. ultimi furti materia propter connexionem cum antecedentibus, & rei alienæ modicæ injuſtam detentionem fit mortale.

8 Qui vovit, ſe quotidie recitaturum Pater, & Ave, ita, ut oratio cujuſque diei onus ſit, etſi toto anno intermittat, peccat ſemper per ſe loquendo venialiter. Per accidens tamen, ratione periculi labendi in mortale, poteſt fieri, ut propoſitum mentiendi leviter, modicum tempore jejunii comedendi, &c. fiat mortale.

NB. Illud Auguſtini. *Minuta plura peccata occidunt*, id eſt, diſpoſitive.

9 In voto reali, puta, quotidie dandi parvam eleemoſynam, cenſetur vovens ſe obligare, ſi uno, aut pluribus diebus intermittat, poſtea compenſaturum; quare in talis voti obligatione mortaliter peccari poteſt.

10 Si quis violet partem præcepti, ea non omnino abſolute, ſed cum comparatione ad totum, cujus pars eſt, prudentis viri judicio ſpectanda eſt, ut intelligatur, ſitne ſufficiens objectum peccati mortalis.

11 Motus appetitus ſenſitivi circa malum interdum ante omnem deliberationem rationis excitantur; ideoque dicuntur primo primi, & omni culpa vacant.

12 Motus appetitus ſenſitivi, qui dicuntur ſecundo primi, ſequuntur deliberationem rationis imperfectam, ideoque venialia; ut videre eſt in ſemi-ebriis, ſemi-dormientibus, ira, & timore perturbatis vigilantibus.

13 Fieri poteſt, ut homo ita triſtitia abſorbeatur, ut ſine peccato ſibi aliquando necem inſerat. Ratio eſt: Quia, ut conſenſus moraliter bonus, vel malus ſit, debet eſſe rationis ſuperioris, ſeu mentis, attendentis rationibus æternis honeſtatis, ſecundum legem Dei, & non ſolum rationis inferioris antecedentis, ex motivis commoditatis temporalis.

NB. Concupiſcentia *peccatum vocatur, quia peccato facta eſt*, ait S. Auguſtinus.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ubi clarum non eſt aliquod eſſe peccatum mortale, non præceps ſit Confeſſarius in judicando aliquam tranſgreſſionem gravem eſſe, & talis peccati Reum ſuum Pœnitentem pronunciare. Hoc valde, ipſo Angelico Doctore atteſtante, *Quodlib. 9. art. 19.* periculoſum eſt, & hac ratione, gravi Animarum diſpendio inducuntur aliquando quamplurima peccare mortalia: ac proinde hujuſmodi imprudentes Zelatores non diminuunt, ſed augent offenſas.

II. Cum peccatum ex genere ſuo mortale fieri poſſit veniale defectu plenæ advertentiæ, & indeliberationis, prudens Confeſſarius debet ſcire qua ratione poſſit detegere ſtatum ſui Pœnitentis. Si igitur iſte ſe accuſet e. g. de aliqua prava cogitatione, eamque aliquo tempore ipſius menti inſediſſe, primo interroget: an cognoverit illam eſſe peccatum, & ſi tunc reſpondeat ſtatim deteſtatam fuiſſe, ac cognovit turpem eſſe, poteſt judicare in ea nullatenus peccaſſe. Si vero reſpondeat habuiſſe per aliquod tempus aliquam confuſam cognitionem malitiæ, eique adhæſiſſe, ſed non plene advertendo ad ipſius gravitatem, tunc facile nonniſi peccatum veniale interceſſit. Quod ſi neſciat ſe expedire ab his interrogationibus, cum revera non facile ſit cognoſcere quomodo ſe geſſerit voluntas, dum variis tentationibus animus perturbatur, tunc ſi pœnitens ſit timoratæ conſcientiæ poteſt præſumere, vel defuiſſe plenam advertentiam, vel conſenſum, maxime ſi adſint aliqua ex iis ſignis, quæ adnotavi agendo de conſcientia ſcrupuloſa, Regula quinta.

III. Multoties Pœnitens ſe accuſat de tranſgreſſione alicujus legis vel civilis, vel eccleſiaſticæ, & putat ita ſatisfeciſſe ſuæ conſcientiæ. Si Confeſſarius ergo ex qualitate pœnitentis judicet neceſſarium, interroget an tranſgreſſio orta fuerit ex contemptu ſui Principis, vel Epiſcopi, ſi ſit lex Synodalis, vel Superioris Regularis, ſi pœnitens ſit Religioſus. Certum eſt non deeſſe caſus, ex quibus ſubditi ex parvipendentia ſui Legiſlatoris, flocci faciant ipſius leges, & tunc ſi contemptus tranſeat in Superiorem, ut Legiſlator eſt, conſurget grave ſpeciale peccatum inobedientiæ, ut patet ex ſupra dictis.

IV. Cum, experientia teſte, Pœnitens, qui non curat de vitandis peccatis venialibus etſi non habeat propoſitum omnia committendi, cito prolabatur in peccata mortalia, non plene ſatisfaciunt ſuo muneri illi Confeſſarii, qui nihil curant de removendis iis peccatis, maxime ſi plena advertentia committantur. Inſtruant igitur ſuos pœnitentes, quod ſi non caveant a peccatis venialibus, maxime commiſſis ex malitia, & plena advertentia, quam primum gravibus culpis ſuam animam inquinabunt, ac deinde, dum hujuſmodi peccatis venialibus, maxime frequenter commiſſis, ad Confeſſionem accedunt, non deſinant eos objurgare, & certificari de ſtabili propoſito ab eis abſtinendi.

CAPUT VI.

De delectatione moroſa.

1 DUplex eſt voluntatis affectus. Unus efficax; qui dicitur propoſitum exequendi, quod cogitatum eſt. Alter inefficax, ſive ſimplex complacentia, ſine exequendi voluntate.

2 Aliud eſt delectari de re cogitata, V. C. fornicatione, ita, ut formalis ratio delectandi ex re ipſa ſit. Aliud vero eſt delectari de cogitatione, V. G. fornicationis, ita, ut formalis ratio delectandi ſit ex ipſa cogitatione, tanquam objecto pulchro. Hic loquimur de delectatione, quæ capitur ex re ipſa. Cum enim cogitatio rei malæ per ſe mala non ſit, ſed interdum bona, ut ſi de rebus turpibus cogites docendi cauſa: interdum autem venialiter mala, ut ſi ex curioſitate de eiſdem cogites, ſequitur, delectationem de ejuſmodi cogitatione, tanquam objecto, per ſe malam non eſſe, ſed interdum bonam, interdum venialiter malam.

3 Aliud eſt delectari de opere malo; & aliud de modo operandi male, V. C. Vides ex equo ridicule cadentem lædi, ſine peccato rides, & te oblectas,

ctas, non ob illati vulneris damnum, ſed ob cadendi, & lædendi modum.

4 Aſſertio I. Omnis delectatio directe voluntaria de opere ſecundum ſe malo ſimiliter mala eſt, ita, ut ſi opus malum veniale, V. C. mendacium leve, etiam delectatio ſit venialis; ſi opus malum mortale, V. C. fornicatio, etiam delectatio. Ratio: Quia delectatio eſt quædam inclinatio appetitus in objectum cognitum; abhorret autem a recta ratione, appetitum rationalem inclinatum eſſe in objectum turpe, & inhoneſtum: Ergo &c. Confirmatur: Delectari deliberate de fornicationis opere eſt mortale; Ergo etiam eſt mortale delectari de quovis opere, quod per ſe mortaliter malum eſt. Neque enim ratio poteſt adferri diſcriminis,

5 Delectatio voluntaria circa malum moroſa vocatur, non quod requirat moram temporis, ſed quia poſt plenam rationis animadverſionem voluntas in ea acceptanda, ſive conſentiendo perſiſtat, quod temporis momento fieri poteſt. Excludo delectationem non liberam, etiam perſeverantem poſt ſubitam apprehenſionem objecti pravi, modo non conſentiat voluntas: Nam facultas ſenſitiva non eſt rationi ſubjecta deſpotice, ſicut famulus domino, ſed ſolum civiliter, & politice, ſicut civis Conſuli, cui etiam nonnunquam repugnat.

6 Si quis ſine cauſa, aut neceſſitate actionem exercet, ex qua intelligit delectationem carnis naturaliter orituram, tamen ſine directa intentione, & ſine periculo conſentiendi, is peccat tantum venialiter, vel eſt vana actio, inutilis, V. C. aſpectus, collocutio, lectio curioſa. Sin vero cauſam juſtam habet, talem actionem exercendi, nihil peccat, permittendo carnis motionem exinde oriri, V. C. ex honeſta, & neceſſaria inſtructione.

7 Si homo turpis objecti cogitationem, & hinc inde ortam ſenſitivam delectationem repellere intermittat, quod placeat illi res cogitata, & hinc ortus motus in parte ſenſitiva, mortale delectationis moroſæ peccatum committit. Sin vero ideo expellere negligat, quia conſenſus de conſtantia voluntatis contemnit delectationem partis inferioris, veluti paſſionem non voluntariam, probabile eſt, non peccare mortaliter, ſed venialiter. Prob. Quia licet inferior mali objecti appetitus inordinatio, ac deformitas quædam ſit, tamen non magna, & gravis, quando præter voluntatem ex naturæ infirmitate oritur: Eam ſine rationabili cauſa permittere (modo abſit periculum conſentiendi) eſt quidem peccatum, ſed non grave per ſe loquendo.

NB. Conſenſum directum, & interpretativum non æquivalere in gravitate culpæ, maxime ſi loquamur de peccatis internæ appetitionis.

8 Ut tamen dicta ſententia etiam practice probabilis ſit, requiritur, ut voluntas, omittens carnalem delectationem animum ad alia convertendo depellere, interim formalis diſplicentiæ actum exerceat.

Nam, eſto, talis actus diſplicentiæ inefficax ſit ad depellendum appetitum ſenſitivum, eſt tamen efficax ad tollendum voluntatis conſenſum. Alioquin ſi homo, advertens motum appetitus ſenſitivi in malum, actum diſplicentiæ non eliciat, exponitur periculo conſenſus. Etſi enim ſimpliciter poſſibile ſit, voluntatem propoſito ſibi objecto omnem actum ſuſpendere, nec approbando, nec improbando, tamen id in objecto vehementer alliciente eſt valde difficile, & moraliter ferme impoſſibile, ut proinde ſe homo exponat periculo conſenſus. Nam *mus in pera, ignis in ſinu, ſerpens in gremio male ſuos remunerant hoſpites*, e. etſi Judæos, de Judæis.

NB. Orta delectatione ſenſitiva circa objectum mortaliter malum poſt plenam rationis adverſionem non elicere actum diſplicentiæ, cenſetur talis delectatio moroſa, & mortalis. Sin vero delectatio diſpliceat homini, ita ut ſimplici affectu cupiat eam abeſſe, licet non efficaciter, quia animum ad alia cogitanda, agenda, negligit convertere, cum facile poſſit, & ſperet etiam, tali modo ſe commotionem ſenſitivam depulſurum eſſe, tunc valde probabile eſt, venialiter peccaturum.

9 Aſſertio II. Oblectari iis abſolute, & ſecundum ſe, quæ ideo tantum mala, quia lege poſitiva, aut voluntario voto prohibita ſunt, non eſt mortale peccatum delectationis moroſæ. Ratio peti debet ex diſcrimine, quod eſt inter voluntatem efficacem, & ſimplicem affectionem, delectationemve, quod illa tendit in objectum cum omnibus ſuis adjunctis, ſive circumſtantiis; ſimplex autem affectio, quia ſequitur ſimplicem objecti cogitationem, cujus proprium eſt præſcindere, ſive unum ſine altero ei adjuncto cogitare, tendere poteſt in objectum a reliquis adjunctis, ſive circumſtantiis præciſum. Hinc ideo fit, quod, ſi ſubſtantia objecti ſecundum ſe mala non ſit, ſed tantum propter extrinſecam, ſive adjunctam poſitivæ legis prohibitionem, tam apprehenſivus intellectus, quam inde conſequens motus appetitionis, ac delectationis ferri poſſit in ſubſtantiam objecti ſecundum ſe abſque omni culpa. V. C. Si cognita Eccleſiæ prohibitione habeas voluntatem comedendi carnes die Veneris, habeas quoque voluntatem prævaricandi legem; ideoque peccas. Si autem cognita lege Eccleſiaſtica eadem die cogites, atque oblectes te carnium eſu abſolute & præciſe, non prævaricaris jejunii legem; quia lex prohibens carnium eſum non prohibet etiam cogitationem, & animi oblectationem de carnium eſu. Sic ſæpe diſplicet alicui pœnitentia injuncta, quam tamen implere vult: Ergo ſimiliter ſine culpa poteſt aliquis oblectari in opere lege poſitiva prohibito, retinens interim efficax propoſitum opus non faciendi. Cæterum delectari de opere, V. C. carnium eſu, quatenus legitimo præcepto repugnat, ſemper eſt peccatum, cum pro objecto habeat formalem inobedientiam, juri naturali repugnantem.

Coroll. Jactare ſe de opere, quod, & quatenus ſecundum ſe malum eſt, V. C. de fornicatione, &c. ſemper eſt peccatum; continet enim in ſe complacentiam, & comprobationem peccati, juxta Pſal. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Sed jactare ſe de opere, quod ſecundum ſe malum non eſt, non continet peccatum ejuſmodi approbationis. V. C. Si glorieris de corporis viribus, qua proximo die Veneris quatuor pondo carnium avide comediſti, vel inimicum uno pugno proſtraviſti.

10 Non eſt mortale, opus prohibitum deſiderare, vel in eo delectari ſub conditione, ſi prohibitum non eſſet; modo appoſita conditio auferat operis malitiam. V. C. Vellem comedere carnes, niſi eſſet dies Veneris.

11 Sin appoſita conditio operis malitiam non aufert, mortale peccatum eſt, opus ex ſe mortale ſub ejuſmodi conditione deſiderare, V. C. Vellem adulterari, niſi infamiam timerem.

NB. Vellem fornicari, niſi peccatum eſſet, aut niſi Deus prohibuiſſet, eſt peccatum mortale; quia talis conditio impoſſibilis non aufert malitiam objecti intrinſece, & ſubſtantialiter mali.

12 Conjux mortaliter non peccat, ſi de maritali copula conjuge abſente cogitans in re cogitata delectetur. Ratio. Mortalis malitia delectationis moroſæ ſumenda eſt ex malitia objecti, ſive rei cogitatæ; copula autem maritalis malitiam non habet: Ergo de ea cogitare non eſt mortale peccatum moroſæ cogitationis. Eſt autem peccatum veniale, cum nec pietas, nec neceſſitas talem cogitationem ſuadeat.

13 Mortaliter peccat vidua, ſi voluntarie conſentiat in motum delectationis ſenſitivæ, qui ex recordatione copulæ maritalis naturaliter oritur, non ſolum propter periculum eliciendi conſenſus in fornicationem abſolute, ſed multo etiam magis propter motum carnalem, qui naturaliter ex cogitatione coortus, ſi voluntate acceptetur, mortali peccato in innuptis non caret. Idem dicendum de ſponſo.

14 Conjux probabiliter excuſatur a peccato mortali, ſi voluntarie delectetur in commotione ſenſitiva, orta ex imaginatione conjugis abſentis. Cum enim matrimonium etiam a mortali peccato excuſet tactus impudicos non copulandi, ſed ſolius voluptatis gratia inſtitutos, multo magis commotionem ſenſitivam, ortam ex abſentia cogitatione. Ratio: Quia hæc omnia per ſe loquendo in conjugibus tendunt ad opus conjugale; per accidens autem eſt,

quod

quod ob abſentiam non exerceatur opus .: Debet tamen abeſſe in his periculum pollutionis.

15 Qui ſimpliciter, ac præciſe ſe oblectat cogitatione mulieris, etſi illa conſanguinea ſit, vel Deo ſacrata, committit unum ſimplex mortale contra temperantiam; ſecus, ſi deſideret cum tali fornicari: Quare tunc circumſtantiam perſonæ in Confeſſione explicare debet. Ratio diſcriminis eſt: Quia, ut ſupra dixi, propoſitum fertur in objectum, cum omnibus circumſtantiis conſideratum. Simplex autem complacentia, cum ſequatur ſimplicem, & præciſivam operationem intellectus, poteſt ferri in unum, ita ut non ſimul feratur in alterum ei adjunctum. Præterea ſi quis voluntarie oblectet ſe tactu, vel amplexu mulieris conjugatæ,: aut conſanguineæ, quamvis ſine propoſito fornicandi, debet circumſtantias in Confeſſione explicare. Cum enim tactus libidinoſi ſuapte natura referantur ad copulam, ideo ex ea ſpeciem malitiæ accipiunt (a).

„ (a) Hic non ſatis principiis a ſe ſtabilitis „ cohærere Laymanus videtur. Statuit enim hic §. „ 15. cogitationem, & oblectationem copulæ cum „ moniali, conjugata &c. ſi non ſit cum deſiderio „ conjuncta, nec ſit delectatio de conjugata ex. gr. „ ut eſt talis, non referre malitiam ſacrilegii, inju„ſtitiæ &c. tum poſtea deſcendens ad meram dele„ctionem de tactu mulieris conjugatæ, monialis „ &c. aſſerit hoc peccatum induere circumſtantiam „ ſacrilegii, injuſtitiæ &c. ideo quia tactus ten„ dunt ad copulam. Si copula in ea delectatione „ non refert malitiam ſacrilegii &c. cur cogitatio „ de tactibus referat?

Regula in praxi obſervanda.

I. Dum Confeſſarius audit Pœnitentem ſe accuſantem de turpi ſermone, multoties præcipiti judicio, ſi non adfuit ſcandalum, judicat dumtaxat venialiter peccaſſe. Verum animadvertere debet facillime ſub his ſermonibus latere moroſam delectationem circa res turpes, de quibus loquitur. Quomodo etenim in praxi reputari poteſt immunis ab hujuſmodi complacentia ille, qui frequens eſt in his ſermonibus, & qui facillime verba caſu dicta ad turpia deflectit? In aliqua re certe ſibi turpiter complacet; quæ alia autem poteſt eſſe in his ſermonibus, niſi illa turpitudo, de qua jam libenter, tam incompoſito riſu pertractat? De eadem moroſa delectatione debet ſuſpicari Confeſſarius, reſpectu illorum, qui libenter hujuſmodi turpia auſcultant. Non tam facile credat delectari de modo heu nimis ingenioſo, quo ab aliquibus hujuſmodi obſcœna narrantur. Certe, ſi ſermo habeatur de rebus licitis, & forte etiam magis ingenioſe narretis, minorem percipiunt, vel nullam delectationem; ſignum proinde eſt in ſermonibus turpibus, & de ipſis turpibus, delectari. Idem eſto judicium de illis, qui avide turpes, & inhoneſtos libros lectitant.

II. Advertat item Confeſſarius, quandoque exoptari ea, a quibus nunquam removari poteſt materia, etiam poſita conditione, ſi licita eſſent. Ut dum quis dicit, ſi non eſſet peccatum ulciſcerer, fornicarer cum tali muliere &c. Animadvertere debet, an his locutionibus explicetur propenſio, & inclinatio, vel potius ea voluntas afficiatur circa talia objecta. Si hoc eſſet, utique daretur peccatum, nam actualiter eſſet affectus circa rem, quæ non poteſt non apprehendi mala. Si vero talibus loquutionibus dumtaxat explicentur mala, quæ alias eſſent in nobis, propenſio, quam tamen intendit quis refrænare ne peccet, tunc utique non eſſet peccatum.

III. Quamvis non ſit peccatum delectari de temporali emolumento, quod ſuppoſita ex. gr. morte alicujus, obvenit, nihilominus noſcat Confeſſarius caute in his procedendum; non raro etenim hujuſmodi delectationes ex mortis alienæ gaudio oriuntur. Id non temere præſumet Confeſſarius, ſi antea pœnitens exoptaverit mortem alicujus, ut exinde ſibi temporalia emolumenta provenirent. Idem timere poteſt de eo, qui dicit gaudere de bono ſpirituali proximi, ſed quod provenit ex hujus infortunio, ex gravi ex. gr. infirmitate, jactura rerum temporalium &c. Poteſt, inquam, timere potius gaudere de malo proximi, quam de bono effectu inde ſequuto, ſi antea inimicitiam cum illo gerebat, vel non ita amicabiliter erga eum ſe habebat. In re ergo plena periculi, introſpiciat Confeſſarius quantum poteſt animum pœnitentis.

IV. Notet inſuper Confeſſarius quædam affirmari a Theologis, quæ utique ſpeculative vera ſunt, ut removendi omnino ſunt Pœnitentes a praxi. Adinveniet ex. gr. Confeſſarius non ſolum licitum eſſe delectari de naturali pollutione in ſomnis ſequuta, ſed etiam de ea, etſi accidat in vigilia, imo & illi conſenſum præbere, dummodo conſenſus nil in ipſam influat. At quis non videt, in praxi difficillimum eſſe hujuſmodi delectationem, & multo magis conſenſum nil in ipſam influere, vel ſaltem ita ſe delectantem non raro ſe exponere gravi periculo in eam influendi? Adinveniet pariter, communiter affirmare Theologos licere viduis ſibi in voluntate complacere de copula habita, & ſponſis de copula, prout eſt in determinatione cauſarum, ſi abſit commotio libidinoſa; at quis non videt, quam raro hujuſmodi accidant ſine turpi commotione &c.? Multo magis id pertimeſcere debet Confeſſarius, ſi admittatur ea opinio, quæ præfatus concedit licitam eſſe delectationem in appetitu ſenſitivo, volentes tamen eam immunem a commotione libidinoſa. Videat ergo Confeſſarius ſemper amovere ſuos Pœnitentes ab his delectationibus, nam difficillime evunt innoxiæ.

V. Quamvis a pluribus ſuſtineatur ut immunis a gravi culpa in perſonis conjugatis copulæ habitæ, vel habendæ delectatio, ſi ſit ſine periculo pollutionis; nihilominus pius Confeſſarius eas removere debet ab hujuſmodi cogitationibus, utpote quæ valde dedecent animas ob æterna gaudia procreatas. Audiat quomodo hujuſmodi cogitationes, & delectationes objurget Sanctus Franciſcus Saleſius ſub allegoria guloſi in Introductione ad Vitam Devotam p. 3. cap. 39. num. 7. *Certo ſegno di un ſpirito goloſo, villano, abbietto, ed infame, è il penſare a' cibi, ed al mangiar avanti il tempo della refezione, ed anco quando dopo di eſſe uno ſi trattiene a penſar al guſto, che ha preſo nel mangiare, fermandoviſi con parole, e penſieri, ed infangando il ſuo ſpirito nella ricordanza del piacere avuto nell' inghiottire i bocconi, come fanno coloro, che avanti di pranzare hanno l' animo nello ſpiedo, e dopo pranzo ne' piatti; gente degna di eſſer guatteri di cucina, che fanno, come dice S. Paolo, un Dio del ſuo ventre.* Proſequitur deinde aliis motivis ſuadere conjugatis, ut abſtineant a cogitatione, & delectatione percipienda ante, vel poſt opus conjugale.

VI. Non facilius ſit Confeſſarius in admittenda ea aliquorum doctrina, qua admittitur ut licita moroſa complacentia in voluntate, reſpectu ejus objecti, quod intellectus conſiderat ſub conditione illud quaſi licitum conſtituente. Jam hanc doctrinam refutavi; ſed ulterius conſideret pius Confeſſarius, quam facile omnia libidinibus replerentur. Poſſet ex. gr. quis paſſim delectari de copula cogitata cum fœmina, ſub conditione, ſi ſibi eſſet uxor. Poſſet religioſus voluntate ſibi complacere de copula cum Berta, caſu quo non eſſet religioſus, ſed ipſius maritus &c. En quam facile, & quanto cum periculo voluntas his conditionalibus delectationibus frequenter poſſet occupari &c.

CAPUT VII.

De peccatis ex ignorantia, ex infirmitate, & certa malitia.

1 PEccata alia ſunt ex ignorantia. Alia ex naturæ infirmitate, ſive antecedente paſſione animi, quæ ſi abeſſet, peccatum non fieret; ut ſi hominem ex vehemente paſſione iræ occidas. Alia ex malitia, cum quis ob ſolam voluntatis perverſionem, temporale commodum bono honeſto hic, & nunc deliberate præferentis, peccatum, idque graviſſimum. Etenim libertas hominis duobus modis minui, vel tolli poteſt, vel ex parte intellectus, & id facit ignorantia, vel ex parte appetitus ſenſitivi, & id facit paſſio: Si ergo utrumque abſit, dicitur peccatum ex mera malitia, quod nullam excuſationem meretur.

2 Porro & his tribus peccatorum membris addi ſolet quartum, quod eſt peccatum ex contemptu, cum ideo legem quis violat, quod nolit ei eſſe ſubjectus.

3 Contemptus continet peccatum ſpecialis inobedientiæ in duplici ſpecie, quia legem tranſgreditur, V. C. jejunii, & quia poteſtatem præcipientem vilipendit, & talis circumſtantia contemptus in Confeſſione eſt manifeſtanda, tanquam propriam ſpeciem peccati continens: Licet enim in omni peccato ſit inobedientia materialis, tunc fit ſpeciale peccatum, ſi ex formali, & directa intentione legem violes, quia ex ſuperbia non vis eſſe ſubjectus.

Si Carthuſianus ex contemptu Regulæ ſuæ carnes comedat, triplicis ſpeciei peccatum committere videtur. 1. Contra virtutem ſpecialis obedientiæ. 2. Contra virtutem temperantiæ, cujus intuitu ſtatuta eſt abſtinentia. 3. Contra virtutem religionis, quia violat votum.

4 Omnis inobedientia ex formali contemptu eſt peccatum mortale. Ratio: Quia tam magnum, quam parvum præceptum a legitima poteſtate deſcendit, quam vilipendere intolerabilis quædam ſuperbia, & in Deum redundans veluti blaſphemia eſt, juxta illud Chriſti Luc. 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*. Et Rom. 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*.

5 Etiam ea, quæ ſolum in conſilio ſunt, ut Sacramentum extremæ Unctionis, aquæ benedictæ aſperſionem, &c. ex formali contemptu negligere, eſt peccatum mortale, juxta Navar. *Aliud eſt contemnere, aliud non parere:* Nam conſilio ſine culpa non paretur; ſed non ſine culpa contemnitur.

6 Contemptus materialis, ſive ipſius operis, puta, ſi quis præceptum tranſgreditur, quia parvi momenti æſtimat, eſt tantum veniale;

7 Fre-

7. Frequens relapſus; ſeu conſuetudo peccandi, proprie non continet contemptum, ſed ſolum interpretative ſecundum præſumptionem fori externi: Relapſus tamen inducit ad contemptum. Prov. 18. *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

TRACTATUS IV.

De Humanis Legibus.

CAPUT I.

Quid ſit Lex?

1. LEx vel a ligando, quod ad ſui obſervationem homines liget, vel a legendo, quod lex ſcribi, & publice proponi ſoleat, vel potius ſic dicta videtur, quod ſit lecta vivendi regula.

Lex duplex eſt, naturalis, & poſitiva. Lex naturalis eit recta hominis conſcientia. Poſitiva, quæ ex rerum natura neceſſario provenit, ſed magis ex Magiſtratus libera propoſitione.

2. *Lex eſt* ſecundum S. Thomam *recta agendorum ratio a publica poteſtate Communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuo obligandi.*

3. Ad conſtitutionem Legis tria concurrunt. 1. Judicium practicum de agendo. NB. juxta Molinam Concluſiones practicas de rebus agendis Jureconſultorum, accedente Principis voluntate, obtinere vim legis. *Omnia enim noſtra facimus*, inquit Juſtin. *quibus auctoritatem noſtram impertimur*. 2. Voluntas obligandi, quæ ſi abſit, non oritur lex. 3. Imperii denuntiatio.

4. Lex debet eſſe Honeſta, (reſpicit hæc conditio materiam) Juſta, (reſpicit formam, & æqualitatem) Poſſibilis ſecundum naturam, patriæ conſuetudinem loco, temporique conveniens, utilis, neceſſaria, rationabilis, pro communi utilitate lata, juxta lib. 8. *Jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Differt lex a privilegio, quod privilegium ſit lex privata. Denique lex debet eſſe conſtans, & perpetua, in quo differt a præcepto, ſeu mandato, tendente ad perſonas ſingulares, cum quibus plerumque extinguitur, imo etiam per mortem mandantis.

Lex autem non extinguitur, niſi vel a Legiſlatore, vel Succeſſore revocetur, vel conſuetudine abrogetur, vel ob rerum mutationem inutilis fiat. Juxta Iſidorum lex etiam debet eſſe manifeſta, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ex ea conditione Legis, quod ſit *juſta*, poteſt aliquando Confeſſarius aliquem deobligare a legum obſervantia; quamvis enim præſumi non poſſit intentionem Legiſlatorum fuiſſe legem injuſtam promulgare; id tamen poteſt accidere maxime ex aliquo errore facti. Si v. g. taxant pretium rerum, unde ſubditi nullum, vel fere nullum lucrum reportent ad vitam ſuſtentandam pro ſua conditione, talis lex, utpote injuſta, in foro conſcientiæ non eſt attendenda. Demus etiam adeſſe legem, qua prohibeantur ab exercitio alicujus artis omnes pro illius exercitio publice non approbati: certe non teneretur ab illo exercitio ceſſare, qui non eſſet approbatus, ſi non haberet modum approbationem obtinendi; & aliunde exercitium artis eſſet omnino illi neceſſarium ad ſe, ſuoſque ſuſtentandos. In tali caſu ſaltem ex epikeja judicandum erit reſpectu illius legem locum non habere.

Quod dictum eſt de lege, quando univerſaliter judicatur juſta, vel in aliquo caſu particulari, idem dicendum eſt, quando non eſſet moraliter poſſibilis; eo maxime, quod ſi non ſit moraliter poſſibilis, neque etiam eſt juſta.

CAPUT II.

De promulgatione Legis.

1. COnſtat ex præcedenti Capite, ad eſſentiam Legis requiri, ut Communitati denuntiata ſit. Cum enim lex ſit communis vivendi regula, ideo publicari debet, ut omnes ſecundum eam actiones ſuas inſtituere poſſint, juxta legem 9. C. de Legibus: *Leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.*

Lex publice in Curia Principis promulgata, quatenus eſt ex ſua parte, ſtatim habet eſſentialem vim obligandi ſubditos omnes, licet ſecundum actum non adſtringat invincibiliter ignorantes. Patet ex Cap. 1. de Conceſſ. præb. in 6. *Lex, ſeu conſtitutio, & mandatum nullos adſtringunt, niſi poſtquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut niſi poſt tempus, in-*

ſto quod ignorare minime debuiſſent: Simile habetur in igne, qui quidem per ſe habet poteſtatem urendi omnes, ſed neminem, niſi propinquum ſibi.

2. Ad ſubſtantiam legis non requiritur ſcriptura, ſed ſufficit, voce, vel alio ſigno denuntiatam eſſe. Quod ſi Jus a Juſtin. ſcriptum nuncupetur, id non ideo fit, quod requiratur ad legis ſubſtantiam ſcriptura, ſed quod lex plerumque in ſcriptum redigatur, ut non pereat.

3. Si Legiſlator tempus adjiciat, ex quo lex ſua obligare debeat, incipit ejus obligatio ſecundum voluntatem ita ſtatuentis.

4. Si Legiſlator nullum tempus adjiciat, diſcrimen eſt inter Legem Imperatoriam, & Pontificiam: Illa enim ante obligandi vim non acquirit, quam elapſo bimeſtri poſt factam promulgationem in ſingulis Provinciis. Pontificia autem, ſimul ac in Curia Romana promulgata eſt, in toto orbe obligandi vim habet, quatenus eſt ex parte legis. Prob. prior pars ex Concilio Tridentino, ubi Pius IV. ſic ait: *Quia tamen jure etiam communi* (Cæſareo) *ſancitum eſt, ut Conſtitutiones novæ vim non niſi poſt certum tempus obtineant.* Poſterior prob. Quia lex ad ſui valorem ſuapte natura plus non poſtulat, quam ut ſemel in Curia Principis publicetur, unde deinde in aliorum notitiam devenire poteſt: Neque etiam Eccleſiaſtica aliqua Conſtitutio extat, quæ majorem publicationem, aut temporis aliquod intervallum poſt primam promulgationem requirat.

5. Hinc diſcrimen eſt inter utramque legem, quod licet Imperatoria intra duorum menſium ſpatium poſt promulgationem a majore parte Provincialium recipiatur, & in uſum deducatur, nullam tamen re ipſa obligationem adferet, ſed a quovis ſubdito ſine culpa intra illud tempus negligi poteſt. Lex autem Pontificia, ſimul ac Romæ publicata eſt, omnem vim obligandi habet. Cur autem Diœceſanos abſentes lex Romæ promulgata non ſtatim obliget, id non provenit ex defectu legis, ſed alicujus conditionis accidentalis, puta, quia eam ignorant.

6. Elapſis duobus menſibus poſt promulgationem Legum Cæſarearum factam in Metropoli Provinciæ ignorantia probabilis non præſumitur, ſed ab allegante probari debet.

7. Lex etiam Eccleſiaſtica, ſi ſit irritans alicujus actus, jure naturali, & divino alioquin ſubſiſtentis, plerumque cenſeri non debet effectum ſortiri, priuſquam in Diœceſi promulgata ſit. Exemplum habes in Concilio Tridentino, Seſſ. 23. cap. 45. de Reformat. *Ubi requirit approbationem Epiſcopi ad exponendos Sacerdotes*. Et in Bulla Pii V. infirmantis contractus cenſuales, quamvis ea Bulla apud nos recepta non ſit.

Ratio eſt: Quia alioquin ejuſmodi leges in multorum detrimentum ceſſuræ eſſent, qui invincibili earum ignorantia laborantes tales contractus celebrarent, vel a ſacerdotibus non approbatis Sacramentalem abſolutionem poſtularent, ſicut antea conſueverant. Siquidem hoc proprium eſt legum irritantium actum non in odium agentium, ſed ob defectum ſolemnitatis, quod poſtquam ejuſmodi leges vim obligandi conſecutæ ſunt, effectum irritationis conſequantur etiam erga ignorantes.

CAPUT III.

De acceptatione Legis.

1. LEx ſubſtantiam ſuam promulgatione accipit; neque intrinſece dependet a populi acceptatione, quamvis per eam accidentaliter perficiatur, juxta Gratianum diſt. 4. *Leges inſtituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium comprobantur.* Ratio Concluſionis eſt: Quia, poſtquam populus omnem ſuam poteſtatem in unum Regem, vel paucos Optimates abſolute contulit, poſſunt hi, & niſi aliud ſignificent, cenſendi ſunt, etiam velle juſtis ſuis legibus ſubditos obligare ad recipiendum, & parendum; cum alioquin ultima, & ſuprema poteſtas non penes Regem, vel Optimates, ſed penes populum foret, adeoque non eſſet forma Reipublicæ Monarchicæ, vel Ariſtocraticæ, ſed Democraticæ. Quod vero attinet Legem Pontificiam, ea multo minus a populi acceptatione dependet; quandoquidem Papa ſupremam in Eccleſia poteſtatem non a populo per electionem, ſed immediate a Chriſto ac-

cipit ex vi primæ inſtitutionis, & promiſſionis Sancto Petro factæ. Matth. 16.

2. Epiſcopis, præſertim Metropolitanis, ex officio incumbit, novas Pontificias Conſtitutiones in Diœceſibus promulgare, atque in uſum deducere, ſaltem poſtquam ex Curia Romana authentice ipſis transmiſſæ fuerunt.

3. Diœceſanus nec de peccato damnari, nec puniri poteſt, ſi legem Pontificiam in Diœceſi non promulgatam, neque uſu receptam ipſe quoque non ſervet. Primo: Quia contraria non paucorum Doctorum Sententia, quod non minus ad Pontificiam, quam Imperatoriam legem opus ſit promulgatio in Provinciis, probabilis ipſis videri poteſt, cui proinde ſe conformare liceat. Deinde, quia præſumendum non eſt, mentem Legislatoris eſſe, ut lex, præſertim in diœceſi non promulgata a Diœceſano uno, vel paucis obſervetur, ſi major Communitatis pars non recepit, neque brevi tempore receptura, vel obſervatura exiſtimatur; ſiquidem legem, cum ſit commune mandatum, communiter obſervari oportet.

Si Legislator ad legis obſervationem ſubditos compellat, & transgreſſores puniat, tunc ſinguli eam obſervare tenentur, ſi juſta ſit, etiam ſi major pars reſiſtat: Quia ratio naturalis poſtulat, ut in ſchiſmate quodlibet membrum ſui capitis potius, quam reliquorum membrorum ductum ſequatur.

4. Si lex legitime promulgata a majore populi parte ſub rationabilis cauſæ prætextu non recipiatur, curris contra eam præſcriptio, quæ ſaltem decem annorum ſpatio abſolvitur. Cum enim lex jam recepta, & uſu confirmata per contrariam conſuetudinem abrogari poſſit juxta Cap. ultim. de conſuet. multo magis ab initio per non uſum ei derogari poterit. Quare mirandum etiam non eſt, plùs temporis (40. ann.) requiri ad abolendam via præſcriptionis legem Eccleſiaſticam receptam, quam non receptam; quia illa plus roboris, quam hæc obtinet.

Sed licet V. C. Epiſcopi peccarint in non recipiendo Concilio Trident. tamen eorum Succeſſores, ſi Pontificiam Conſtitutionem per longam temporis moram nunquam in Diœceſi receptam, vel obſervatam videant, per non uſum titulo præſcriptionis ſublatam credere poſſunt. Hinc V. C. Trid. Conſtitutiones, quæ hactenus non receptæ, aut in praxin deductæ non ſunt, vim obligandi non habent, ut neque Doctores ex Cathedra, multo minus Judices in foro externo, vel interno cauſas definire debeant ſecundum leges non receptas.

5. In legum obſervatione quilibet conformari debet illi Communitati, cujus ipſe proxima pars eſt: Quare ſi lex in aliis Provinciis recepta ſit, in tua non ſit, ejus obligatione non adſtringeris.

6. In dubio, num lex recepta ſit, pro ipſa præſumendum eſt. Ratio: Quia factum in dubio præſumitur, ſi de jure faciendum erat.

Si nova Conſtitutio Provinciæ non conveniat, Legislatori ſupplicari poteſt, atque interim, dum reſponſum expectatur, ejus executio differri.

CAPUT IV.

De materia Legis humanæ.

1. Lege humana, etiam civili, præcipi poſſunt non tantum opera juſtitiæ, ſed aliarum moralium virtutum, iiſque contraria prohiberi.

2. Non omnes virtutum actiones præcipi poſſunt (quia quædam nimis arduæ, ut Conſilia Evang.) neque omnia peccata, etiam externa, ab humano Magiſtratu prohiberi; ſed multa permitti debent (ſic lupanaria, uſuræ Judæorum) ad majus Reipublicæ malum evitandum; quia lex humana ponitur multitudini, ſeu Communitati, in qua major pars eſt hominum virtute non perfectorum. Quare ferme non niſi graviora peccata legibus prohiberi ſolent, a quibus moraliter poſſibile eſt, majorem partem abſtinere, maxime quæ aliis noxia ſunt, & humanæ ſocietati incommodant.

3. NB. Etiam præcipi, & prohiberi poſſunt, quæ alioquin ſub naturale, & divinum præceptum cadunt; quia nihil prohibet, aliquem pluribus titulis obligari ad id præſtandum, vel omittendum.

NB. Quod lege naturali, aut divina abſolute præceptum eſt, interdum humana lege determinatur ad certum tempus, V. C. Paſchalis Communio, preces Horariæ.

4. Legislator juxta legitimam ſuam intentionem, ſeu motivum efficere poteſt, ut opus aliquod ſit medium, ſive materia alicujus virtutis conveniens, aut neceſſaria (ſicut videre eſt in Eccleſiaſticis præceptis jejunii, Miſſæ) Idem dicendum de actionibus ex objecto indifferentibus; ut mercatura diebus feſtis, reverentia, & cultus Religionis. Hinc, qui jejunium violat, contra temperantiam peccat, cujus intuitu, ac fine lex Eccleſiaſtiaca lata fuit, & qui mercaturam die feſto exercet, contra virtutem Religionis.

5. Nulla lex humana extendere ſe poteſt ad actus mere internos per ſe præcipiendos. Prob. ex jure Can. cap. 2. 15. q. 6. *Quod non poſſit humano judicari examine, quem Dominus ſuo reſervavit judicio*. Et in cap. ſicut de Sim. *Eccleſiam non judicare de occultis*. Et lib. 18. de pœnis apud Gratianum d. 1. de pœnit. *Cogitationis pœnam nemo patitur*. Quod verum eſt, ſi ſtetur intra fines cogitationis; non item, ſi exequendi propoſitum externo ſigno manifeſtetur, quamvis ſine ſucceſſu. Prob. 2. Rationibus: Quia fruſtra, & inefficaciter lex ad Communitatem fertur, ſi Legislator cognoſcere non poſſit, utrum obſervetur, neque ad ejus obſervationem compellere. Quare *leges ferre, & ſecundum leges judicare ad eandem poteſtatem pertinet*: Atqui de Actibus internis ſuapte natura latentibus humanus Legislator judicare non poteſt. Nam *ſecretorum ſolus Deus cognitor, & judex eſt*. cap. Erubeſcant. d. 32. Ergo. Secundo: Cum omnis humana poteſtas in hominum ſocietate fundetur, hæc autem materialis, & ſenſibilis ſit, convenit, ut humana poteſtas ſolum ſe extendat ad actiones humanas, quatenus in exteriorem materiam tranſeunt, & ſigno aliquo produntur. Tametſi quandoque hujuſmodi externæ actiones occultæ manent per accidens, quia a nemine videntur, ac teſtibus deſtituuntur. Sic Eccleſia prohibet, & lata Excommunicatione punit V. C. hæreſim, externo ſigno prodiram.

NB. Occultum duplex eſt: Per ſe, quod non eſt probabile, ſed ſuapte natura occultum; ut cogitationes. Et occultum per accidens, quod exterius expreſſum eſt, ut ſuapte natura deprehendi poſſit, licet a nemine deprehendatur.

6. Qui opus præceptum, quatenus ex objecto bonum eſt, implet, quamvis mala intentione, is legem humanam non violat. V. C. Eccleſia præcipit jejunium: Finis autem hujus præcepti eſt, ut gula reſtrænetur, & caro ſpiritui ſubjiciatur. Si jam quis jejunet ob vanam gloriam, is non violat præceptum Eccleſiæ, quamvis ob vanam gloriam venialiter peccet. Ratio: Quia intentio, & finis præcepti non cadit ſub præceptum, imo nec cadere poteſt; cum modus agendi ex virtute, & propoſito honeſtatis omnino intrinſecus, & non apparens ſit.

7. Qui opus præceptum ſecundum ſubſtantiam præſtat, etſi tunc nolit præceptum implere, revera tamen ſatisfacit. Exemplum: Si quis die feſto Miſſam decenter audiat, licet non recordetur, eſſe diem feſtum, tamen ſatisfacit. Sed etſi quis Miſſam die feſto decenter audiat, licet expreſſam habeat intentionem tunc non ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ, ſed aliam audiendi, is revera ſatisfacit, & non tenetur aliam audire.

Ratio Concluſionis eſt: Quia lex tantum præcipit voluntariam operis executionem, non quaſi reflexam implendi præcepti intentionem; imo eam præcipere non poteſt, cum omnino intrinſeca ſit.

NB. Obligatus voto recitandi Roſarii, ſi recitet animo tunc non ſatisfaciendi, tenetur iterum recitare (nam obligatio voti provenit ex voluntate voventis) Sin autem immemor voti ſui Roſarium dicat, revera liberatur.

8. Actus interni ab humana poteſtate præcipi poſſunt, vel prohiberi concomitanter, quatenus requiruntur ad moralem ſubſtantiam actuum externorum. Ratio: Cum homines, qui ſunt membra Reipublicæ, partim interno animo, partim externo, ac materiali corpore conſtent, fit, ut & interiores hominis actiones non aliter ſub Reipublicæ gubernationem cadere poſſint, niſi quatenus ad externas actiones diriguntur, eaſque aliquo modo informant.

9. Si ebrius, dormiens, aut mentis impos dicat Horas Canonicas, non ſatisfacit præcepto, ſed debet eas iterum recitare, ſi ad mentem redeat. Ratio: Quia leges homini imponuntur, ut eas humano, & non brutorum modo impleat. Eadem eſt ratio de eo, qui coactus, & invitus Miſſæ intereſt: Talis non implet præceptum, quia coactio tollit voluntarium, ac li-

ac liberum; ſine quo lex nec impleri, nec violari poteſt. Quæ doctrina univerſim vera eſt, ſi loquamur de formali impletione legis, ad quam omnino requiritur voluntarium.

10. Aliud eſt de materiali executione legis; ut ſi quis in ſomno, vel per vim adactus decimas Parocho ſolvat materialiter, & in effectu ſatisfactum eſt legi, ut non ſit opus alias decimas dare. Nam ſicut homo ſine culpa legem materialiter violare poteſt, V. C. rem alienam ob inculpatam ignorantiam auferendo; ita etiam ſine laude legem materialiter implere poteſt; ut in exemplo poſito; item in jejunio cernere eſt, ſi quis a carnis eſu abſtineat, quia per vim ad eam accedera prohibetur. Sed quædam præcepta verſantur circa actiones, quæ in ſui executione intrinſece includunt voluntarium, & liberum, ut mirum non ſit, a dormiente, ebrio, coacto præſtari non poſſe; & huc ſpectant exempla ſupra poſita de Miſſa audienda, Canonicarum Horarum prece, quippe quæ voluntariam animi attentionem neceſſario requirere videntur.

11. Qui opus ſub Cenſura Eccleſiaſtica prohibitum omnino invitus intermittit, modo illud opus ſpectata intentione Eccleſiæ in executione non requirat intrinſecum concurſum voluntatis, evitat Cenſuram; ut ſi ſolutio decimarum ſub Excommunicatione præcipiatur, & aliquis vi adactus ſolvat: Secus, ſi opus ab Eccleſia præceptum requirat intrinſecum concurſum voluntatis, ut ſi ſub pœna Excommunicationis Miſſæ auditio præcepta ſit, & quis vi adactus audiat, incurrit pœnam Excommunicationis. Denique, qui opus qualecunque ſub Cenſura prohibitum omnino invitus intermittit, pœnam ſtatutam non incurrit; ut ſi in Diœceſi ſub Excommunicatione prohibitum ſit, carnes in Quadrageſima comedere, & Titius per violentiam ab amicis arceatur, ne eas comedat. Ratio harum aſſertionum eſt: Nam leges pœnales intelliguntur ſecundum effectum realem, & conſummatum: qui autem omnino invitus, & reluctans continetur in loco ſacrificii, is reipſa non exequitur opus præceptum, ſed legem omnino violat. Qui vero coactus decimas Parocho ſuo ſolvit, & invitus abſtrahitur ab eſu carnium die interdicto, hi licet ſecundum internum affectum transgrediantur legem, non tamen ſecundum effectum externum, ſeu conſummationem: Ergo cenſuram legis non incurrunt.

12. Qui ob metum opus præceptum exequitur, V. C. puer, qui ob metum verberum a pædagogo adactus Miſſam decenter audit, ſatisfacit. Ratio: Quia metus non tollit voluntarium ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid. Quod ſi vero puer ſub conditione nollet audire, ſi pædagogus non adeſſet, nihilominus implet præceptum, licet peccet contra Religionis virtutem interno affectu; quia lex Eccleſiæ directe tantum præcipit attentam Miſſæ auditionem, quam ſi puer adhibuit, totum præceptum implevit. Verum eadem lex per conſequentiam efficit, ut, dum præcipit Miſſam audiri, ipſum propoſitum tum abſolutum, tum conditionatum, imo etiam ſimplex affectus non audiendi Miſſam, ſi non auferat malitiam objecti, prohibitus ſit.

Eodem modo peccat, quem poſtea pœnitet, quod audierit Sacrum. Hoc ſumitur ex c. Nulli diſt. 19. *Nulli fas eſt vel velle, vel poſſe transgredi Apoſtolicæ Sedis præcepta.*

13. Cum lex Eccleſiaſtica præcipit opus aliquod pium, V. C. vocalem orationem, ſacram Confeſſionem, conſequenter etiam præcipit actum internum mentis, quem opus illud eſſentialiter includit, quia Eccleſia non præcipit, ut ſimulate orent, nec ficte confiteantur; qui autem ſine interna attentione orat, confitetur ſine ulla animi contritione, is non vere, ſed ficte orat, & confitetur: Ergo non ſatisfacit Eccleſiæ præcepto.

NB. Non poteſt Prælatus, niſi Regularis ſit, ſubditum ſub peccato obligare ad habendam certam intentionem in opere. V. C. ut jejunia, & orationes fiant in ſtatu gratiæ. Prælato tamen Regulari paulo major poteſtas in ſuos competit ratione voti religioſi, obediendi Prælato in omnibus, quæ ſecundum Regulam, vel Ordinis conſuetudinem præcipiuntur.

14. In iis, quæ pertinent ad naturam corporis conſervandam, & propagandam, homo ſui juris eſſe debet, ac ſoli Deo ſubjectus. Ratio: Quia omnes homines natura ſunt pares in his, quæ pertinent ad corporis conſervationem, & prolis generationem. Unde non tenentur nec ſervi dominis, nec filii parentibus obedire in matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda, &c. Sed in his, quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum, & rerum humanarum, tenetur ſubditus ſuo Superiori obedire ſecundum rationem ſuperioritatis: Sicut miles Duci exercitus in his, quæ pertinent ad bellum: ſervus domino in his, quæ pertinent ad opera ſervilia; filius patri in pertinentibus ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam.

Regula in praxi obſervanda.

I. Confeſſarius habere deberet præ manibus eam doctrinam, qua dicitur Eccleſiam non judicare de internis; nam ex ea ſtatim cognoſcet quæcumque peccata interna etiam graviſſima, & innodata excommunicatione reſervata, qualis eſt hæreſis formalis, poſſe ab eo abſolvi; dummodo pœnitens ſit diſpoſitus. Sed videat ne erret, confundendo peccata interna cum peccatis occultis.

Poteſt etiam quæcumque peccata reſervata, ſemper cum ſolum ſunt interna, abſolvere; & hoc non quia Eccleſia in ordine ad abſolutionem non judicet de internis, ſed quia, ut obſervant omnes Theologi, non ſolet reſervatione punire niſi culpam gravem, & externam.

II. Ea doctrina, qua dicitur, non eſſe neceſſariam intentionem ſatisfaciendi præcepto, ut præceptum de aliqua re adimpleatur, Confeſſarius poterit ſæpe occurrere conſcientiis ſcrupuloſorum. Recitant e. g. iſti Horas Canonicas, vel pœnitentiam ſacramentalem, & cum non videatur ipſis hujuſmodi recitare, ut par eſt, non habent intentionem ea ratione ſatisfaciendi, ſed intendunt eam repetere. Poterit ergo Confeſſarius illis interdicere novam recitationem, neque enim erat neceſſaria intentio ea recitatione ſatisfaciendi: immo ſatisfecerunt etiam habendo intentionem non ſatisfaciendi, ſed iterum repetendi, dummodo recitaverint virtuali ſaltem attentione. Idem dicat de illo, qui audit Miſſam die feſto; ſed cum non videatur ipſi audire, ut optaret, intendit novam Miſſam audire.

III. Videat etiam Confeſſarius, ne redigat in anguſtiam conſcientiam pœnitentis, quoties poſuit opus, ad quod tenebatur, quamvis non recordaretur ſuæ obligationis. Tenebatur e. g. ex voto recitare Roſarium, idemque recitevit immemor ſuæ obligationis. Tenebatur ex voto, vel ſacramentali ſatisfactione, vel ex in certa reſtitutione facere aliquam eleemoſinam, eamdemque præſtitit immemor pariter ſuæ obligationis: non eſt, ex dictis, adigendus ad novam ſatisfactionem, & ita de cæteris.

CAPUT V

De Juriſdictione.

1. Juriſdictio eſt facultas alicujus habentis publicam auctoritatem, & eminentiam ſuper alios, ad eorum regimen, & gubernationem.

Actus Juriſdictionis ſunt leges condere, in iis diſpenſare, præcipere, judicare, punire, miniſtros publicos creare, pupillis tutores dare, Minores, atque Eccleſias læſas in integrum reſtituere, item Sacramenta adminiſtrare.

2. Juriſdictio alia eſt ordinaria, quæ competit Judici ex proprio munere: Alia delegata, quæ competit Judici non niſi ex commiſſione.

3. Juriſdictio alia eſt contentioſa, ad quam pertinet leges condere, præcipere, punire, cauſas civiles, & criminales definire. Voluntaria alia, ad quam pertinet legitimare, diſpenſare, beneficium conferre, Sacramenta miniſtrare, matrimonio aſſiſtere, late loquendo de hoc ultimo actu.

4. Voluntaria Juriſdictio ſic dicta, quia non niſi volentibus fit, extra proprium territorium exerceri poteſt erga ſubditos, eo quod non ordinarium juris proceſſum, nec judicem pro tribunali ſedentem requirat; ideo nulla injuria infertur extraneo Judici.

NB. Tamen ad vitandum ſcandalum privatim exercere debet voluntariam Juriſdictionem in aliena Diœceſi. Contentioſa vero Juriſdictio in alieno territorio abſque expreſſo, vel tacito conſenſu exerceri non poteſt: *Cum extra territorium jus dicenti impune non pareatur.* Cap. 2. de Conſtit. in *6.*

5. Parochus in aliena Parochia ſuorum ſubditorum nuptias benedicere non debet, neque Epiſcopus in aliena Diœceſi Ordines, aut Sacramentum Confirmationis conferre; ſed in Pontificalibus (abſque uſu pallii) extra Diœceſin ſacrificare non prohibetur.

6. Dividitur Juriſdictio, quod alia ſit Eccleſiaſtica, ſubdiviſa in externum forum, & internum: Alia civilis.

Juriſdictio utraque dividitur in Imperium, quod Judici nobili proprio motu competit, & per ſe ſtat: Et in ſimplicem Juriſdictionem, quæ exercetur Judicis officio mercenario. Mercenarium Judicis officium vocamus, quod deſervit actioni mere civili. Civilis actio eſt, per quam pars litigans intendit conſequi jus proprium, ſive quod ſua intereſt, Legiſtæ *intereſſe* vocant. Igitur ſimplicis Juriſdictionis officium ideo dicitur mercenarium, quod Ju-

dex motu proprio, ſive ex officio procedere non poſſit ad cauſas, & lites civiles, ſed ſolum ad inſtantiam actoris: Quare partibus actione deſiſtentibus, vel transactione compoſitis Judex ceſſare cogitur; illis autem inſtantibus, & judicium poſtulantibus debet ſententiam ferre, neque poteſt partes ad compoſitionem compellere, niſi in raro caſu, ſi lis nimis diuturna, & intricata ſit, ut expediri facile non poſſit.

8. Imperium aliud eſt merum. Exercetur Judicis officio nobili, publicam utilitatem reſpiciente: Ejus actus ſunt Leges condere, maleſactores punire, &c. Aliud eſt mixtum, quod exercetur Judicis officio, privatam utilitatem reſpiciente: Ejus actus ſunt diſpenſare, privilegium dare, ætatis veniam tribuere, tutores ſtatuere, in integrum reſtituere.

9. Merum Imperium quibuſdam gradibus diſtinguitur.

Primus eſt maximi Imperii, quo pertinet poteſtas bellum inferendi, univerſales leges condendi, Concilia, & comitia cogendi, &c. poteſtas monetam cudendi, tributa imponendi, quæ Regalia dici ſolent, quia propria Regum, ac ſupremæ poteſtatis ſunt.

Secundus gradus eſt majoris Imperii, quo pertinet poteſtas facinoroſis hominibus mortis &c. ſupplicium decernendi. Huc ſpectat poteſtas maximæ capitis diminutionis, per quam jus civitatis, & libertatis amittebatur, ſed non amplius in uſu. Huc etiam pertinet poteſtas Clericum degradandi, excommunicandi non ad inſtantiam partis læſæ, ſed motu proprio.

Tertius gradus eſt Imperii magni, quo pertinet poteſtas aqua & igne interdicendi, quæ deſiit, diciturque capitis diminutio minor, per quam jus civitatis, ſed non libertatis amittebatur.

Quartus gradus parvi Imperii, quo pertinet poteſtas relegandi, torturæ ſubjiciendi, flagellis puniendi.

Quintus gradus eſt Imperii minoris, quo pertinet modica coercitio in corpore.

Sextus gradus eſt Imperii minimi, quo pertinet exigua mulcta pecuniaria, qui duo poſtremi gradus cuilibet Magiſtratui tam civili, quam Eccleſiaſtico competunt.

Imperium mixtum pari fere modo in ſuos gradus diſtingui poſſet. Eſt enim unus gradus maximi Imperii, Principi reſervatus, V. C. illegitimum, vel communi jure infamem famæ reſtituere. &c. Et ſic deinceps in inferiores gradus deſcendi poteſt.

10. In generali meri, aut mixti Imperii conceſſione, a Principe alicui facta, non cenſentur ea comprehenſa, quæ primi gradus, adeoque propria ſupremæ poteſtatis eſſe ſolent, niſi ſpeciatim exprimantur, juxta regulam 81. in 6. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus.*

11. Generalibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, item Epiſcopis, & Prælatis, ſimilem Epiſcopali juriſdictionem obtinentibus, competunt ea omnia, quæ ſunt meri, aut mixti Imperii Eccleſiaſtici, dempto primo gradu.

CAPUT VI.

De Lege, ac Legislatore Eccleſiaſtico univerſali.

1. LEx, & legislatrix poteſtas alia eſt Eccleſiaſtica, alia civilis. Differunt inter ſe ratione originis: quia Eccleſiaſtica immediate a Deo inſtituta eſt, civilis ab hominibus. Et ratione finis; quia lex Eccleſiaſtica per ſe, ac directe verſatur circa res ſpirituales ad ſalutem animarum ordinatas. Civilis vero directe temporalem tantum commoditatem ſpectat.

2. Civilis poteſtas ſubordinata eſſe debet Eccleſiaſticæ ratione finis, ſicut corpus animæ, naturalia ſupernaturalibus, temporalia æternis.

NB. Poteſtas Eccleſiaſticorum Præſulum, etiam Papæ, ad aliorum regnorum jura, & cauſas civiles directa, & ordinaria via ſe non extendit; quia hæ duæ poteſtates propriis officiis, ac dignitatibus diſcretæ ſunt, & utraque in ſuo jure perfecta.

§. I.

De Summo Pontifice.

3. SUmmus Pontifex eſt totius Chriſtiani populi Paſtor, omnium Eccleſiarum caput, & Epiſcopus Epiſcoporum, juxta Matth. 16. *Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus &c.* Et Joannis 21. *Paſce oves meas.*

4. S. Petrus etiam ipſis reliquis Apoſtolis a Chriſto præpoſitus fuit. Nam licet omnes Apoſtoli juriſdictionem a Chriſto acceperint ſuper fideles juxta Matthæi 18. *Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo*, tamen ut Eccleſiæ unitas ſub uno Capite, & Paſtore conſervaretur, unum etiam reliquis Apoſtolis Chriſtus præpoſuit Petrum.

5. Poteſtas collata S. Petro ſuper Eccleſiam Chriſti non fuit tantum perfecte univerſalis, ſed etiam ordinaria, ſive perpetuo in Succeſſoribus duratura, juxta Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Sicuti enim viſibilis Eccleſia Chriſti perpetuo duratura eſt, ita & ejus fundamentum, & Paſtor; quod cum in perſona S. Petri fieri non poſſit, in ejus Succeſſoribus fieri debet.

6. Suprema Juriſdictio non confertur Papæ a Cardinalibus per electionem, ſed a Chriſto provenit vi promiſſionis factæ S. Petro; Cardinales enim tantum deſignant perſonam, cui ex vi promiſſionis juriſdictio confertur. Quomodo enim Cardinales conferant poteſtatem, qua ipſi carent? Quandoquidem *nemo poſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur*. Reg. 79. in 6.

7. Summus Pontifex ab Eccleſia judicari non poteſt, niſi in cauſa hæreſis; cum enim poteſtatem ſuam non ab Eccleſia, ſed a Chriſto acceperit, conſequens eſt, ut eadem excidere non poſſit, niſi Chriſto permittente, & auferente. Quod accidit 1. Si in hæreſin notoriam labatur. 2. Si Papa reſignet Eccleſia acceptante. 3. Si exterius ſe gerat ut hæreticum, ideoque Eccleſia alium eligat. 4. Tempore ſchiſmatis, ſi Eccleſia cognoſcere non poſſit, quis verus Pontifex ſit, poteſt alium eligere.

8. Sedes Romana per antonomaſiam Apoſtolica appellatur, non tantum, quia in ea Principi Apoſtolorum Petro ſuccceditur, ſed etiam, quia cum ſimili authoritate Apoſtolicæ, & univerſalis gubernationis ſuccceditur, quod nulli alteri Epiſcoporum conceſſum eſt; ii enim Apoſtolis ſucceſſerunt in Epiſcopatu Eccleſiæ particularis, ſed non in Apoſtolatu, ſeu univerſali juriſdictione erga fideles omnes.

NB. Quod Romani Pontifices abhorrere ſoliti ſint a nomine Œcumenici, ſeu Epiſcopi univerſalis propter Conſtantinopolitanos Patriarchas, qui hoc nomen ſuperbe ſibi arrogare auſi ſunt.

§. II.

De Generalibus Conciliis.

9. COncilia generalia dicuntur, quæ Summi Pontificis authoritate congregata ſunt, univerſi orbis Chriſtiani Epiſcopis convenientibus (ſaltem potentibus venire, & nemine excluſo) Ea poteſtatem habent univerſales leges in Eccleſia condendi, & fidei controverſias decidendi. Decreta tamen debent mitti Romam, & a Papa confirmari; nam Papa extra Urbem non ſolet in propria perſona intereſſe Conciliis.

10. Soli Epiſcopi in Conciliis ſententiam deciſivam dicunt, jure proprio, & ordinario; ſed ex privilegio, & conſuetudine etiam aliis Eccleſiaſticis, non item laicis (ne quidem Imperatori) perſonis competere ſolet, juxta illud Act. 20. *Attendite vobis, et univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* Quare cum omnes fideles ad Concilium venire poſſibile, aut conveniens non ſit, eorundem capita vicem omnium repræſentant.

§. III.

De Jure communi Canonico.

11. JUs commune Canonicum, quatenus in ſcholis traditur, 5. partes complectitur. 1. Decretum Gratiani Monachi Benedictini, ex Sacræ Scripturæ Sententiis, Conciliorum, & Pontificum Decretis, Roma-

norum

norum Imperatorum legibus ; & Patrum dictis compilatum . 2. Quinque libros Decretalium . 3. Sextum Decretalium . 4. Clementinas . 5. Et Extravagantes Conſtitutiones.

12. Opus Gratiani hactenus a nullo Pontifice approbatum eſt; quamobrem, quæ in eo adducuntur Capitula, ſingula ad ſuam originem revocanda ſunt, ut appareat, quantam authoritatem mereantur.

NB. Licet Gratiani, & SS. Patrum dicta nullam per ſe authoritatem juris habeant, (cum in Jure condendo non ſola ſcientia, ſed magis etiam poteſtas neceſſaria ſit, juxta c. 5. diſt. 20.) tamen conſuetudo obtinuit, ut in externo foro etiam illa ad cauſarum deciſionem inſerviant.

Quinque libri Decretalium ſunt variorum Pontificum reſcripta, a Gregorio IX. congeſta.

Sextus Decretalium a Bonifacio VIII. ex diverſorum Pontificum reſponſis compilatus eſt.

Clementinæ ſunt Conſtitutiones Clementis V.

Extravagantes ſic dictæ Conſtitutiones Joannis XXII. *aliorumque Pontificum, quæ antea extra Corpus Juris Canonici, quaſi incerta ſede vagabundæ, poſtea in ordinem Juris redactæ ſunt*. His annumera Canones, & Decreta Conciliorum generalium, Bullas variorum Pontificum, & Conſtitutiones extravagantes, quæ necdum in commune Corpus Juris inſertæ ſunt.

13. Epiſtolæ, & reſponſa Pontificis legum univerſalium vim obtinent: idcirco ubique allegari poſſunt, etiamſi ad particolares Eccleſias ſcribantur, niſi ex ſpeciali cauſa, loco, tempore, &c. prodierint, tunc etiam ad alias cauſas transferri non poſſunt.

Definitiones, ſeu Decreta fidei diſcernenda ſont a Decretis morum, quæ ſunt proprie dictæ leges; nam Eccleſiaſticæ definitiones, ſive Canones fidei ita infallibilem veritatem habent, ut nullo poſteriore Concilio, vel Pontificia authoritate mutari, aut revocari poſſint. Morum vero Decreta, ſive Canones pro temporum, aliarumque circumſtantiarum varietate abrogari, derogari, vel deſuetudine aboleri nihil prohibet.

C A P U V VII.

De particularibus Eccleſiaſticis Legiſlatoribus; eorumque Juriſdictione.

ECcleſiaſticas leges non ad univerſam Eccleſiam ſed ad proprios ſubditos ferre poſſunt Concilia particularia, Epiſcopi, Archi-Epiſcopi, Legati Sedis Apoſtolicæ, Romanæ Eccleſiæ Cardinales in Eccleſiis ſui Tituli, Generalis Vicarius Epiſcopi, Prælati Ordinum, &c.

§. I.

De Conciliis non Oecumenicis:

1. COncilia non Œcumenica alia ſunt Nationalia, quæ convocatis ejuſdem nationis Epiſcopis, & Archi-Epiſcopis a Primate inditontur. Alia Provincialia, quæ ab Archi-Epiſcopo, convocatis Epiſcopis; alia Diœcaſalia, ſeu Synodalia, quæ auctoritate Epiſcopi convocatis Prælatis, (etiam exemptis) & Parochis quotannis celebranda eſſent, juxta Concilium Tridentinum.

2. Concilia non Œcumenita a Papa approbari neceſſe non eſt, dummodo nihil in iis contra univerſales Canones, vel Eccleſiæ univerſæ conſuetudines decernatur.

§. II.

De Epiſcoporum Juriſdictione;

3. EPiſcoporum Eccleſiaſtica Juriſdictio quoad ſubſtantiam ex divina inſtitotione eſt, juxta Act. Apoſt. 20. *Poſuit vos Spiritus S. Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei*. Quoad modum vero, & ordinem inſtitutionis a Summo Pontifice eſt. Ratio: Quia Chriſtus perfectam Eccleſiæ Monarchiam conſtituit; ad Monarchiæ autem perfectionem pertinet, ut ſub uno Monarcha alii ſint in Republica inferiores Principes, (ſicut in Romano Imperio poſt Imperatorem Duces, Marchiones) quaſi totius corporis nervi, aut manus, dependentes a ſummo Capite; quod Chriſtus voluit propter convenientem ſtatum totius Eccleſiæ.

4. Olim tres tantum dicebantur Eccleſiæ Patriarchales, quæ a S. Petro tanquam a ſummo capite fundatæ erant,; Romana, Alexandrina, & Antiochena.

5. Ad Romanum Pontificem pertinet Epiſcopos electos confirmare, eorum juriſdictionem tum locorum ſpatiis, tum cauſarum qualitate definire, eoſdem juſtas ob cauſas deponere. Patet ex perpetua praxi Eccleſiæ, & traditione. Unde patet, eorum juriſdictionem quoad modum non a Chriſto divino jure, ſed a Papa humano jure ipſis competere.

NB. 1. Quod poteſt Papa in tota Eccleſia, id poteſt etiam Epiſcopus in ſua Diœceſi; intellige, tum dependentia, & ſubordinatione ad Papam, tanquam Superiorem, & exceptis cauſis majoribus ſoli Papæ reſervatis.

NB. 2. Epiſcopi non ſuccedunt Apoſtolis in Apoſtolatu, ſed in ſacerdotalis Ordinis dignitate.

6. Patres in Concilio VI. Carthaginenſi appellationem ad Sedem Apoſtolicam abſolute non negarunt, ſed modum ſuſcipiendi appellationem improbarunt.

NB. 3. Epiſcopi condemnatio eſt ex gravioribus cauſis, ideo ſoli Sedi Apoſtolicæ reſervatur.

§. III.

De Juriſdictione Metropolitani, & Archi-Epiſcopi.

7. MEtropolitanus eſt Ordinarius Superior Coepiſcoporum Provinciæ; tamen in cauſis criminalibus, quæ depoſitionem merentur, contra aliquem eorum procedere non debet ſine Sedis Apoſtolicæ authoritate.

8. Metropolitanus in ſubditos Coepiſcoporum nullam ordinarie juriſdictionem obtinet, niſi ad ipſum a ſuo Epiſcopo appellarint.

Metropolitanos, antequam pallium a Sede Apoſtolica accepit, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, exercere ipſemet non debet, ſed Suffraganeo ſuo ordinandi facultatem concedere poteſt, cum talis demandatio juriſdictionis actus ſit, quem exercere poteſt, quamprimum confirmatus eſt.

NB. Pallium quaſi ſingulare privilegium perſonæ conceditur, ut eo in certis feſtis diebus ipſemet utatur in Eccleſiis Provinciæ ſuæ, neque alteri Epiſcopo commodari poſſit, ſed cum eo mortuus ſepeliri debeat.

§. IV.

De Juriſdictione, & poteſtate Capituli;

9. EPiſcopus ſine conſilio Capituli ſtatuere non debet, quod alicujus momenti ſit.

Epiſcopi, & Canonici faciunt unum corpus.

Si conſilium alicujus de jure requirendum ſit, non idcirco etiam conſenſus requiritur. Hinc, licet Capitulum requiſitum non conſentiat, tamen ſtatutum Epiſcopi erit firmum; tamen in cauſis, quæ ad damnum Capituli cedere poſſunt, requiritur etiam conſenſus.

10. Capitulum ſine conſenſu Epiſcopi ſtatuere poteſt in rebus exiguis, & ad ipſum proprie ſpectantibus; non in gravibus, quia Epiſcopus eſt Generalis Sponſus Eccleſiarum ſuæ Diœceſis.

11. Capitulum, ipſeque Decanus communi jure nullam juriſdictionem habet in ſingulos Canonicos, & Eccleſiæ ſuæ miniſtros, niſi eſſet conſuetudo, aut præſcriptio, ſed ipſemet Epiſcopus eſt ordinarius Judex, & Paſtor totius Diœceſis.

12. Sede Epiſcopali vacante Capitulum exercet omnem juriſdictionem tam voluntariam, quam contentioſam. Hinc ſolet Capitulum aliquando Sede vacante communi conſenſu condere ſtatuta pro Eccleſiæ reformatione, quas recapitulationes vocant, & vim legis obtinent, ſi ſacris Canonibus non repugnant.

13. Beneficia, quæ patronata non ſunt, Capitulum Sede vacante conferre non poteſt.

14. Capitulum non ſuccedit in juriſdictione Epiſcopo delegata, quia cenſetur electa induſtria perſonæ, & ratione dignitatis, ſed Capitulum ſuccedit in Juriſdictione, quæ competit Epiſcopo jure communi, & ordinario.

15. Bona immobilia Eccleſiæ Cathedralis, & mobilia pretioſa, ſi ſervando ſervari poſſunt, vacante Sede abſque authoritate Romani Pontificis alienari non poſſunt, quamvis Epiſcopus, vel ſimilis Prælatus poſtea electus, & confirmatus alienationem ita factam

approbare queat : NB. Cauſa judicialis vacante Sede agitari non poteſt, nec præſcriptio contra Eccleſiam procedere ſolet.

16. Intra annum a die vacationis Capitulum jure novo Concilii Tridentini ordinandi licentiam, vel dimiſſorias dare non poteſt; antiquo jure dare non poterat.

17. Capitulum Sede vacante non poteſt fructus, & commoda Epiſcopatus diſtrahere.

§. V.

De Jurisdictione Vicarii Generalis.

18. GEneralis Vicarius Epiſcopi ex eodem, cujus vicem gerit, tribunali jurisdictionem ordinariam exercet in Diœceſanos, poteſt audire omnium Diœceſanorum confeſſiones, eorumque matrimoniis valide aſſiſtere, atque ejuſmodi facultates aliis ſacerdotibus delegare, in foro eodem contentioſas cauſas agnoſcere, excommunicare, &c. Eſt enim Ordinarius, & Parochorum Superior, Epiſcopi perſonam repræſentans.

NB. A Generali Vicario ad Epiſcopum appellari non poteſt: quia appellatio eſt ad Judicem diverſum: Et appellatio eſſe non poteſt ab eodem ad eundem, ait gloſſ. c. Romanæ. A Decanis autem ruralibus, & foraneis poteſt appellari.

19. Mortuo, vel depoſito Epiſcopo juriſdictio Vicarii Generalis exſpirat, in eoque differt a Delegato, cujus poteſtas ob mortem delegantis non exſpirat quoad negotia cœpta. Ratio eſt; Quia Vicarii Generalis idem eſt cum Epiſcopo tribunal; delegati autem diverſum, & inferius.

NB. 1. Poſt mortem Epiſcopi Vicarius Generalis denuo debet confirmari; ipſo jure enim juriſdictio Vicarii per mortem Epiſcopi extinguitur: Quod ſi revocetur Juriſdictio per mandatum, debet prius intimari Vicario nomine Epiſcopi, & tunc habet primum effectum.

NB. 2. Per Epiſcopi excommunicationem ſuſpenditur etiam juriſdictio Vicarii, ſed non Delegati, cujus juriſdictio non ceſſat ob excommunicationem delegantis, ſi cauſa integra non ſit.

Porro juriſdictio Vicarii Generalis non extendit ſe communi jure ad meras, & voluntarias gratias, V. C. collationes beneficiorum, diſpenſationes in irregularitatibus ex occulto delicto, denuntiationibus matrimonii: poteſt tamen Epiſcopus, & praxis docet, illis ejuſmodi juriſdictionem majorem conferre.

20. Officium Vice-Prioris, Vice-Quardiani, quin & quorundam Vicariorum forenſium mortuo, vel depoſito Principali non exſpirat.

§. VI.

De Juriſdictione Legati Apoſtolici.

21. LEgatus Apoſtolicæ Sedis eſt Ordinarius Judex, & quaſi præſes Provinciæ, ad quam deſtinatus eſt; nec exſpirat illius poteſtas moriente Papa legante.

NB. Legatus poſt Tridentinum Concilium non debet ſuſcipere cauſas ſubditurum, niſi vel per appellationem ad ipſum devolvantur, vel Epiſcopus eas intra biennium a die motæ litis definire negligat.

22. Triplex eſt Legatus Sedis Apoſtolicæ, unus a Latere, vel miſſus cum poteſtate a Latere, qui a die diſceſſus ab Urbe uſque ad diem reditus abſolvere poteſt omnes percuſſores Clericorum. Alius eſt Legatus non a Latere, qui ſolos Provinciales, dum in Provincia moratur, a Cenſura Canonis abſolvit. Alius denique Legatus natus dicitur, cui ratione particularis Eccleſiæ tale munus competit.

23. Delegatus Papæ, & Nuntius Apoſtolicus in cauſa ſibi commiſſa majorem poteſtatem habet aliis Ordinariis locorum. Hinc ax mandato Papæ, etiam non requiſitis Epiſcopis, poteſt viſitare, & cognoſcere cauſas omnium Chriſtianorum.

NB. Dum Delegatus Papæ viſitat, non poteſt ordinarius loci id munus obire: quia per delegationem cenſetur ablata juriſdictio Ordinario, ut non poſſit procedere in cauſa alteri commiſſa, niſi appareat Delegatum contra ordinem juris, ac commiſſionis ſuæ procedere; tunc enim illi reſiſti poteſt per modum defenſionis, ſicut & cuivis alteri privato.

§. VII.

De Juriſdictione Cardinalium Eccleſiæ Romanæ.

24. CArdinales E. R. quaſi Epiſcopalem jurisdictionem obtinent in Eccleſia ſui Tituli.

25. Cardinales, Sede vacante, non exercent juriſdictionem in Eccleſiam univerſalem, niſi urgens neceſſitas incidat. Mortuo enim Papa ſpatia 10. dierum debent eligere alium.

26. Cardinales ex Papæ commiſſione emergentia dubia circa morum reformationem, atque judiciarias lites decidunt.

§. VIII.

De Poteſtate Religionum, et Prælatorum Regularium.

27. IN quavis Religione approbata eſt poteſtas condendi ſtatuta perpetua, quæ Ordini, ac Regulæ conformia ſunt. Eſtque illa poteſtas vel penes Supremum Ordinis prælatum, vel penes Capitulum Generale, aut Provinciale.

28. Prælati Ordinum aliqui exempti ſunt a Jurisdictione Epiſcoporum, V. C. Prælati Mendicantium. Alii non exempti, qui tamen Ordinarii Judices ſuorum Regularium ſunt, ſaltem in cauſis pertinentibus ad regularem diſciplinam: Hinc poſſunt punire, incarcerare, &c.

29. In cauſis criminalibus præſertim majoribus, & depoſitionem merentibus Regularium non exemptorum Judex Ordinarius eſt Epiſcopus. Qua tamen in re conſuetudo locorum attendenda, quæ juriſdictionem dat, & auſert.

NB. Epiſcopi in Germania majorem poteſtatem habent in Monaſteria Ordinum non mendicantium, quam in Italia, Hiſpania, &c. ubi ferme ab omni Epiſcoporum juriſdictione exempta ſunt.

30. Eccleſias unitas Monaſteriis Regularium exemptorum, ſi populum habeant in ſpiritualibus Epiſcopo ſubjectum, idem Epiſcopus viſitare poteſt; non item alias Eccleſias, quæ proprie ad Regulares ſpectant. Nam viſitare eſt actus juriſdictionis, Superiori competens; Ordinarius autem non habet juriſdictionem in exemptos, neque in eorum loca: Sunt enim hæc inter ſe connexa, & acceſſorium ſequitur principale, & locus exemptus cenſetur extra Diœceſin.

C A P U T VIII.

De Lege, & legislativa poteſtate civili, ſive politica.

1. LEgum ferendarum poteſtas hominum naturæ convenit, Deumque authorem habet. Cum enim homo inter omnia animalia maxime infirmus naſcatur, pluribus animi, & corporis ornamentis debitis deſtitutus, ideoque ſuapte natura animal ſociale eſt; ipſa natura, & ratio naturalis eum adigit ad vitæ ſocietatem, & Reſpublicas conſtituendas; ut eadem ratio naturalis dictat, hominum ſocietatem, ſive Rempublicam diu conſiſtere non poſſe, niſi publica poteſtate gubernetur: *Nam, ubi non poteſt gubernator, populus corruet*, ait Proverb. 11. Sapiens.

Ex quo ſequitur, poteſtatem legiſlatricem, & gubernatricem in quavis Republica non ſolum neceſſariam eſſe, ſed etiam Deum primum auctorem habere, juxta Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*. Nam qui dat formam, dat etiam ea, quæ neceſſario formam conſequuntur; ſed poteſtas gubernativa, eſt neceſſaria proprietas naturæ humanæ naturali dictamine in unum coeuntis: Ergo Deus, qui eſt auctor humanæ naturæ, eſt quoque auctor gubernativæ inter homines poteſtatis.

2. Triplex eſt forma Reipublicæ: Democratia (quæ penes populum, ejuſque leges dicuntur Plebiſcita) Ariſtocratia (quæ penes Optimates a populo conſtitutos, ejuſque leges Senatus conſulta dicuntur) Monarchia (quæ penes Regem, Imperatorem, ejuſque leges Principum Conſtitutiones dicuntur.)

3. Leges ferre poſſunt Reſpublicæ liberæ, V. C. Veneta, Genuenſis, Helvetiorum; deinde Reipublicæ ſupremum caput Imperator, Rex, & qui ab iſtis poteſtatem acceperunt.

4. NB. Regna, & Provinciæ Imperatori non ſubje-

ſubjectæ non aſtringuntur legibus Cæſareis ; quædam tamen receptæ ob earum ſapientiam.

5. Licet ordinarie dignitas, & nobilitas uxoris in maritum non redundet ; ſecus tamen eſt, ſi dignitas uxoris maxima ſit, puta, regnum, vel Ducatum poſſidentis. Rex non poteſt in præjudicium regni juriſdictionem, aliave bona ejus alienare. Ratio : Quia bona regni ſunt potius dignitatis, quam propria Regis : quæ cauſa eſt, quod mortuo Rege non dividatur regnum inter filios defuncti ; idque ex primæva regni origine provenit.

6. Communitates in Republica approbatæ, V. C. Mechanicorum (*Zunfften*) ſtatuta intra limites ſuos condere poſſunt, quæ tamen a proprietate publicarum legum nonnihil deficiunt : ſicuti ſtatuta domeſtica a Patrefamilias poſita. Nam legem condere eſt actus juriſdictionis pertinens ad totam multitudinem, vel perſonam publicam, quæ totius multitudinis curam gerit ; atqui communitas V. C. Sartorum non facit talem publicam multitudinem, in qua poteſtas ſingulos puniendi reſideat, niſi vi mutui obligaverint membra ad pœnas conventionales.

NB. Parentes, & Præceptores poſſunt intra limites ſuæ poteſtatis obligare ſub peccato mortali, ſi materia hujus obligationis capax ſit ; ſtatuta tamen domeſtica plerumque tantum ſub pœna obligant.

§. UNICUS.

De Lege Civili.

7. Leges naturales immutabiles ſunt (per ſe quidem, per accidens tamen mutantur ratione objecti, V. C. ſuum cuique tribuere, naturalis juris eſt ; cujus tamen obligatio ceſſat, ſi furioſus depoſitum enſem repetat) poſitivæ autem arbitrariæ, adeoque variæ apud varias gentes, quia ſicut Principis, vel populi arbitratu poſitæ fuerunt, ita etiam tolli, vel abrogari poſſunt, cum ita viſum fuerit.

8. Diſcrimen eſt inter jus naturale & gentium. Jus gentium eſt ſedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, ſervitutes, poſtliminia, fœdera, paces, induciæ, Legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita. Hoc inde Gentium appellatur, quia eo jure omnes fere gentes utuntur.

Si lex Canonica contraria ſit legi civili circa materiam Eccleſiaſticam, civilis ſublata cenſetur, V. C. ea, quæ prohibet mulieri, ne intra annum viduitatis nubat : Sin vero circa aliam materiam, utraque in ſuo foro ſervanda eſt.

9. NB. Mira eſt conſpiratio inter jus civile, & canonicum : Hinc nemo bonus Caſiſta, niſi legum civilium aliqualem cognitionem habeat, tum quia multa Decreta Pontificum ex jure civili ſumpta ; tum quia leges civiles, ſi juſtæ ſunt, & Sacris Canonibus non repugnant, in conſcientia obligant.

NB. Clerici, vel Monachi ex clauſtris exeuntes, & Jus civile audientes excommunicantur quidem, ſed non, ſi intra clauſtrum leges civiles inſpiciant, & eorum intellectum addiſcant ad ſacros Canones rite intelligendos, & docendos, & occurrentes conſcientiæ caſus diſſolvendos.

CAPUT IX.

Utrum Legislator propria lege obligetur.

1. Legiſlator alius eſt abſolutus, V. C. Papa, Imperator, Rex, Epiſcopi, Duces Imperii, &c. quamvis horum aliqui in ferendis legibus certarum perſonarum conſilium adhibere debent, ut Rex Arragoniæ, & Rex Poloniæ Procerum regni in Comitiis : Alius Legiſlator eſt dependens.

NB. 1. Legiſlator, qui ſolus legem condere non poteſt, V. C. Metropolitanus inter Coepiſcopos, Dux Venetus inter Senatores, Prælatus in Capitulo, communibus legibus in ſynedrio latis adſtringuntur : Multo vero magis, ſi tota Communitas legem ferat, ſinguli eorum obligabuntur.

NB. 2. Leges, quarum obſervatio æque Principem decet, ac ſubditos, adſtringunt Principem, V. C. jejunium Eccleſiaſticum, abſtinentia, Confeſſio annua. Quæ vero propriæ ſubditorum, V. C. ne quis arma ferat in civitate, ne holoſericis veſtibus induatur, nihil obſtringunt Principem.

2. Princeps ſuis legibus non obligatur vi coactiva : Quia pœna imponi debet per Judicis ſententiam, etiam invito : Princeps autem Judicem ſuperiorem non habet, a quo cogi poſſit, a ſe ipſo autem nemo proprie cogitur, neque quiſquam in proprio facto Judex eſt.

3. Obligatur tamen Princeps legibus ſuis vi directiva, quæ obligatio radicaliter ex naturali jure, proxime autem ex ipſa lege poſitiva deſcendit. Dicit enim S. Auguſtinus : Turpis eſt omnis pars ſuo univerſo non congruens ; multo magis pars præcipua cum ſuis reliquis partibus congruere debet. Hinc ex ratione honeſtatis, & decentiæ Papa obligatur ad annuam Communionem : nec hinc ſequitur, quod ſibi ipſi ſe ſubjiciat, ſed legi, quæ legitime lata, & ſtabilita in Republica dominatur.

CAPUT X.

Utrum infantes, & amentes legibus obligentur?

1. Infantes ante uſum rationis nullis legibus obligantur. Infantibus æquiparantur amentes perpetuo. Ratio : Quia, cum lex ſit præceptum rationale, ejus vinculi, ſive obligationis capaces non ſunt, qui ratione carent. Quare his leges poſitæ non cenſentur.

2. Qui vero amentes, aut infantes ſunt, propter exceſſus proprie puniri non poſſunt ; amentes tamen poſſunt caſtigari inſtar beſtiarum, ut ita perterriti arceantur a nocumentis. Amentes propter delicta, quæ ante amentiam commiſerunt, non poſſunt puniri pœna mortis, aut mutilationis ; poſſunt pecuniaria.

3. Pueris ante uſum rationis, & perpetuo amentibus fas eſt diebus interdictis carnes ad comedendum præbere : Nam leges Eccleſiaſticæ talibus perſonis poſitæ non ſunt.

Sed ebriis præbere non licet ; etſi enim illi tunc non peccant in ebrietate, concedentes tamen illi, qui alliciunt ad comedendum, peccant.

4. Pueri, cum primum uſum rationis conſecuti ſunt, communibus legibus obligantur, V. C. abſtinentia in carnibus, Confeſſione annua, auditione Miſſæ : Nam tunc pueri ſunt capaces præcepti. Ergo, cum lex generale mandatum ſit, quod a tota communitate obſervari debet, etiam pueros comprehendit.

5. Pueri poſt ſeptem annos, ſi doli capaces ſunt, Eccleſiaſticam cenſuram incurrere poſſent. Prob. ex C. ult. de ſent. Excom.

Probabile tamen eſt, cenſura non ligari, ſi infantiæ propinqui.

NB. Quod impubes, excepto adulterio, ex furto, homicidio, & omni delicto teneatur ad pœnam luendam, quamvis mitiorem, juxta reg. 108. ff. *Fere in omnibus pœnalibus judiciis & ætati, & imprudentiæ ſuccurritur.*

6. Pœnis graviſſimis Excommunicationis, prohibitionis ſepulturæ, interdicti Eccleſiæ, &c. non comprehenduntur pueri, & impuberes delinquentes. Ratio : Quia ejuſmodi ætas non cenſetur ſufficiens ad ordinem judiciarium intelligendum.

7. Impubes, qui poſt ſeptennium doli capax voluntarium homicidium committit, irregularis efficitur.

Non item infans ante ſeptennium exactum, licet doli capax ſit, ut mortaliter peccare poſſit ; quia in Clementina expreſſe excipitur infans : Et irregularitas non incurritur, niſi jure expreſſo. Ad id impulit Legiſlatorem tenera ætas.

CAPUT XI.

Utrum cives, vel Diœceſani obligentur legibus territorii proprii, dum abſentes ſunt?

1. Leges territorii non obligant cives abſentes, ſeu peregrinantes. Ratio : Quia lex, ſive ſtatutum, cum ſtabilem, ac perpetuam obligationem habere debeat, immediate afficere cenſetur territorium Legiſlatoris, atque hinc in ſubditos ibi exiſtentes tranſire : Quare, cum Legiſlator extra proprium territorium juriſdictionem non habeat, ſequitur, ſubditos extra territorium non obligari. Arg. l. ult. ff. de juriſd. omnium judicum. *Extra territorium jus dicenti impune non paretur.* In eoque differt lex a ſententia, & præcepto ; quia hæc proxime in perſonas ſubditas tendunt, earumque oſſibus cohærent, quocunque terrarum diſceſſerint.

2. Prælati Regularium, cum in ſuos juriſdictionem habeant non ratione territorii, ſed ratione obligationis perſonalis, illos tum præceptis, tum ſtatutis ubique terrarum obligare poſſunt; *quia totus mundus eſt iis* (Prælatis Regularibus) *pro territorio*.

3. Statutum obligare poteſt ſubditos abſentes, ſi principaliter latum ſit in cauſa pertinente ad ipſum territorium ſtatuentis. V. C. Si ſtatutum ſit, ut omnes Clerici certo anno veniant ad Synodum, vel Canonici ad Capitulum: *Qui enim alicubi non facit, quod facere deberet, videtur facere adverſus ea, quæ non facit*. Argum. reg. 163. ff. Item ſic valet ſtatutum, prohibens incolis, ne adeant Provinciam peſte infectam; ne extra proprium territorium mercaturam exerceant.

4. Peregrini, dum per Regnum Caſtellæ tranſeunt, poſſunt incolarum more inteſtinis animalium veſci in die Sabbati: Eſt enim privilegium locale, quo omnes, qui eo loco verſantur, frui poſſunt.

5. Locus intra Diœceſin exemptus æquiparatur loco ſito extra Diœceſin.

6. Incola civitatis, in qua dies feſtus celebratur, ſi mane egreſſurus, & perventurus ſit ad oppidum, ubi non celebratur, debet tamen prius Miſſam audire. Ratio: Quia præceptum affirmativum audiendæ Miſſæ tenetur aliquis quamprimum implere, ſi poſtea impleturus non ſit; ſicuti, qui prævidet, ſe poſtea ab audienda Miſſa impeditum iri, ſtatim audire debet, ſi commode audire poſſit. Et illa eſt mens Eccleſiaſticorum Legiſlatorum, quam conſuetudo, & fidelium perſuaſio interpretatur, quod incolæ die feſto Miſſam audire teneantur, ſi per tale temporis ſpatium in oppido exiſtant, ut commode audire poſſint.

7. Diſceſſurus ex loco, ubi jejunium non ſervatur, poteſt ibidem veſci etiam carnibus, etſi eodem die perventurus ſit ad proprium territorium, ubi lex jejunii obligat. Et poteſt domi iterum comedere, quamvis a carnibus abſtinere teneatur.

Et qui noctu pervenit ad locum, ubi non jejunatur, poteſt ibi carnibus veſci, etſi in proprio territorio, unde illo die exierat, lex jejunii obliget. Quare, antequam talis mane exeat, poteſt prandere, ſed non carnibus veſci. Ratio diſcriminis eſt: Quia præceptum, ſive obligatio carnibus abſtinendi dividua eſt, adeo, ut, tametſi una diei parte juſta, vel injuſta de cauſa abſtinentiam non ſerves, nihilominus alia diei parte ſervare debeas, ubi præceptum obligat. At vero præceptum, ſive obligatio jejunii individua eſt, ut, qui bis in die reficitur juſta, vel injuſta de cauſa, is jejunii lege ſolvatur, propterea quod formam jejunii Eccleſiaſtici tali modo ſervare non poſſit.

Verum in his videtur eſſe habenda ratio temporis potioris, ſecundum quod ex loco in locum proficiſcens commoraturus eſt. V. C. Si mane hora diei prima egreſſurus es ex oppido, ubi jejunium non ſervatur; & altera, vel tertia diei hora perventurus ad oppidum tuum, ubi jejunium ſervatur, male facis, ſi circa auroram jentaculum ſumpſiſti, præſertim cum carnibus. Alia vero ratio eſt, ſi poſt meridiem egreſſurus es; potes enim ibi jentaculum ſumere, & prandere; conſequenter jejunio ſolutus es, quamvis a carnibus in tuo oppido nihilominus abſtinere debeas.

8. Qui ex Epiſcopatu, in quo vetus Calendarium obſervatur, Quadrageſimæ tempore venit ad aliam Diœceſin, quando jejunium ferme abſolutum eſt, non tenetur amplius, quam illi, quibuſcum vivit, jejunium prorogare: Nam non videtur mens eſſe Eccleſiæ, aliquem obligare ad jejunandum in loco, ubi fideles non jejunant; ſiquidem id commode fieri nequit, & valde expedit, Eccleſiæ cujuſque morem uniformiter a fidelibus obſervari.

Sed hæc intellige de Eccleſiis Catholicorum. Nam apud hæreticos ſervandum eſt Calendarium novum, quia in contemptum Eccleſiæ cedere videtur, ſi Catholicus peregrinus ſe conformet illegitimæ conſuetudini ab hæreticis pertinaciter retentæ.

NB. Incolas tamen Catholicos in terris hæreticorum, V. C. Ulmæ, ex æquitate quadam, & præſumpto conſenſu Catholicorum Præſulum ad communem pacem ſervandam Feſta, & jejunia celebrare poſſe ſecundum Calendarium vetus; quibus etiam peregrini Catholici, dum inter eos morantur, ſe conformare poterunt.

9. Operarii ex locis Catholicis egredi non poſſunt ad loca hæreticorum, in quibus ob diverſitatem Calendarii Feſta non ſervantur: quia leges Eccleſiaſticæ, quæ ad ſpiritualem utilitatem ſubditorum promulgantur, talem conditionem annexam habent, ut ſubditis ſine juſta cauſa earum obligationem ſubterfugere non liceat.

Si ſponſi ſine juſta cauſa, adeoque in fraudem legis egrediantur ad contrahendum matrimonium ſine parocho, & teſtibus in loco, ubi Concilium Tridentinum non receptum eſt, peccant quidem, ſed eorum matrimonium validum eſſe videtur, quod ſit ex numero contractuum, quibus id proprium eſt, ut regulari debeant ſecundum leges, & conſuetudines locorum, ubi celebrantur. (*a*)

„ (*a*) Caſum hunc tangit Benedictus XIV. in ſua „ Declaratione ſuper dubiis reſpicientibus matrimonia, „ legiturque in ejus Bullario tomo I. n. XXXIV. & „ incipit *matrimonia*; *ſed nihil de novo decernendum* „ *ſtatuit, volens ut de his juxta canonica juris com-* „ *munis principia, probataſque in ſimilibus caſibus alias* „ *editas a Sacra Congregatione Concilii reſolutiones, ubi* „ *diſputatio contingat, decidatur*.

CAPUT XII.

Utrum advenæ, & peregrini teneantur legibus locorum, in quibus pro tempore verſantur, quamvis in proprio ipſorum territorio non obligent.

1. ADvenæ, ſi cauſa inhabitandi ad tempus longum venerint, vel quaſi domicilium figant in oppido alieno, omnibus ejus legibus obligantur. Ratio: Quia tales ejus loci forum ſortiuntur, id eſt, juriſdictioni ſubjiciuntur Eccleſiaſticæ, & civili: Ergo etiam adſtringuntur legibus.

2. Princeps non obligatur ſtatutis municipalibus civitatis, aut Provinciæ, ad quam advenit quamvis longo tempore moraturus: ſicut nec Legatus in Provincia diœceſalibus legibus obligatur. Ratio: Quia ejuſmodi leges ab inferiore poteſtate latæ ſunt, ut vim nullam habeant in ſuperiorem Principem.

3. Advenæ, & peregrini, licet in loco diu moraturi non ſint, obligantur tamen legibus communibus, quæ in ipſorum patria ſpeciali privilegio, vel conſuetudine non ſervantur. V. C. Civis Mediolanenſis peccat, ſi Romæ primis Quadrageſimalibus diebus carnes comedat; quia ſpecialis illa conſuetudo carnes veſcendi eſt privilegium locale, quo civis Mediolanenſis frui non poteſt, dum abſens eſt. Contrarium tamen probabiliter docet Sanchez: quia cives, inquit, dum abſentes ſunt, ſed mox in patriam redituri, per fictionem juris pro præſentibus habentur.

4. Advenæ, dum in aliena terra hoſpitantur, non obligantur legibus, & conſuetudinibus ejus loci propriis. Ratio: Quia ad obligandum aliquem legibus requiritur juriſdictio; ſed peregrini ob brevem hoſpitii moram non ſubjiciuntur juriſdictioni: Ergo non obligantur ejus loci legibus.

5. Contractus, & teſtamenta interpretationem, & valorem accipiunt ſecundum leges loci, in quo fiunt. Hoc enim pertinet ad pacificam communicationem cum incolis.

6. Sacerdos Græcus tranſiens per Eccleſiam latinam poteſt in azymo conſecrare, vel in fermentato, ſicut maluerit. Ratio: Quia peregrinus legibus, & conſuetudinibus ſuæ patriæ liberatur, dum abſens eſt: Verum neque aſtringitur alienis eorum locorum, per quæ tantum tranſit.

NB. Latinus ſacerdos celebrans Romæ in Eccleſia Græca tenetur celebrare more Romano; quia Græcis veluti privilegium perſonale conceſſum eſt, ut in fermentato ibi ſacrificare liceat.

7. Probabile eſt, quod neque vagabundi obligentur legibus, & conſuetudinibus propriis locorum, in quibus hoſpitantur, quia nemo ſortitur forum, niſi ratione domicilii, aut habitationis, vel ratione delicti, vel ratione contractus, vel ratione ſuæ poſſeſſionis ſitæ in territorio, vel denique interdum ratione originis; vagi autem nullo horum modorum ſubjecti ſunt: Ergo. Per conſuetudinem puniuntur vagi delinquentes, ne eorum crimina impunita relinquantur. Sed tamen hinc non ſequitur, eos ſimpliciter, & in omnibus ſortiri forum, ſeu juriſdictionem loci, in quo exiſtunt.

Re-

Regula in praxi obſervanda circa doctrinas ſuperioribus tribus capitibus traditas.

I. Si accidat aliquando Confeſſarium excipere Confeſſionem alicujus, qui hæreſim ejuraverit, puto in praxi non debere eſſe nimis ſollicitum de ipſo interrogando quoad tranſgreſſionem legum Eccleſiæ. Verum utique eſt ab ipſis ligari, ſed quoadusque non cognovit ſuam hæreſim eſſe culpabilem, laboravit etiam ignorantia invincibili obligationis obſervandi leges Eccleſiaſticas. Videat ergo primo a quo tempore culpabiliter permanſerit in ſua hæreſi. Interroget poſtea, an tunc adverterit ſe teneri ad obſervantiam legum Eccleſiæ. Si non advertit, jam non peccavit. Si advertit, examinet, an ſciverit omnes leges, quibus nos obſtringit Eccleſia; an vero ſolum aliquas, & magis notas, ut ſunt leges jejunii, de non comedenda carne quibuſdam diebus, & temporibus. Ita facile deprehendet quomodo peccaverit in tranſgreſſionem legum Eccleſiaſticarum.

II. Non tam facile eſt, Advenam per unum, vel plures dies in alieno territorio exiſtentem, ſcandalum non afferre, ſi quædam, quæ magis ibi ſub oculos cadunt, non obſervet. Ita ſe habent comedere carnes, ubi viget obligatio jejunii: non audire Miſſam, ubi eſt dies feſtus. In praxi ergo Confeſſarius moneat iſtos Advenas, ut ſe talibus legibus accommodent, ubi ſcandalum afferunt; vel ſaltem quam maxime ſibi caveant, ne ab indoctis obſerventur.

III. Advertant Parochi rurales aliquando, dum dies feſta eſt in propria Communitate, ipſorum Parochianos peccare ſe credere, ſi & in alia Communitate laborent. Quamvis ergo conveniens ſit eos monere, ut ſancte operibus illam diem ſanctificent; nihilominus ne peccent ex conſcientia erronea, illos etiam moneant, extra propriam Communitatem poſſe tuta conſcientia laborare, nam obligatio particularis diei feſti, non excedit fines proprii territorii.

IV. Confeſſarii habeant præ manibus illam doctrinam, qua dicitur, quod licet impuberes legibus Eccleſiæ adſtringantur, nihilominus non afficiuntur ipſius pœnis. Id maxime neceſſe eſt advertere, dum agitur de caſibus reſervatis, & de cenſuris, ut etiam ſuo loco notabimus. Et quamvis dixerim ligari excommunicatione ob Clerici percuſſionem, nihilominus, ultraquamquod ſemper abſolvi poſſint ab Ordinario, multoties neque afficiuntur tali cenſura, quia actio externa, quidquid ſit de prava interna voluntate, non reputatur gravis.

C A P U T XIII.

An, & qua ratione Clerici civilibus legibus obligentur.

1. CLerici obligantur communibus ſecularium Principum legibus, quæ ad Reipublicæ bonam gubernationem pertinent, neque ſacris Canonibus, aut Clericorum ſtatui repugnant. Ratio: Quia clerici, in communi vitæ ſocietate degentes, ſunt etiam cives, ac membra Reipublicæ: Ergo naturali ratione æquum eſt, eos etiam præſtare, quæ ad communem Reipublicæ gubernationem neceſſaria ſunt. *Turpis eſt* enim *omnis pars ſuo univerſo non congruens*, ait S. Auguſtinus. Confirm. *Qui ſentit commodum, idem & onus ſentire debet*. Reg. 55. in 6. Clerici autem communibus Reipublicæ commodis, ac privilegiis fruuntur; Ergo.

2. Eccleſia reprobat ea ſæcularium ſtatuta, quibus de rebus, vel perſonis Eccleſiaſticis directe decernitur, præcipiendo, vetando, licet Eccleſiæ favorem continere videantur. Ratio: Quia ejuſmodi legibus prætenditur directa laicorum Principum juriſdictio ſuper Eccleſiaſtica (ſiquidem leges ferre juriſdictionis actus eſt) talis autem uſurpatio poteſtatis immunitati Eccleſiaſticæ repugnat.

3. Neque de bonis patrimonialibus Clericorum ſpeciatim aliquid civili lege præcipiendo, vel prohibendo ſtatui poteſt (nam lex non fertur ſine juriſdictione; nemo autem habet juriſdictionem diſponendi de bonis alicujus, niſi etiam ſuper perſonam juriſdictione præditus ſit) Secus, ſi diſpoſitio civilis præceptiva non ſit, ſed permiſſive, & privilegiativa, ut ſi ſtatuto caveatur, Clericos privilegiatos admittendos eſſe ad feuda, majoratus, ſtatutum valebit. Cujus rei ratio eſt: Quia dare privilegium non eſt ſignum ſuperioritatis, cum etiam non ſubdito dari poſſit.

4. Clerici delinquentes adverſus civilem legem pœnam merentur ab Eccleſiaſtico Magiſtratu infligendam, ſive eandem, quæ civili lege decreta eſt, ſive arbitrariam.

5. Leges civiles prohibentes, aut infirmantes contractum obligant Clericos, ſi pœnales non ſint: ſecus, ſi pœnales, quia lex pœnalis, continens vim coactivam, non poteſt ſe extendere ad perſonas Eccleſiaſticas.

6. Clerici civilibus legibus numquam videntur obligari directe, & ex virtute ipſarum legum, ſed ſolum indirecte, quia id naturalis æquitas poſtulare videtur, cum alioquin communis pax inter cives difficile ſervari poſſit; quæ ratio movit Summos Pontifices, alioſque Prælatos, ut ejuſmodi juſtas Principum leges approbarent, & Clericis omnibus obſervandas præciperent, imo etiam vellent ſecundum eas in foro Eccleſiaſtico judicari, ubi Canones defecerint, juxta C. innotuit de arbitris. *Sicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari; ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

Confeſſarius non ſit tam facilis erga Clericos non obſervantes leges civiles, maxime circa pretia rerum, & circa ea, quæ diſponunt quoad communes neceſſitates. Verum quidem eſt ex ſe non ligari talibus legibus; & poſthabito pretio legali, poſſe velle attendere pretium naturale, quod admittit aliquam latitudinem: ſed quam raro id eveniet ſine ſcandalo? Demus v. g. Principem taxaſſe pretium olei, & parochum illud vendere ſupra tale pretium legale: heu quot obmurmurationes in rudi populo de parocho! atque ita fit ut ab ipſo parvipendatur veluti injuſto lucro addictus, ipſius correctiones detrectet audire, & concionantem irrideat. Videat ergo Confeſſarius, ſi conveniens ſit hujuſmodi Parochum reprehendere, & ipſum cogere ad exiguum lucrum dimittendum, ut tot ſcandala removeat.

Potiori etiam ratione deberet redarguere, ſi non obſervaret leges prohibentes extractionem frumenti &c. ne inducatur penuria, jure etenim naturali, & divino tenetur præcavere gravia pericula ſuæ Patriæ.

C A P U T XIV.

De effectu legis, ac præcepti humani, quæ eſt obligatio.

1 LEgiſlator tam civilis, quam Eccleſiaſticus obligare poteſt ſubditos in conſcientia, ſive ſub peccato; quia legitimus Magiſtratus utitur poteſtate a Deo data, tanquam miniſter Dei. Sap. 6. Rom. 13. 1. Pet. 2. Ergo non minus ipſi juſta præcipienti obediri debet, quam ſi Deus per ſeipſum præcipiat.

2 Ut lex ſub mortali obliget, requiritur intentio Legiſlatoris (*quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem*. Arg. l. Non omnis ff. Si certum petatur) & materiæ gravitas, ſive capacitas, aut contemptus rem levem præcipientis.

3 Interdum materia, quæ ſecundum ſe levis eſt, relata ad communitatem, & publicam pacem gravis eſt, atque capax obligationis ſub mortali; ut videre eſt in peccato Adami, quod ratione finis graviſſimum erat; quia Deus præceperat in ſignum recognitionis, obedientiæ, Deo rerum omnium authori debitæ, & quaſi in tributum humanæ ſubjectionis erga Deum: Et peccata militum propter exiguum furtum mortem lucentium.

4. Ex verbis, quibus Legiſlator uſus eſt, colligi debet, qualem obligandi intentionem habuerit: V. G. Monemus, hortemur conſilium, præcipimus, mandamus, præceptum ſignificant ſub peccato mortali, præcipimus in virtute Sacræ obedientiæ, graviſſime obligant. Verba: Caveant, oportet, volumus, ordinamus, conſideranda ſunt juxta pœnam adjectam, & circumſtantias. Inſpicienda etiam conſuetudo, & proborum hominum perſuaſio, quæ eſt optima Legum interpres, juxta reg. 45. in 6. *Inſpicimus in obſcuris, quod veriſimilius eſt, aut quod plerumque fieri conſuevit.*

5. Leges poſitivæ ordinarie non obligant cum periculo mortis, mutilationis, gravis infamiæ, aut bonorum magnæ jacturæ, juxta Reg. 6. in 6. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*. Quod autem valde difficile eſt, moraliter impoſſibile eſt.

6. Interdum humana poteſtas præcipere, vel prohibere aliquid poteſt cum periculo mortis, ſi videlicet ex obſervatione legis, aut præcepti majus Reipublicæ commodum ſperatur, vel ex neglectis majus incommodum timetur, quam æſtimari debeat privatum periculum mortis. Sic enim Dux militum præcipit militi, ut ſtationem ſervet cum vitæ diſcrimine; & Summus Pontifex, ut cum ſimili periculo ſacerdos fidem Paganis prædicet.

7. Si legis poſitivæ tranſgreſſio cedere eſt in contemptum legiſlatricis poteſtatis, aut fidei Chriſtianæ detrimentum, tunc ipſa etiam naturæ lex obligat ad obſervationem, quamvis cum vitæ diſpendio.

8. Cenſura Eccleſiaſtica non obliget cum graviſſimo periculo: quia non eſt intentio Legiſlatoris, ut obliget. (a)

" (a) Hæc quidem vera ſunt, ſed fallit regula in caſu, " quo Prælatus cenſuram ferens judicari poſſet prævidiſſe grave illud periculum, & voluiſſe etiam in eo " rerum articulo cenſuram ſuam valere, cum præſertim eandem cenſuram tuliſſet ob graviſſimam cauſam. Ita meo judicio ligantur cenſura illi, qui procurant abortum etiam tunc, cum verſantur in periculo " graviſſimæ infamiæ, vel mortis.

9. Sacrificare ſine ſacris veſtibus licitum eſt ad gravi-

viſſimum periculum mortis &c. vitandum, modo id non cedat in contemptum Religionis.

10. Matrimonium cum impedimento dirimente licite V. C. cum conſanguinea contrahitur ob metum gravem, ſed non licite conſummatur ante Papæ diſpenſationem; quia eſt copula fornicaria, & inceſtus.

11. Lex Carthuſianorum de carnium abſtinentia ſemper obligat, excepto caſu, ſi nullo alio cibo, præter carnes ſuppetente, lex naturalis dictet, vitam præſenti alimento ſervandam eſſe. Quamdiu vero alii cibi ſuppetunt, laudabilis illius Ordinis conſuetudo ita Regulam interpretatur, ut fas illis non ſit, cujoſque ægritudinis occaſione carnibus veſci. Quia ſi alii cibi haberi poſſunt, carnium eſus non eſt abſolute neceſſarium medium ad vitam ſervandam: diutius autem vitam prorogare delicatiore cibo nemo tenetur, ſi id a vitæ inſtituto alienum ſit, majuſque, & publicum bonum virtutis, ac regularis obſervantiæ impediat, vel imminuat.

12. Lex non extendit ſe ad præterita, ſed ad futura. Nam cauſa prior eſt effectu ſuo, & ad præteritum non datur potentia. Conſequenter Lex ſuperveniens non poteſt obligationem imponere actibus factis, ſed ſolum faciendis. Quod vero attinet ad effectus legis, cujuſmodi ſunt, declarare, pœnam delicto ſtatuere, formam actui præſcribere, & aliter factum infirmare, nihil obſtat, legem ad præterita etiam extendi: Nam lex, quatenus ſolum declaratoria eſt, V. C. matrimonium tali modo contractum pro invalido habendum eſſe, etiam ad præterita ſe extendit. Quatenus vero lex novam pœnam delictis ſtatuit, ordinarie intelligenda eſt de peccatis committendis.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Non ſit ita facilis Confeſſarius in condemnando Legiſlatores, ſi aliquando præcipiant, vel prohibeant ſub gravi, res, quæ videantur parvi momenti. Id autem maxime poteſt habere locum in ordine ad Perſonas, quæ vivunt in Communitate. In his locis, & præcipue ſi religioſa ſint, poſſunt e. g. ſub gravi prohiberi furta levia; item ne referantur, quæ una Perſona adverſus alteram dixit, quamvis non gravia eſſent &c. ex his enim valde perturbatur pax domeſtica, ac proinde cum gravia eſſe poſſint in ordine ad finem intentum a Legiſlatore, poſſunt etiam prohiberi ſub gravi. Idem puto dicendum de prohibitione ſub gravi, ne Externis referantur defectus etiam leves, qui inter perſonas claustrales committuntur; nam multoties hæc referendo, graviter officitur bonæ famæ Monaſterii, eo maxime quia degentes in ſæculo putant Regulares exuere debuiſſe omnes pravas inclinationes humanitatis.

Hinc etiam Magiſtratus ſæculares poſſunt gravi pœna punire deferentes arma prohibita, quamvis non animo nocendi; id enim valde officere poſſet publicæ tranquillitati &c. Ne igitur ſit nimis facilis Confeſſarius in excuſando ſuum Pœnitentem a gravi culpa, eo quod tranſgreſſus fuerit legem, quæ præcipiebat, vel prohibebat materiam in ſe levem.

II. Plura in praxi reſolvet Confeſſarius ex ea communi doctrina, quod leges poſitivæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſive Civiles, regulariter loquendo, non obligant cum gravi incommodo. Sacerdoti e. g. occulte excommunicato permittet celebrare, & cum aliis communicare, ſi ita neceſſitas cogat, dum e. g. ab iis abſtinendo, incurreret gravem infamiam. Ita excuſet ab audiendo Sacrum, qui non poteſt domo exire ſine gravi dedecore propter ſuam paupertatem; qui deberet ſubire grave incommodum ob illud audiendum, vel propter notabilem abſentiam Eccleſiæ, vel propter magnam pluviam, vel quia eſt valetudinarius. Excuſet eum, qui non habens tempus petendi licentiam, defert arma prohibita, ne ſe exponat periculo, quin ab hoſte offendatur. Ex his exemplis facile dignoſcet quomodo in aliis caſibus ſe gerere debeat.

CAPUT XV.

De Lege pœnali.

1. LEx vel eſt abſolute obligatoria ſine adjectione pœnæ; vel eſt mere pœnalis ſine obligatione ſub culpa; vel denique eſt mixta, quæ tum ſub culpa, tum ſub pœna obligat.

Lex pure pœnalis eſt, cum Legiſlator ſolum ad pœnam, & non ad culpam obligare intendit. Nam ſæpe ad animarum pericula cavenda expedit in Communitate conſcientias non obligari ſub culpa, & nihilominus quaſdam conſtitutiones fieri boni publici cauſa cùm obligatione ad pœnam; ut in Religione fit.

2. Culpa interdum ſtricte accipitur pro defectu coram Deo culpabili. Deut. 25. Interdum vero late pro quocunque defectu moris, ſaltem politice culpabili, quamvis nulla præcedente culpa, ſeu peccato; juxta regulam 23. in 6. *Sine culpa, niſi cauſa ſubſit, nemo eſt puniendus*. Sic Prælati Regularibus, patres filiis ob defectus regulares, & culpas civiles, & domeſticas, quamvis coram Deo innoxiis, pœnam irrogare poſſunt, communis diſciplinæ gratia.

Ex gravitate adjectæ pœnæ mortis, mutilationis, exilii, &c. conjectura ſumitur de mente Legiſlatoris ſub mortali culpa obligantis. Exemplum habes in Decretis Principum ſub pœna corporali ferarum venationem prohibentium. Quod ſi ſimplex pecuniaria multa legi adjuncta ſit, partim ex materia, & fine, aliiſque circumſtantiis, partim ex verbis legis de mente Legiſlatoris conjectura capienda eſt. Sic V. C. ex materia, & fine legis de tributis Principi præſtandis concludit Suarez, eam præceptivam cenſeri, atque ob tranſgreſſionem præcepti pœnam adjectam eſſe. Contra vero ex materia, fine, & formula verborum colligi poteſt, tales leges mere pœnales eſſe: V. C. *Si quis deprehenſus fuerit frumentum ex Provincia evehere, in tali publico loco venari, ligna cædere, &c. hanc pœnam pecuniariam ſolvat.*

3. Leges pœnales non ita interpretandæ ſunt, quaſi earum tranſgreſſores in conſcientia obligentur ad pœnam per ſe ipſos ſolvendam, ſeu active exequendam: nam legem humanam oportet eſſe hominum moribus, ac naturæ congruam. Eſt autem valde alienum a natura, & moribus hominum, quod idem cogatur eſſe reus, & Judex, & non raro occulti ſui criminis proditor.

4. Qui commiſit crimen læſæ Majeſtatis, hæreſis, &c. ante Judicis ſententiam licite, ac valide bona ſua alienat, ea tamen conditione, ut, ſi deinde ſententia feratur, quamvis poſt mortem criminoſi, omnia bona a die commiſſi criminis alienata fiſcus revocare poſſit una cum fructibus extantibus, vel quatenus poſſeſſor inde ditior factus eſt.

Debet tamen fiſcus emptori pretium reſtituere, ſi extet, vel quatenus criminoſus, cui fiſcus ſuccedit, ditior exinde factus eſt.

Etſi aliquis, ſciens, pœnam confiſcationis ipſo jure ob admiſſum crimen incurſam eſſe, donationem a criminoſo accipiat, non eſt obligatus ad bona fiſco reddenda, niſi a Judice repetantur.

5. Leges pœnales interdum ipſo facto, & ante Judicis ſententiam efficiunt criminoſum inhabilem ad acquirendum, utendum; ſicut videre eſt in Eccleſiaſticis Cenſuris, irregularitate, canonicis impedimentis matrimonii, &c.

NB. Bona incerta, ex furto, uſura acquiſita, quæque propriis dominis reſtitui non poſſunt; ea pauperibus erogari debent ante omnem Judicis ſententiam.

6. Non facile tamen reperietur lex tanta ſeveritate obligans, ne criminoſus ante Judicis ſententiam teneatur poſitivam pœnalem actionem exercere, abdicando ſe dominio, ac titulo acquiſito. Licet enim interdum exprimatur, ut V. C. ipſo facto pœna privationis incurratur, plerumque tamen benignior interpretatio adhiberi poteſt, criminoſum non ſtatim excidere dominio ante ſententiam Judicis.

7. Reus per ſeipſum tenetur exequi pœnam honeſtam, & non nimis acerbam, poſtquam per Judicis ſententiam ad id condemnatus eſt, V. C. damnatus ad exilium, carcerem, ad multam pecuniariam; quamvis exſpectare poſſit, donec exigatur, niſi aliter conventum ſit.

Religioſi etiam tenentur ſe flagellare. Ratio concluſionis eſt: Quia quiſque ſubditus ſuo Superiori juſta, & moraliter poſſibilia præcipienti obedire debet.

NB. Reus, ad mortem condemnatus, debet per accidens indirecte cooperari, V. C. aſcendere ſcalas: publice flagellare ſe non tenetur, quia id nimium a natura alienum.

Damnatus ad venenum bibendum parere non tenetur, imo nec poſſe videtur; nam directa, & poſitiva ſui ipſius occiſio neque juſte imperari, neque juſte executioni mandari poteſt. Eſt tamen controverſum inter Doctores. Hinc reus ſe poterit conformare ſententiæ probabili Judicis.

9. Damnatus ad mortem inedia perferendam non tenetur cibum clam ſibi ſubminiſtratum recuſare, quia nimis difficile eſt mortem oppetere, ſi poſſit liberari facile; quamvis poſſit ob juſtitiæ amorem. Ratio: Quia non active concurrit ad mortem, ſed ob juſtitiæ amorem fortiter eam perfert.

10. Ante Judicis ſententiam ſemper licitum eſt reo fugere, niſi promiſerit, vel juravit, ſe manſurum. Ratio: Quia ante latam ſententiam nullum reo præceptum manendi impoſitum eſt, ideoque carcer non pœna eſt, ſed ſolum cuſtodia: Quare ſi negligenter cuſtodiatur, cuſtodum hæc culpa eſt, reus autem jure, ac libertate ſua utitur.

Etiam poſt latam ſententiam mortis, aut mutilationis

niſi reus fugere poteſt ; quia , cui conceſſus eſt finis , etiam media neceſſaria ad finem conceſſa ſunt.

NB. Religioſus propter votum obedientiæ tenetur in perpetuo carcere manere.

Reus etiam poſt latam ſententiam poteſt vincula rumpere , & carcere egredi , alii etiam inſtrumenta porrigere , ſed non cooperari poſſunt ad cuſtodiam principaliter violandam ; quia publicam cuſtodiam violare per ſe eſt res gravis , ac proinde ſoli reo ratione graviſſimæ neceſſitatis declinandæ conceſſa . Herus tamen captivus poteſt uti famulo ſuo , tanquam Inſtrumento , quia , quod aliquis per ſe ipſum , id etiam per alium , tanquam inſtrumentum ſuum , efficere poteſt . Nec obſtat , quod fuga ceſſura ſit in damnum cuſtodis ; quia reg. ff. 55. *Nullus videtur dolo facere , qui jure ſuo utitur .*

Reus mortis , etſi fugere poſſit , non tenetur , quin & Judici ſe ipſum ſiſtere ad juſtam pœnam patiendum non prohibetur ob amorem juſtitiæ . Nam ſicut alius Judici ſuadere poteſt , ut publica authoritate reo juſtam mortem decernat ; ita & reus idem ſuadere , ſeu petere non prohibetur.

Regula in praxi obſervanda.

I. Quanquam lex , cui adjecta ſit pœna , ſit etiam clariſſime præceptiva , ego , ſalvo ſemper meliori judicio , ſuaderem Confeſſario , non facile judicandum aliquem peccati reum , præciſe ex ipſius tranſgreſſione , quando lex ſit pure civilis . Opinor ut plurimum Principes ſæculares non curare de obligandis ſubditis quoad culpam coram Deo , ſed ſolum de inducenda externa politia , & publica tranquillitate . Item credo conſuetudinem eſſe penes Populum conſiderare eaſdem leges , non veluti inducentes obligationem in foro animæ , ſed ſolum externe obligantes ad earum executionem , maxime ſi præcepto pœna adjecta ſit . Adhærerem proinde illis Theologis , qui dicunt raras eſſe leges civiles , quæ *per ſe* obligent in conſcientia.

Dixi *per ſe* : nam Confeſſarius debet obſervare ex alio capite multoties ipſarum tranſgreſſioni adjunctum eſſe peccatum. Id conſtat ex legibus civilibus , juſte taxantibus pretium ; nam cum tunc ex Juſtitia ſolvendum ſit , tranſgredi non poſſunt ſine peccato . Quid dicendum de legibus civilibus , præſcribentibus aliqua obſervanda circa contractus ſub hac , vel illa pœna , dicam ſuo loco . Conſtat etiam intervenire peccatum , dum tranſgreſſio legis evenire non poſſet ſine gravi infamia redundante in familiam , vel ſine gravi jactura bonorum , unde eadem familia grave damnum pateretur ; vel ſi adeſſet periculum , ut quis ad gravem pœnam condemnaretur , nam tunc ſaltem peccaret contra Charitatem erga ſeipſum . Dum hæc , & ſimilia adnexa ſint legi ſive præceptivæ , ſive etiam mere pœnali , conſtat non poſſe tranſgredi ſine peccato.

II. Obſervet Confeſſarius ex ea doctrina legem privantem ipſo facto aliquem re jam acquiſita , non habere locum , niſi poſt ſententiam declarativam commiſſi criminis , & poſtquam Judex inſtar pro executione , poſſe aliquando mederi conſcientiæ ſui pœnitentis , qua in re aliquando plures vidi erraſſe . Demus e. g. aliquem , vel propter excommunicationem , in quam ſuit ejectus , vel propter aliud crimen expoliari a lege ipſo facto Beneficio jam obtento . Poterit huic Confeſſarius dicere , quod abtenta abſolutione pro foro conſcientiæ quoad peccatum commiſſum , ac cenſuram , acquieſcat , uſque dum Judex declaret ab eo tale crimen fuiſſe commiſſum . Interim autem ejus acta erunt valida , ſaltem propter errorem communem , & titulum coloratum . Ex hoc inferat quomodo ſe gerere debeat in aliis ſimilibus caſibus . Hæc autem doctrina non haberet locum , ſi lex declararet pœnam ab ea impoſitam ſubeundam eſſe in foro conſcientiæ , etiam ante ſententiam declarativam ſuper commiſſo crimine , vel rem acquiſitam non poſſe in conſcientia , ſeu ſine diſpendio animæ retineri , ut dicam infra agendo de lege irritante , quæſito tertio.

CAPUT XVI.

De lege prohibente , vel infirmante pacta , contractus , teſtamenta &c.

1. LEgiſlator ſupremus poteſtatem habet ex juſta cauſa ad bonum publicum pertinente perſonas aliquas ad contrahendum , teſtandum , inhabiles reddere ; item contractui (V. C. matrimonio) certam formam , & ſolemnitatem præſcribere , quæ ad eorum ſubſtantiam pertinere debeat.

2. Interdum lex contractui nec reſiſtit , nec aſſiſtit , ut videre eſt in pacto nudo , ex quo civili jure actio non conceditur .

3. Interdum lex contractum prohibet , ſed non infirmat , nec a Judice infirmandum decernit ; *nam multa prohibentur fieri , quæ , ſi fuerint facta , obtinent firmitatem* . Innocent. III. C. ad Apoſtolicam , de Regul. Diciturque tunc contractus validus , ſed non licitus , V. C. negotiatio Clericorum , matrimonium tempore Interdicti , & ante denuntiationes , & poſt votum continentiæ , aut contra fidem priorum ſponſaliorum.

NB. Si lex Eccleſiaſtica ſimpliciter aliquid prohibeat , nulla facta mentione infirmandi , non cenſetur infirmare ; nam actum prohibere , eumque infirmare diverſa ſunt , & inter ſe ſeparabilia : Ergo unum ex altero colligi non debet , præſertim in materia odioſa , juxta Reg. 30. in 6, *Semper in obſcuris , quod minimum eſt , ſequimur* . Secus eſt dicendum de lege Imperiali ob ſpecialem Theodoſii Conſtitutionem in leg. Non dubium , C. de legib. *Nullum pactum , nullam conventionem , nullum contractum inter eos videri voluimus ſubſecutum , qui contrahunt , lege contrahere prohibente* . Sed hæc ad Canonicas ſanctiones non ſunt tranſlata .

NB. Reg. 64. in 6. *Quæ contra jus fiunt , debent utique pro infectis haberi* , Judici præſcribitur , cujus proinde officium eſt inſpicere , contra quale jus , & qua ratione contra illud actum ſit , ut intelligat , validumne , an invalidum pronuntiare debeat .

4. Interdum lex contractum , aliumve actum , licet per ſeipſam non infirmet , tamen a Judice infirmandum decernit ; idque ordinarie cenſendum erit , ſi lex utatur verbis ad Judicem proprie ſpectantibus : *Reſcindatur , infirmetur , annulletur* .

5. Interdum lex contractum , teſtamentum &c. ipſo facto , & ante omnem aliam ſententiam irritum reddit ; conſequenter Judici jubet , ut per ſententiam ita declaret .

Talis infirmatio contractus , alteriuſve actus , ſuapte natura ſubſiſtentis , plerumque intelligitur tantum civiliter , ut interim maneat obligatio naturalis per ſe ſufficiens ad transferendum dominium , alioſque effectus .

6. interdum lex pleniſſime infirmat actum , V. C. matrimonium clandeſtinum , ut nullus inde effectus , aut obligatio , ne in conſcientiæ quidem foro , oriatur : Pari modo lex civilis infirmat contractum pupilli cum tutore initi .

7. Si Legiſlator , cum actum inſtituit , vel ejus exercendi poteſtatem primitus confert , formam , vel conditionem apponat , cum qua exerceri debeat , cenſetur forma ſubſtantialis . Exempla habemus in formis Sacramentorum ex Chriſti Domini inſtitutione requiſitis , in formis Sacramentalium , puta , Benedictionum , ab Eccleſia requiſitis . Sin vero Legiſlator formam aliquam procedendi præcipiat obſervari ab iis , qui jam antea actus ſecundum ſubſtantiam exercendi poteſtatem habuerint , forma accidentalis cenſeri debet .

8. Etſi Legiſlator non exprimat , ut tali forma non obſervata actus inutilis ſit , plerumque tamen id intelligitur , ut requiratur Judicis ſententia , caſſantis actum .

9. Si actus aliquis (puta , Electio , alienatio rei ad Eccleſiam pertinentis) ſine fraude , & injuria ulla celebratus eſt , prætermiſſa Juris ſolemnitate , in conſcientia tutus eſt electus rei Eccleſiaſticæ emptor &c. donec Judicis reſcindentis authoritas accedat .

Regula in praxi obſervanda.

I. Plurima adinveniet Confeſſarius , ſi bene ſcire curet , quæ lex velit ipſo jure , ſeu facto irrita . Major pars occurrit in materia de Juſtitia , ubi agitur de ludis ; de mutuo dato Filio Familias ; de contractibus celebratis cum pupillo ; de teſtamento minus ſolemni &c. Plura etiam adinveniet ipſo facto irrita a lege Eccleſiaſtica ; ut eſt electio Excommunicati : *cap. Paſtoralis de Cler. excomm. miniſt.* , & electio facta ab excommunicatis , vel ſuſpenſis ; *cap. cum dilectus de conſ. & cap. cum inter de elect.* In his omnibus Confeſſarius ante ſententiam judicis non inquietet ſuum Pœnitentem , nam ex dictis ſatis tuta eſt ſententia , quæ docet tales leges ante ſententiam Judicis non habere locum niſi pro foro externo , ſi , ut circa finem capitis præcedentis adnotavi , e verbis legis clare aliud non colligatur .

CAPUT XVII.

De lege Cæſarea infirmante ultimas defunctorum voluntates non ſolemnes .

1. CIvilium Legiſlatorum ultimas minus ſolemnes voluntates caſſantium intentio fuiſſe videtur , illis reſiſtere civiliter tantum , relicta interim ratione naturali , quamvis inefficaci , quippe quæ per exceptionem civilis conſtitutionis elidi poſſit .

2. NB. Judex in externo foro hæreditatem adjudicare debet hæredi ab inteſtato , eumque liberum pronunciare a ſolvendis legatis ex teſtamento minus ſolemni , licet certum ſit , aliam fuiſſe teſtatoris voluntatem . Prob. Judex non de legibus , ſed ſecundum leges judicare debet ; imperfectum autem teſtamentum ſecundum leges nullum eſt . §. ex eo . Inſtit. Quibus modis . *Ex imperfecto teſtamento voluntatem tenere defuncti nolumus* .

3. Neque in conſcientiæ foro hæres ab inteſtato ſolvere tenetur legata ex teſtamento imperfecto , iis ſemper exceptis , quæ ad pias cauſas ſunt . Nam judicis ſententia , ut juſta ſit , non debet repugnare juri naturali ; repugnat autem juri naturali ea Judicis ſen-

ten-

tentia, per quam hæres in conſcientia legata V. C. ſolvere efficaciter obligatus, ita, ut nulla exceptione ſe tueri poſſit, a ſolutione liber pronuntiaretur: Ergo hæres non eſt in conſcientia obligatus. Quare eſto hæc generalis Regula; *Qui in foro externo juſta, et recepta legis beneficio ſe tueri poteſt, quo minus ſolvat, is neque in conſcientiæ foro de ea re convictus ſolvere ex juſtitia obligatus eſt.*

4. Si hæres in teſtamento minus ſolemni inſtitutus, vel legatarius rem ſibi relictam ſine vi, fraude, nactus eſt, jus retinendi habet, donec civili condictione indebiti ab ipſo repetatur. Ratio: Quia manet obligatio naturalis, quæ per ſe ſufficiens eſt ad dominium transferendum.

5. Si hæres fateatur, ſuæ fidei commiſſum a defuncto, ut hæreditatem, vel legatum alteri reſtituat, civili quoque jure ad id cogendus eſt. Eadem ratio eſt, ſi id per duos teſtes probari poſſit.

NB. Leges Cæſareæ teſtamentis minus ſolemnibus reſiſtunt civiliter tantum, & non naturaliter.

6. Idem homo unius teſtamenti tanquam minus ſolemnis, caſſationem petere, & poſtea ex alio minus ſolemni hæreditatem, vel legatum capere non prohibetur, ſi nihil contra ipſum excipiatur. Hæc enim duo, licet ex diverſis, tamen non oppoſitis principiis oriuntur. Nam prius illud teſtamentum oppugnavit, & caſſari fecit ob beneficium legis civilis, quæ talia teſtamenta a Judice infirmanda decrevit. Ex altero autem minus ſolemni teſtamento hæreditatem, aut legatum cepit, ſecutus voluntatem defuncti ſecundum juris naturalis æquitatem, ſi hæres non oppoſuit beneficium legis reſcindentis; quippe quod iis tantum prodeſſe debet, qui eo utuntur. Confirmatur a ſimili. Si minor 25. annis abſque tutoris authoritate contraxit, poteſt excipere, & opponere beneficium legis civilis, quo minus contractum ſervare teneatur. Porro ſi idem homo temporis progreſſu, cum ætate major factus eſt, ſimiliter contractum ineat cum minore, non prohibetur ab ipſo petere, & accipere ſolutionem, ſi is nulla ſe exceptione legis defendat. Ratio: Quia Leges civiles, infirmantes contractum pupilli, vel minus ſolemne teſtamentum, non omnino auferunt obligationem naturalem, quamvis reddant minus efficacem, dum beneficium exceptionis tribuunt. Sin vero pars una nihil excipiat, aut opponat, altera jure naturali uti non prohibetur.

Hæres inſtitutus in teſtamento minus ſolemni non poteſt occulta compenſatione uti, ſi hæreditas in externo foro hæredi ab inteſtato adjudicata eſt; quia fieret injuria hæredi ab inteſtato hæreditatem juſte poſſidenti, utpote per Judicis juſtam ſententiam, ut ponimus, ipſi adjudicatam.

7. Quod autem Judex juſte judicet, infirmando teſtamentum non ſolemne, ſupra probatum eſt. Et confirmatur: Quia Judex in quæſtione controverſa debet ſequi conſuetudinem, ſeu ſtylum Curiæ, cum conſuetudo ſit optima legum interpres, imo ſtylus Curiæ jus faciat. Eſt autem communis praxis tribunalium, ſaltem in Imperio, ut teſtamenta non ſolemnia caſſentur: Ergo id juſte fit, conſequenter hæredi jus acquiritur. Interim fateor, ſi ſtylus alicujus Curiæ eſſet, ut hæreditas conferretur ſecundum voluntatem defuncti, etiam ex teſtamento non ſolemni, tunc ceſſante ſcandalo poſſe inſtitutum hæredem, vel legatarium clanculum accipere, quod ſibi voluntate defuncti relictum eſt; eſto, in externo foro id probari non poſſit. Quia, quando in externo foro alicui cauſa adjudicatur ſolum propter defectum probationis, tunc pars litigans, ſi veritatem perſpectam habeat, non tenetur ſe in conſcientia conformare ſententiæ, niſi propter ſcandalum vitandum. Alioquin, ſi cauſa aperta ſit, nullaque probatione indigens, tunc Judicis ſententia, ſi juſta ſit, juri naturali, ac conſcientiæ repugnare non poteſt; ut per ſe patet. Quamobrem hanc Regulam dare poſſumus: Quod *forum externum, ſi juſtum eſt, non repugnat foro interno conſcientiæ, niſi propter defectum probationis, adeoque per accidens ab ignorantiam.*

CAPUT XVIII.

De Interpretatione Legum.

NB. Lex alia eſt communis (quæ uti verbis, ita & ſenſu univerſa complectitur) alia exorbitans (quæ a communi lege ob favorem cauſæ, vel perſonæ, aliquos eximit, diciturque jus ſpeciale, ſeu privilegium) alia limitans (per quam a communi lege exceptio fit, ut in certo caſu locum non habeat.) Differt lex limitans ab exorbitante, quod hæc certum perſonarum genus a lege communi eximat, illa vero a communi jure certum caſum excipiat. Alia corrigens, (per quam jus commune vel in totum, vel ex parte ſimpliciter aboletur.) Nam lex nova veteri derogat, ſi ſimul ſtare non poſſunt. Alia lex dicitur favorabilis, quæ in perſonæ, vel Communitatis favorem lata eſt: Lex odioſa (quæ in detrimentum perſonæ) Lex pœnalis (quæ pœnam transgreſſori decernit.) Omnis lex pœnalis eſt etiam odioſa, ſed non e contra.

NB. Sæpe lex pœnalis, quatenus vergit in utilitatem animæ, in favorem Eccleſiæ, vel boni publici, inter favorabiles cenſeri poteſt.

Præterea, an lex favorabilis ſit, nec ne, id æſtimari debet principali intentione Legislatoris, utrum ea fuerit, ut alicui gratiam præſtaret, licet ſecundario in alicujus damnum cederet. Nam *ex primario ſuo conſideranda eſt diſpoſitio.*

1. Interpretatio eſt verbi, vel ſententiæ obſcuræ per aliud declaratio. Alia inſuper eſt neceſſaria, alia doctrinalis. Illa vel generalis, ſive erga omnes ſubditos, quæ pertinet ad Legislatorem, vel Principem; habet enim & ipſa legis vim. Quare *ejusdem eſt legem authentice interpretari, cujus eſt condere.* l. 9. & ſeq. C. de legibus. Alia particularis, quæ ad inferiorem Judicem ſpectat: Nam Judex eſt juris interpres in cauſa dubia. Dicitur autem hæc judicialis interpretatio neceſſaria, quia juxta eam Judex ſententiam fert, cui parere oportet, tamquam vim habenti particularis legitimi præcepti. Interpretatio doctrinalis, non neceſſaria, ſcholaſtica, Doctorum propria eſt, quæ conjecturam affert, non neceſſitatem, niſi ſit omnium Doctorum conſenſus.

Particularis interpretatio Judicis eſt in ordine ſolum ad partes; nam alii non tenentur illam ſequi.

2. In dubio præſumptio eſſe debet pro lege communi; quod vero a communi jure deficit, ſtricte interpretandum.

Correctio legum, quantum fieri poteſt, vitanda. Nam *jura juribus concordare debent, eorumque correctio, quatenus fieri poteſt, vitanda.* C. Cum expediat. de Elect. in 6.

Exceptio a regula firmat regulam in aliis.

3. Lex pœnalis, & odioſa ſtrictam interpretationem poſtulat, juxta *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Reg. 49. in 6. & Reg. 15. in 6. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.* Ea propter *verba legis pœnalis intelligenda ſunt cum effectu.* V. C. Si Cenſura Canonica, vel irregularitas homicidæ decreta ſit, eam non incurret, qui occidendi propoſito facinus aggreſſus eſt, niſi effectus mortis ſequatur.

In legum interpretatione potius adhærendum menti, quam verbis Legislatoris. Ratio: quia mens, & voluntas Legislatoris eſt veluti ſpiritus, & anima legis; unde omnis vis obligandi per verba tamquam ſigna inſtrumentalia provenit. Porro mens, & voluntas Legislatoris partim ex materia legis, partim ex circumſtantiis, præcipue vero fine, cauſa, ſive ratione legis ferendæ intelligi poterit, juxta Reg. 67. ff. *Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimum accipietur, quæ rei gerendæ aptior eſt.*

5. In dubio verba legis, alteriuſve diſpoſitionis accipi debent ſecundum communem acceptionem, quæ etiam proprietati præferenda eſt.

6 Propria verborum ſignificatio eligenda potius, quam impropria, niſi ad hanc recurrere neceſſitas cogat, aut recepta conſuetudo aliter legem interpretetur; aut ſi ſignificatio verbi propria abſurditatem contineat, aut ſi de mente Legislatoris aliunde certior conjectura accipi poſſit, aut ſi lex ſecundum propriam verborum ſignificationem repugnaret, aut derogaret antiquioribus juribus, tunc ad impropriam ſignificationem trahenda eſt.

7 Lex generaliter, vel indefinite loquens omnia ſignificata propria comprehendere cenſetur. Nam *verba generalia generaliter accipienda ſunt.* l. 1. ff. de legatis præſtandis. Et, *ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus*, ait Bartolus in l. de pretio. ff. de Publiciana, &c.

NB. Enuntiatio indefinita in communi locutione æquivalet univerſali.

8 In materia favorabili, ac nemini præjudicante, niſi quid obſtet, ultra communem, & uſitatam verborum acceptionem interpretatio fieri poteſt. V. C. Statutum de filiis comprehendit quidem etiam filias, quia vox filiorum pro utroque ſexu accipitur; non tamen nepotes, neque filios adoptatos,

NB.

NB. Vocabulum mors apud Jureconſultos etiam accipitur pro morte civili, nomen filii pro adoptivo, & legitimi pro legitimato.

9. Interdum lex ultra verborum ſignificationem ob rationis identitatem extenditur ad alios caſus, & perſonas, ſi præſumi poſſit, Legislatoris mentem fuiſſe, eos etiam comprehendere; modo ratio, quæ movit Legislatorem etiam ad id, quod in lege ſua expreſſit ſtatuendum, adæquate, ſive per omnia etiam locum habeat in aliis caſibus per verba non expreſſis.

NB. Talis extenſio ob ſimilitudinem rationis fieri non debet in legibus odioſis, niſi neceſſitas cogat ad ſervandam inſtantiam legis.

10 Statutum de uno correlatorum cenſetur etiam ſtatutum de altero. Ut ſi pœna aliqua Canonica, vel civilis uxoricidio decreta ſit, eam etiam uxor incurret, ſi maritum occiderit. Item, ſi lex diſponat, ut maritus ſuccedat, vel non ſuccedat in bonis uxoris, idem quoque interpretandum eſt de uxore, ut ſuccedat, vel non ſuccedat in bonis defuncti mariti.

NB. Quando duo in Jure æquiparantur, quod de uno conſtituitur, de altero etiam conſtitutum cenſetur. Sic V. C. Excommunicationem Canonis, latam contra Clericorum percuſſores, incurrit etiam mandans ob juris æquiparationem. Quod quis per alium facit, perinde eſt, ac ſi ipſemet faciat; etiam ratihabens, quia ratihabitio, æquiparatur mandato, juxta Reg. 10. in 6. *Ratihabitionem retro trahi, & mandato non eſt dubium comparari.*

11 Lex interpretans non minus obligat, quam interpretata. Nam licet Princeps interpretando legem anteriorem ejus ſenſum non aſſequatur, tamen authoritas interpretantis defectum ſupplet; ſiquidem lex interpretans non minus obligat, quam interpretata. Judex vero quibbet a publica poteſtate, ipſoque Principe in mandatis habet, ut, quam fieri poteſt, conformiter legibus ſententiam proferat. Quapropter, ſi lex ſuppetat, per quam controverſia exprimitur, ac deciditur, ſecundum illam judicare tenetur. Sin lex talis non ſuppetat, a ſimilibus ad ſimilia procedere debet, juxta l. 12. ff. de legibus. *Nam poſſunt omnes articuli ſigillatim aut legibus, aut Senatus conſultis comprehendi; ſed cum in aliqua cauſa ſententia earum manifeſta eſt, is, qui juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, & ita jus dicere debet.*

NB. In iis, quæ ſunt ſubordinata, tamquam perfectum, & imperfectum, vel tamquam totum, & pars; extenſio etiam fieri debet ad caſus non expreſſos, juxta Reg. 53. in 6. *Cui licet, quod plus eſt, licet utique, quod minus eſt.* Et reg. 80. eod. *In toto partem non eſt dubium contineri.* Quare, cui teſtamentum facere conceſſum eſt, ei etiam Codicillum. Contra, cui Codicillum prohibitum eſt facere, eidem multo magis teſtamentum. Item, cui tempore Quadrageſimæ eſus carnium permiſſus eſt, ovorum quoque permiſſus cenſetur. Nam *conceſſo principali conceduntur etiam acceſſoria.* (a)

„ (a) Regula hæc ex juris diſpoſitione ſpeciali in „ exemplo allato de jejunio Quadrageſimali fallit; nam „ cui conceduntur carnes, non poteſt in eadem menſa carnibus & piſcibus veſci, ut ſuo loco monebitur.

CAPUT XIX.

De reſtrictione Legis ſecundum æquum, & bonum.

1 ÆQuum, & bonum opponitur juri ſtricto, verborum proprietati tenaciter adhærenti. De quo ſermo eſt reg. 90. ff. *In omnibus, maxime tamen in jure, æquitas ſpectanda eſt.* Hinc illud cantum: *Summum jus, ſumma injuria.*

2 Æquum, & bonum, ſive Epikeja eſt emendatio juſti legitimi; dictat enim, aliquem caſum a lege propter æquitatem excipiendum eſſe, qui alioquin verbis univerſalibus legis comprehenderetur. Æquitatis enim ratio interdum dictat, concurrente aliqua circumſtantia, contra verba legis agendum eſſe, quamvis non contra mentem Legislatoris: Quippe Legislator, ſi interrogatus fuiſſet, utrum ad hunc quoque eventum legis ſuæ obligationem extendi vellet, utique negaſſet; vel nunc quoque, ſi adeſſet, idem diceret. Conſentit S. Thomas definiens, quod Epikeja, ſive æquitas ſit *directio legis, ubi deficit propter univerſale.* V. C. Si lege civili cautum ſit, ne civitatis portæ aperiantur, aperiri tamen poſſunt, ac debent eo caſu, quo cives, hoſtium impetum fugientes, ad civitatem ſe recipere cupiunt. Et lex Eccleſiaſtica de jejunio, omnibus Chriſtianis adultis univerſaliter poſita, non obligat infirmos, aut periculo infirmitatis obnoxios, ſi jejunarent.

NB. In legibus obligantibus potius, quam infirmantibus Epikejæ locus eſt niſi de voluntate Legislatoris ex aliquo ſigno conſtet. Sic enim teſtamentum non valet coram tribus teſtibus, etſi in aliquo caſu, lege, aut voluntate Principis non excepto, plures haberi non potuerunt. Nec valet matrimonium ſine Parocho, & teſtibus celebratum tempore peſtis, etſi ii intereſſe non potuerint. Quia ejuſmodi leges præſcribunt formam ſubſtantialem; ſine ſubſtantia autem actus ſubſiſtere non poteſt. Deinde ad vitandas fraudes intereſt Reipublicæ, ita obſervari, poſtbabito particulari incommodo, per accidens aliquando interveniente.

3 Si manifeſtum ſit, caſum aliquem ob ſpeciales circumſtantias a lege generali excipi oportere, interpretatio talis a quovis fieri poteſt.

NB. *Si concurrant duo præcepta, quæ ſimul ſervari non poſſunt, poſthaberi debet minus*, V. C. Eccleſiaſtica legi divinæ, & naturali. Deinde ſi legis obſervatio a majori bono altioris virtutis impediat. Sic V. C. Miſſa die feſto omitti poteſt, ut proximo ægrotanti ſubvenias.

4. In dubio, utrum lex in particulari caſu per Epikejam ceſſet, Princeps conſuli debet, juxta l. 1. C. de legibus ubi Imperator ait: *Inter æquitatem, juſque interpoſitam interpretationem nobis ſolis & oportet, & licet inſpicere.*

5 Qui excuſatur ab eo, quod in præcepto accidentale eſt, debet tamen obſervare principale, ſi poſſit. Ratio: Quia *principale non trahitur ab acceſſario.* V. C. Qui ob profectionem, negotium, vel infirmitatem in die jejunii cogitur prandium anticipare, debet is deinde nihilominus jejunium ſervare, ſi poſſit. Quia determinatio temporis ſecundum conſuetudinem, qua hodie utimur, prandendi circa meridiem, vel hora ante meridiem, videtur eſſe tantum accidentale, vel ſaltem ſecundarium requiſitum ad jejunii formam. Aliud exemplum habes in eo, qui die feſto ad unicam ejus loci Miſſam acceſſit, cum jam Præfatio cœpta eſt, debet is, quod reliquum eſt Miſſæ, audire. Nam quæ a Conſecratione uſque ad Sacerdotis Communionem peraguntur, proprie, & ſubſtantialiter ad ſacrificium Miſſæ pertinent; reliqua vero quaſi accidentarie annexa ſunt. Si autem circa Præfationem diſcedere debeas, &, quod principale eſt ſacrificii, negligere, non peccabis, etſi totam Miſſam intermittas: Quia deſtructo principali deſtruitur etiam acceſſorium.

6 Si præceptum ſit de re individua, qui excuſatur a parte ejus ſubſtantiali, excuſatur a toto, niſi pars præcepti, quæ ſervari non poteſt, exigua ſit: Eam autem voco partem individuam, in cujus parte ſubſtantia præcepti ſervari non poteſt; conſequenter, ſi unam partem ſubſtantialem præcepti auferas, totum corruit. Exemplum habes in eo, qui prævidet, ſe debere in die jejunii poſt meridiem binam refectionem (b) capere, is etiam mane jentaculum accipere non prohibetur. Deinde, qui vovit ſe Roſarium, vel Veſperas oraturum, & non poteſt orare totum, excuſatur etiam a parte.

(b) „ Intellige refectionem plenam, i. e. bis prandere.

Quod ſi pars præcepti, quæ ſervari non poteſt, exigua ſit, tunc, qui reliquum obſervat, cenſetur etiam moraliter implere præceptum quoad ſubſtantiam. Tunc autem exigua, & non notabilis, videri debet in præceptis ſub culpa mortali obligantibus, ſi partem illam culpate omittendo, & reliquum ſervando moraliter aliquis peccaturus non ſit. V. C. Qui Breviarium ſuum amiſit, & in Matutinis alicujus Feriæ omnes Pſalmos memoriter ſciat, ſed tres Lectiones cum Reſponſoriis neſciat, obligatur ad Pſalmos recitandos, quia tunc pars, quæ omittitur, notabilis non eſt. Aliud vero dicendum de Matutinis novem Lectionum, quarum omiſſio notabilis cenſetur; quare, qui eam partem recitare nequit, a toto excuſatus eſſe videtur. Item, qui jejunium ſervare non poteſt, niſi mane offam comedendo, is de cætero, ſi certus ſit, ſe jejunare poſſe, tenebitur; nam fruſtillum panis, aut offula exiguam jejunii violationem eſſe inde colligo, quod, qui ſine cauſa ita violat, & de cætero jejunat, mortalis peccati damnari non poſſe videatur.

7 Si præceptum ſit de re dividua, qui excuſatur ab

una

una ejus parte; debet tamen ſervare alteram: quippe in qua præcepti ſubſtantia conſiſtere poteſt. V. C. Sacerdos, qui ob aliquam cauſam impeditur a recitandis Matutinis, tenetur nihilominus recitare Horas parvas, & Veſperas, ſi poſſit. Item, qui ob infirmitatem, aut corporis labores una refectione non poteſt contentus eſſe, debet tamen a carnibus abſtinere: Quia hæ duæ partes jejunii inter ſe dividuæ ſunt. Hinc hic locum habet Reg. 37. in 6. *Utile per inutile non debet vitiari*. Quam Regulam Doctores intelligunt, *ſi utile ab inutili ſeparari poſſit*. Nam alioquin vitiato uno vitiatur totum. Qui ob aliquam cauſam majore parte Quadrageſimæ a jejunio excuſatur, tenetur nihilominus iis diebus jejunare, in quibus ratio excuſationis manifeſto ceſſat; nam præceptum Quadrageſimæ, item Canonici Officii habet partes inter ſe dividuas, in quibus ſingulis ratio Eccleſiaſtici jejunii, abſtinentiæ, vel Canonicæ Orationis ſervari poteſt. Dixi: *Si manifeſto ceſſet*. Nam ſi certus aliquis ſit, adeſſe impedimentum, excuſans a majori parte Officii Canonici, aut Quadrageſimalis jejunii, dubitet vero, quoties in hebdomada jejunare, aut quantam Officii partem ſine læſione corporis perſolvere poſſit, tunc Epikeja dictabit, quod pars certa trahat ad ſe partem minorem incertam, hominemque omnino exſolvat obligatione legis, cum alioquin propter dubium ſcrupulorum, & anxietatis materiam oriri perfacile eſſet.

Regula in praxi obſervanda.

I. Uſus epikejæ valde prodeſſe poteſt Docto Confeſſario, ſi tamen ea cum grano ſalis utatur. Demus e. g. Parochum abſentem a Civitate non poſſe differre matrimonium ſine periculo imminenti gravis ſcandali, jam ſi per epikejam non interpretetur in tali caſu ceſſare obligationem denunciationum faciendarum ante matrimonium, nec aliam poſſe eſſe mentem Epiſcopi, ad quem non adeſt tempus recurrendi, certe ex ipſius ignorantia multa ſcandala poterunt evenire. Item, ſi per epikejam non reputet ceſſare obligationem ferendi SS. Viaticum cum ordinaria luminum aſſociatione, quoties periculum eſt in mora, evenire facile poterit plures abſque tanto auxilio obire. Non per hoc tamen intelligo ferri poſſe cum indecentia. Ex his plura alia inferat, & in iis, quæ non ſunt intrinſece mala, non refugiat uti epikeja, quoties ex obſervantia legum videt vel ſibi, vel aliis proximum periculum gravis damni imminere.

Hinc, ut id etiam pro praxi non deſinam adnotare, quoties videt ex materiali integritate Confeſſionis, vel Infirmo grave periculum ſalutis imminere, vel ſcrupuloſo intolerabilem conſcientiæ perplexitatem, judicet ex epikeja non habere locum plenam obſervantiam legis divinæ de materiali integritate Confeſſionis. Idem dicas de obligatione recitandi Horas Canonicas, quoties ex ipſius recitatione ita quis ſcrupulis angeretur, ut ipſarum recitatio eſſet illi onus graviſſimum. Ob quietem tamen majorem ſcrupuloſi, melius eſt recurrere ad ſuperiorem Eccleſiaſticum pro diſpenſatione.

II. Notet Confeſſarius Regularium nimis permittere operari ex præſumpta Superioris licentia, eſſe januam, unde laxitates, & corruptelæ Monaſteria invadant Regularium. Non ſit nimis ergo indulgens erga eos, qui ex præſumpta licentia operantur, quoties patet aditus ad Superiorem; vel ſi ſolum ſibi probabiliter perſuadeant Superiorem conceſſurum, maxime ſi non ſit aliqualis neceſſitas operandi.

CAPUT XX.

De excuſatione ob Ignorantiam.

1 PRobabilis ignorantia non ſolum a culpa excuſat, ut ſupra prob. Tract. 2. Cap. 4. ſed etiam a pœna. Ratio ſumitur ex cap. 2. de Conſtit. *rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*. Nam pœna decernitur ob culpam: Ergo ceſſante culpa, ut cauſa, ceſſare debet & pœna, ut effectus, ſive reatus pœnæ.

2. Ignorantia craſſa, ſeu ſupina non excuſat a pœna legis, etiam gravi, cum neque a mortali peccato excuſet.

NB. Si tamen pœna decreta ſit ſcienter, ac temere peccantibus, non comprehenduntur delinquentes ex ignorantia, niſi affectata ſit.

3 Ignorantia vincibilis, non craſſa, excuſat a pœna ordinaria gravi. Nam ſicut illa gravitatem culpæ minuit, & venialem efficit; ita etiam æquum eſt, ut pœnam minuat. Quare judex in tali caſu vel veniam delicti dare, vel etiam mitiorem pœnam imponere debet.

4 Qui poſt diligentem inquiſitionem ſpeculative dubitat, utrum lex, vel præceptum impoſitum ſit, nec ne, interim obligatione immunis eſt. V. C. Si quis in ſylvis conſtitutus dubitet, utrum lex Eccleſiaſtica extet de alicujus diei jejunio, & neminem habeat, ex quo intelligere poſſit, is ad jejunium non tenetur. Ratio: Nulla lex aliquem ad ſui obſervationem obligat, ſi ſufficienter ipſi propoſita, & cognita non ſit, atque per ipſum non ſtat, quo minus cognoſcatur, nam tali caſu eſt invincibilis ignorantia, atque a culpa excuſat; ſed; quando aliquis poſt diligentem inquiſitionem dubius manet, tunc legem non habet ſibi ſufficienter propoſitam, & cognitam, ideoque inculpate ignorat: Ergo licet abſtracte, & ſpeculative dubius hæreat de lege in particulari, tamen practice certus eſt, ſe ea non obligari. Confirm. in dubio melior eſt conditio poſſidentis; quamdiu autem invincibiliter ignoras, utrum lex lata ſit, manes in naturali poſſeſſione liberæ voluntatis: Ergo. Idem ſentiendum, de dubio contractus inter Doctores, utrum licitus ſit, nec ne?

5. Si conſtet de lege lata, dubium vero ſit, utrum abrogata ſit, vel obligatio ejus ceſſet, tutior pars eligenda eſt, & ſecundum legem operandum. Ratio: Quia, cum ſemel conſtet, legem poſitam fuiſſe, præſumptio, ac veluti poſſeſſio ſtat pro lege, ut, ſi quis contra eam excipere velit, probandæ exceptionis neceſſitas ipſi incumbat. Similiter ſe res habet in obligationibus ex contractu: Si enim certus ſim, debitorem me fuiſſe, dubitem vero de cauſa excuſante a ſolutione nihilominus ſolvere cogor.

Tamen, ſi quis re diligenter conſiderata non omnino ambigat, ſed probabilius arbitretur, quamvis non ſine formidine oppoſiti, ſe ob aliquam cauſam a legis obſervatione excuſatum, tunc locum fore Epikejæ, ut practice judicari poſſit, ſe tali caſu legis obligatione ſolutum: Propterea quod in moralibus, ubi certitudo haberi non poteſt, ſufficit ſequi judicium probabile.

6. Qui prævaricatur legem, quam latam eſſe non ignorat, licet ignoret pœnam annexam, nihilominus efficitur reus pœnæ. Excipe primo Cenſuram Eccleſiaſticam, quam nemo incurrit, qui ignorat ob delictum annexam ejuſmodi pœnam. Excipe ſecundo: Niſi pœna ſit admodum gravis, & pluſquam delictum mereatur. V. C. Si peregrinus tranſeat regionem, in qua ſeveriſſime prohibita eſt venatio ferarum, ille vero neſciat violans, non videtur afficiendus tanta pœna, ſciens quidem prohibitionem, ſed ignorans pœnæ gravitatem; cum in ſua regione, & ſpectata rei natura non ita graviter puniri ſoleant tales.

Ignorantia facti excuſat, non juris (reg. 13. in 6.) intelligitur, ſecundum forum externum, ubi ignorantia juris communis, & publici fere non præſumitur, ſed ab allegante probari debet, *propria ſcientia ſe inſtructum non fuiſſe, neque Juriſconſulti conſilium ſecutum fuiſſe*, juxta l. regula. §. ſed juris, ff. de juris, & facti ignorantia. Deinde excipe militem, arma enim magis, quam jura ſcire legiſlator exiſtimat; deinde minorem 25. annorum, cui ob imbecillitatem venia datur.

NB. Facti *ignorantia* (puta, alieni) *præſumitur; ubi ſcientia non probatur*. Reg. 47. in 6. niſi vel publicum, ſive notorium factum ſit, vel ejus ſcientia ex officio alicui incumbat. Arg. c. innotuit. de. elect. & cap. quamvis de reg. juris. Ubi S. Gregorius ait: *Non poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit.*

Facti ignorantia, niſi craſſa ſit, tam in commodis, quam damnis excuſat etiam in foro conſcientiæ, V. C. *cum quis jus ignorans indebitam* (civiliter, debitam autem naturaliter) *pecuniam ſolverit, ceſſat repetitio*. Veluti, ſi hæres per juris ignorantiam legata ſolvit ex teſtamento imperfecto, vel non detracta Falcidia, ordinarie dignus non cenſetur, cui juris beneficium prodeſſe debeat. Quicunque autem ex facti ignorantia, non ſupina, indebitum civiliter ſolvit, V. C. quia ignoravit teſtamentum imperfectum eſſe, ſolutum repetere poteſt. Quod ſi vero aliquis ob ignorantiam ſive juris, ſive facti ſolviſſet, quod ſuum erat, nulloque jure alteri debitum, illud haud dubie, tanquam indebite ſolutum, condicere poterit: Nam *locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, ſive jactura*, Reg. 48. in 6.

CAPUT XXI.

De mutatione, derogatione, obrogatione legis.

1. LEx perpetuo durat, quamdiu legitima authoritate non tollitur: tollitur vero legitima authoritate; *Nam res omnis, per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*, cap. 1. de reg. juris. Porro legi derogatur, cum pars ejus detrahitur; abrogatur, cum totum tollitur.

NB. Si ſtatutum concernens favorem aliorum, aut publicum, a Superiore confirmatum ſit, non poteſt

dein-

deinde ab inferioribus ; qui illud ſtatuerunt , infringi : quia Superior illud confirmando fecit quaſi ſuum. Sin vero ſtatutum a Superiore confirmatum eſt in gratiam ſtatuentium , tunc poſſunt recedere , illique perinde, atque alteri gratiæ , ſeu privilegio renuntiare. Secundo ceſſat lex ob mutationem objecti , ſive cauſæ, propter quam lata eſt.

2. Poſterior Principis conſtitutio derogat priori , quatenus ei contraria eſt , licet verbis expreſſis nulla ejus mentio fiat . Excipiuntur tamen Decreta Concilii generalis , quibus poſteriore lege contraria derogatum non cenſetur, niſi clauſula derogatoria expreſſe adjiciatur.

3. Ceſſante univerſim totali cauſa legis per ſe ipſam ceſſat lex. Sumitur ex c. cum ceſſante , de appellat. ubi dicitur : *Ceſſante cauſa ceſſat effectus* . Confirmatur . Quia , ſicut lex ab initio non ſubſiſtit , ſi ſine ratione lata ſit ; ita etiam poſtea deſinit , deſinente ratione ejus , quandoquidem tunc ejus obſervatio inutilis , atque ſupervacanea eſſe incipit , juxta Heb. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati* (legis Moſaicæ) *propter infirmitatem ejus, & inutilitatem*.

Dixi in aſſertione: *Ceſſante cauſa totali*. Nam ſi partialis tantum cauſa ceſſet , fieri poteſt , ut perſeveret altera cauſa , quæ ſufficiens ſit ad conſervandam ejus obligationem . V. C. Lex tributi civibus indicta , cum hoſtes civitatem oppugnarent , non penitus ceſſat, etſi hoſtes adeſſe deſinant , dum periculum ab hoſtibus , vel aliæ juſtæ cauſæ exigendi tributi permanent.

Secundo dixi : Ceſſante cauſa *univerſim* . Nam ceſſante cauſa legis in particulari homine non ideo ejus obligatio deſinit . V. C. Si civibus interdicatur armorum uſus ad vitandas rixas , fas non erit civi , qui ob ſenectutem a pugna alienus eſt, arma prohibita geſtare , quia intereſt boni publici , ut leges communes ab omnibus communiter obſerventur , quamdiu non occurrit aliquod impedimentum contrarium , quod per Epikejam excuſet.

NB. Si lex plures in ſe contineat partes , quarum altera ab altera ſeparari non poteſt , tunc ceſſante ratione unius partis perſeverat lex ſecundum alteram . Ratio : *Quia utile per inutile non debet vitiari* . Reg. 37. in 6.

4. Lex in præſumptione fundata ceſſat obligare , ſi de contraria veritate conſtet : *Cedit* enim *præſumptio veritati* . Arg. cap. ſuper hoc. de renuntiat. Porro ea lex in præſumptione fundari dicitur , cujus formale motivum , & intrinſeca objecti conditio eſt præſumptio alicujus rei , ſive per quam Judici præcipitur , ut in omnibus occurrentibus caſibus ex tali præſumptione , quam ipſamet lex facit , talem ſententiam ferat . V. C. Sponſalia de futuro , ſecuta copula , in matrimonium tranſiiſſe cenſentur ob juris præſumptionem , ſponſos non animo fornicario , ſed conjugali conjunctos fuiſſe . Quo tamen nihil obſtante , ſi ſponſus ſciat, falſam eſſe hanc juris præſumptionem, animumque ſibi non fuiſſe in matrimonium conſentire , ideoque aliam poſtea uxorem duxerit , priore ſponſa , quamvis per injuriam, ſpreta, hoc caſu non prius falſa præſumptione nixum , ſed poſterius matrimonium conſtabit . Quod adhuc hodie ſervari debet iis locis, in quibus Tridentina Conſtitutio recepta non eſt.

Aliud exemplum Navarrus adſert . Licet excommunicentur ii Chriſtiani , qui Saracenis , &c. deferunt arma , ferrum , quibus Chriſtianos oppugnant ; & vero præſumptio eſſe ſoleat , talia ipſis ſubminiſtrari cum nocumento Chriſtianis inferendo : Si tamen certo conſtet miniſtranti , Saracenum , vel Turcam non ad bellicos uſus, ſed V. C. ad ædes privatas fabricandas petere, contra legem Eccleſiaſticam non peccat , ideoque nec Excommunicationem incurrit.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Advertat Confeſſarius multas dari leges in præſumptione fundatas , ut animadvertes maxime ſtudendo de contractibus : ubi ex præſumptione fraudis, doli &c. multa annullantur geſta a Filiisfamilias ; a Minoribus ; multa ita exiguntur pro validitate aliquorum contractuum, & maxime Teſtamenti . Cum autem hujuſmodi leges ſoleant eſſe ſtrictæ interpretationis , non facile quæ fiunt contra tales leges , nulla declares, quoties abfuit fraus &c. Bene nihilominus conſideres , an conveniant DD. eas leges fundari in præſumptione ſolius periculi ; nam tunc , etiam non interveniente fraude, obligarent.

CAPUT XXII.

De diſpenſatione in Lege.

1. Diſpenſatio eſt relaxatio legis , publica auctoritate facta . Eſt actus juriſdictionis . Diſtinguitur 1. ab abſolutione , V. C. a Cenſura : Nam per hanc non relaxatur vinculum legis , ſed alterius obligationis . 2. Diſtinguitur ab Epikeja ; quia per hanc obligatio legis non tollitur , aut relaxatur , ſed declaratur , per ſe ipſam ceſſare : Diſpenſatione autem relaxatur lex alioquin obligatura.

NB. 1. Quod in legem divinam non cadat diſpenſatio ; quia inferior (homo) non poteſt tollere, vel relaxare legem Superioris , id eſt, Dei.

NB. 2. Licentiam dare non eſt diſpenſare . V. C. Pœnitens licentiam dat loquendi extra Confeſſionem , non diſpenſat , ſed appoſita conditione mutatur objectum legis , ut ea per ſe ipſam ceſſet.

Diſpenſatio diſtinguitur etiam a derogatione legis , & abrogatione ; quia per diſpenſationem relaxatur ſolum obligatio legis reſpectu certæ perſonæ , temporis, &c. Per abrogationem vero , & derogationem lex tota, vel pars univerſim tollitur.

2. Poteſtas diſpenſandi alia eſt ordinaria , alia delegata . Illa imprimis Legislatori competit : Nam *ejuſdem eſt ligare , & ſolvere* . Secundo , ejus ſucceſſori : Nam *par in parem non habet imperium* . cap. innotuit. de elect. Succeſſor autem , & anteceſſor ſunt pari poteſtate præditi : Ergo . Tertio , Legislatoris Superiori.

3. Papa in omni jure Eccleſiaſtico tam univerſali , quam particulari diſpenſare poteſt , etiam in Apoſtolicis Canonibus , conditis ab Eccleſiæ Præſidibus , V. C. jejunio Quadrageſimali , obſervatione Dominicæ . Non item in Canonibus , quos a Chriſto authore acceptos uti miniſtri Eccleſiæ promulgarunt , ac tradiderunt , V. C. de Baptiſmate parvulorum , baptizatis confirmandis , conſummati matrimonii indiſſolubili vinculo , ſuffragiis mortuorum.

4. Epiſcopus in lege Eccleſiæ univerſali jure ordinario diſpenſare non poteſt (Ratio : Quia inferior non diſpenſat in lege Superioris) attamen in dubio , utrum res egeat diſpenſatione , declarare poteſt , non egere :

Epiſcopus diſpenſare poteſt in lege generali , ſi facultas diſpenſandi generali lege illi conceſſa ſit . Talis enim poteſtas conceſſa tranſiit in ordinariam : cum non perſonis , ſed officio , & dignitati conferatur . 2. Si legitime conſuetudine præſcripta diſpenſandi facultatem compararit . 3. Si in caſu neceſſitatis ad Summum Pontificem non facilis ſit recurſus, V. C. in votis Religionis propter grave incontinentiæ periculum : & in matrimonii impedimento alioquin diſpenſabili , ſi matrimonium ſit bona fide contractum , ſeparatio autem ſine gravi incommodo fieri nequit : Non autem in matrimonii impedimento dirimente , nondum in facie Eccleſiæ contracti . 4. In materia levi , aut frequenter occurrente , V. C. circa Feſta , jejunia ; cum veroſimile non ſit , Principem velle , ut in rebus parvi momenti , aut frequenter contingentibus multoties ad ipſum recurratur.

5. Super votis , ac juramentis Epiſcopi jure ordinario cum ſubditis ſuis diſpenſant : Quia talis diſpenſatio ob frequentem ejus neceſſitatem omnino Ordinariis convenit ad ſalutem animarum. Parochis vero jure ordinario non conceditur facultas diſpenſandi , niſi ſpeciali conſuetudine ob remotos Epiſcopos ; quod accidere poteſt in Germania noſtra.

6. Delegata poteſtas diſpenſandi alia eſt a jure , quæ , ſi in perpetuum concedatur , non annexa perſonæ , ſed officio , aut dignitate æquiparatur ordinariæ : Aut eſt ab homine per modum puræ commiſſionis in favorem certæ perſonæ ; cujus diſpenſationis ea natura eſt , ut delegante mortuo , aut depoſito exſpiret commiſſio , ſi res integra eſt , ſive cauſa executioni nondum mandari cœpta : Vel eſt ab homine per modum gratiæ in favorem delegati , quæ , ſi abſolute conferatur , non exſpirat morte concedentis . *Decet enim conceſſum a Principe beneficium eſſe manſurum* . reg. 16. in 6.

Diſpenſatio interdum expreſſe fit per verba , & interdum , tacite per factum , quo diſpenſandi voluntas ſignificatur . Eſt ejuſdem virtutis cum prioris : quia *taciti, & expreſſi eadem eſt virtus*.

8. Ratihabitio de præterito non ſufficit ad valorem diſpenſationis , vel collatæ juriſdictionis , ſed neceſſaria

Digitized by Google

ria eſt ſcientia ejus, quod agitur: Qui enim neſcit, utique non conſentit. Hinc, ſi ſacerdos juriſdictione carens a peccatis abſolvat, eo neceſſitatis caſu, quem ſi Ordinarius ſciret, haud dubie juriſdictionem conferret, abſolotio irrita eſt, neque ſubſequenter ratificatione convaleſcit; ut dicam Lib. 5. Tract. 6. cap. 10. num. 12.

9. NB. Cum hodierno jure juriſdictio, ſeu poteſtas audiendi Confeſſiones ſacerdoti committi non poſſit, niſi prius ab Epiſcopo approbatus ſit, conſequens eſt, ſi Parochus exponat Confeſſarium ab Epiſcopo non approbatum prætextu ratihabitionis, vel approbationis conferendæ, nihil effici. Excipe: Niſi hoc poſtremo caſu communis probabilis error in loco, ubi res geſta eſt, accedat: Nam *error communis cum titulo præſumpto* (NB. non debet eſſe intruſus,) (a) *jus facit, juriſdictionemque tribuit, etſi occultum ſubſit impedimentum ex jure poſitivo* (nam ſi jure naturali, vel divino, non erunt valida acta, V. C. ſi Parochus Diaconum Confeſſarium exponat) *proveniens*. V. C. Si a Papa, vel Epiſcopo, vel Parocho alicui bona, vel mala fide commiſſa ſit juriſdictio *in* foro externo, vel interno, qui ob impedimentum publice ignoratum juriſdictionis incapax eſt, omnia illius acta valent, etiam paucorum reſpectu, qui impedimentum cognitum habent. Ratio eſt: Quod ad vitanda ſcandala, gravia Reipublicæ incommoda Princeps univerſali jure, ac voluntate, non obſtanti tali defectu occulto, agendi poteſtatem conferre videatur.

„ (a) Pauca hæc verba notant exceptionem hujus
„ communis regulæ; error enim non ſufficit ad dan-
„ dam juriſdictionem intruſo; quare ſi Sacerdos abſ-
„ que ullo conſenſu prævio Ordinarii ſaltem colora-
„ to ſe intrudat ad audiendam confeſſionem, nihil
„ efficit.

NB. Sacerdos excommunicatus denuntiatus, ſi alibi, ubi conſtat, Parochiam adminiſtret, omnia ipſius acta valent.

10. Diſpenſatio juſta eſt, quæ cum cauſæ juſtæ cognitione fit; & hæc interdum debita, cum vel legis præceptum, vel publica utilitas, aut neceſſitas hominis privata eam conferri poſtulat: Interdum vero non debita, ſed permiſſa, ob miſericordiam, pietatem.

Quæſtiones de Diſpenſatione.

11. SI inferior ſine juſta cauſa in lege Superioris diſpenſat, irrita eſt diſpenſatio. Ratio: Quia delegatus, ſi excedat limites commiſſæ poteſtatis, nihil efficit.

NB. Diſpenſatio facta a Papa in voto, vel juramento ſine juſta cauſa irrita eſt. Ratio: Quia talis diſpenſatio eſt in jure ſuperioris Dei: Non eſt autem credibile, Deum commiſiſſe ſuo in terris Vicario poteſtatem temere, & ſine cauſa relaxandi vota; eſſet enim hæc poteſtas non diſpenſandi, ſed diſſipandi, non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem.

12. Qui ſine juſta cauſa, ac temere diſpenſat in lege Superioris; item, qui tali diſpenſatione utitur, peccat mortaliter, ſi lex, in qua diſpenſatur, ſub mortali obliget.

NB. Valida eſt diſpenſatio, modo juſta cauſa ſubſit; Prælato eam non agnoſcente. Item ſi Prælatus probabiliter arbitretur, eſſe juſtam cauſam diſpenſandi, etſi errare contingat, valet tamen diſpenſatio propter præſumptam voluntatem Superioris. Idem intellige de diſpenſatione in votis, & juramentis bona fide conceſſis. Porro ſi ſubditus bona fide diſpenſationem petat, & legitime illi collata ſit, tutus eſt in conſcientia, donec contraria veritas appareat. In foro autem externo, ſi diſpenſatio proprio motu Superioris ſit data, habet illa præſumptionem juris, & de jure fuiſſe idoneam cauſam: Quod ſi ad inſtantiam partis fuit data, quia odioſa, incumbit illi probatio in dubio, in quo diſpenſatum eſt.

13. Si Superior in propria lege diſpenſet abſque juſta cauſa, V. C. in jejunio Quadrageſimali, valet diſpenſatio; quamvis ipſe, & qui utitur tali diſpenſatione, venialiter peccent. Ratio prioris: Quia Legis obligatio neceſſario pendet a voluntate Superioris: Ergo, ſi is aliquem e Communitate nolit obligare, ceſſabit obligatio. Poſterius prob. Quia eſt contra legem naturæ, ideo peccant peccato ſingularitatis, & inſolentiæ ex genere ſuo veniali; turpis enim eſt omnis pars ſuo univerſo non congruens. Eſſet tamen mortale, ſi grave detrimentum inferretur Reipublicæ, V. C, Si unus ſine cauſa eximeretur tributo; & alius nimis gravaretur.

14. Si cauſa diſpenſandi tempore datarum literarum adfuit, non item, cum a Commiſſario diſpenſatio facienda eſt, non poteſt eam executioni mandare. Ratio: *Quia ceſſante cauſa finali mandati ceſſat mandatum, ſi res integra ſit*. V. C. Si Caja dotis ob paupertatem defectu, item ſusceptione prolis ex conſanguineo a Papa poſtulavit diſpenſationem ſuper impedimento conſanguinitatis: Papa commiſit Ordinario, ut, precum veritate inſpecta, cum Caja diſpenſet: ſed ante executionem proles moritur, aut Caja hæres ab extraneo inſtituitur, non poteſt tunc Ordinarius cum ipſis diſpenſare.

NB. Quod ſi tempore conferendæ diſpenſationis, ſeu exequendæ cauſa ſubſiſtat, ſed non conſtiterit tempore impetrationis, ſeu datarum literarum: quia poſtulatio fraudulosa, ac ſubreptitia fuerat, non poteſt fieri diſpenſatio, vel executio a Commiſſario. Ratio ex juris Reg. 18. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*. Tum ex verbis, quibus commiſſio fieri ſolet: *Precum veritate inſpecta*.

15. Si cauſa diſpenſandi ſubſiſtit, cum diſpenſatio facta ab Ordinario intrinſecum effectum conſecuta eſt, nihil intereſt, etſi poſtea cauſa ceſſet. V. C. Si cum aliquo diſpenſatum fuit in matrimonio (vel ſuper voto continentiæ) cauſa legitimationis prolis, & poſtea facta diſpenſatione proles moriatur, non reviviſcit impedimentum, aut obligatio voti. Ratio: Quia per diſpenſationem, cauſa juſta ſubſiſtente, extinguitur obligatio legis: Ergo poſtea reviviſcere non poteſt, niſi per aliquam cauſam moraliter efficientem, quæ in propoſito caſu nulla aſſignari poteſt. Confirm. ex Reg. 73. in 6. *Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari*.

16. Privilegia, & diſpenſationes, quæ tractum ſucceſſivum habent, ceſſante cauſa finali, pariter ceſſant. Quare, ſi Papa cum infirmo abſolute diſpenſet in lege jejunii, ille autem præter opinionem vires integre recuperet, tenebitur poſtea jejunio. Nam ſicuti obligatio Eccleſiaſticorum jejuniorum ſucceſſivo tempore oritur, ita etiam decens eſt, ut diſpenſatio liberationem a jejuniorum lege ſucceſſive operetur, dum cauſa ſubſiſtit. Et hæc mens eſt Pontificis. Quia nunquam præſumendum eſt peccatum; peccaſſet autem Pontifex, ſi aliquem exemptum voluiſſet a lege, etiam eo eventu, quo omnis cauſa exemptionis ceſſat.

NB. Si cum aliquo in voto continentiæ abſolute, & illimitate diſpenſatum fuit, intelligitur ad omne legitimum matrimonium. V. C. Si alicui ob difficultatem continendi diſpenſatio matrimonium ineundi data ſit, tunc, etſi nuptiæ, quarum contrahendarum cauſa diſpenſatio petita fuit, poſt diſpenſationem impediantur, poterit aliud matrimonium contrahere.

17. Reſcripta Principum alia ſunt gratiæ (cujus ſpecies diſpenſatio) obtenta per ſubreptionem, quæ ipſo jure irrita ſunt. Alia juſtitiæ, ſive ad lites, quæ non ante cenſentur irrita, quam ab adverſario per exceptionem allegatæ ſubreptionis elidantur. Ratio: Quia licet reſcriptum juſtitiæ ex errore promanet, cum tamen verſetur tantum circa media, ſive modum litis terminandæ, poteſt nihilominus cauſa juſte terminari. At vero reſcriptum gratiæ cum verſetur circa finem, videlicet gratiam obtinendam, ſi ex errore promanet, evertitur omnino principalis intentio concedentis.

18. Taciturnitas qualitatis, cujus expreſſionem jus, vel ſtylus Curiæ ſpecialiter requirit, gratiæ reſcriptum ſubreptitium reddit, eſto, Princeps etiam expreſſa illa qualitate conceſſurus fuiſſet. Ratio: Quia expreſſio talis qualitatis requiritur tanquam forma poſtulationis. Quapropter vitiabitur etiam diſpenſatio, licet qualitas de jure ſimpliciter exprimenda ignoranter omiſſa ſit: Cum enim omittitur forma, vel conditio ſine qua non, corruit actus, etſi ignorans, talem conditionem requiri, a culpa excuſetur.

NB. Impetratio diſpenſationis ſuper impedimento matrimonii intra gradum prohibitum, nulla facta mentione antecedentis copulæ inceſtuoſæ, ſubreptitia eſt. Ratio: Quia ſtylus Curiæ, qui jus facit, ita obſervat, & Cardinalium Congregatio declaravit. Si tamen inceſtus occultus ſit, poterit a Sacra Pœnitentiaria diſpenſatio impetrari, facta interim mentione, quod ſuper publico impedimento conſanguinitatis diſpenſavit Summus Pontifex; quia diſpen-

fatio

ſatin impetrata a Papa in foro externo publicari debet.

NB. Præterea ſi jura ſpeciatim prohibeant, ne aliquo caſu, vel circumſtantia concurrente diſpenſatio concedatur: Talis enim circumſtantiæ taciturnitas diſpenſationem vitiabit. V. C. Qui diſpenſationem petit ſuper impedimento intra gradum prohibitum, poſteaquam matrimonium ita invalide contrahere, vel etiam conſummare præſumpſit (etiam ſub ſpe impetrationis) tenetur temeritatem iſtam explicare. Intellige: Si uterque ita temerarie proceſſit; ſin vero alter culpa caruit, non debet ſpe diſpenſationis carere, ne innocens ob culpam nocentis plectatur.

19 Reſcripta gratiæ ſubreptitia cenſentur, quæ per taciturnitatem veri, per ſe, & intrinſece ad rem pertinentis, obtenta ſunt; ſi Princeps ea veritate expreſſa non conceſſiſſet, vel ſaltem tali modo non conceſſiſſet, ſed cum adjuncta conditione. Ratio: Quia conceſſio gratiæ pendet a voluntate concedentis: ergo quando præſumi poteſt, ſi totum vinculum, ſeu diſpenſandi facultas, ad rem intrinſece pertinens, oſtenſa eſſet, quod Pontifex tali modo diſpenſandi animum non habuiſſet; conſequenter etiam præſumi debet, tali veritate ſuppreſſa, irritam eſſe diſpenſationem, quippe involuntarie conceſſam propter errorem. V. C. Si concurrant duo impedimenta, quæ ſe invicem augent in ordine ad diſpenſationem obtinendam, V. C. impedimentum duplicis conſanguinitatis ex parte utriuſque parentis, vel impedimentum tam conſanguinitatis, quam affinitatis, non valet diſpenſatio ſuper uno impetrata cum taciturnitate alterius.

NB. Qui petit diſpenſationem ſuper impedimento matrimonii in gradu prohibito inæquali, tenetur inæqualitatem exprimere, ſi alter contrahentium a communi ſtipite diſtet in primo gradu. V. C. ſi quis vellet ducere filiam fratris ſui. Nam hoc caſu difficulter diſpenſare ſolet Papa.

Idem dicendum, ſi conſanguinitas, vel affinitas ex duplici capite contracta ſit. Quare qui fornicatus eſt cum duabus ſororibus ejus fœminæ, quacum matrimonium contrahere cupit, debet duplicem impedimenti cauſam explicare; quia alioquin Pontifex totum impedimentum non cognoſcit.

Item: Qui duo homicidia commiſit, & vult habere diſpenſationem ſuper irregularitate, debet numerum exprimere.

Item: Qui a Principe legitimationis reſcriptum petit, debet explicare, an naturalis, an ſpurius ſit, & in quo genere fœditatis.

Item: Petens a Papa diſpenſationem ſuper vota caſtitatis, habens etiam votum ingrediendi Religionem, debet utrumque votum explicare.

20 Diſſimulatio veritatis, quamvis intrinſece pertinentis ad rem poſtulatam, non vitiat diſpenſationem, aliamque gratiam, ſi præſumptio eſſe poſſit, etiam intellecta tali veritate Superiorem diſpenſaturum fuiſſe: Quemadmodum in contractibus, & donatione venit, ut, ſi dolus proprie non præbeat cauſam contrahendi, vel donandi, quia etiam perſpecta veritate alter contraxiſſet, donaſſet &c. non infirmetur contractus, vel donatio; quamvis fortaſſe dolus impulerit donatorem, ut citius donaret. Sed utrum in dubio diſpenſatio valida ſit, & executioni mandanda, Doctores non conſentiunt. Qui dicunt eſſe irritam, reddunt rationem, quod, cum impedimentum V. C. matrimonii, ſuper quo petitur diſpenſatio, certum ſit, diſpenſatio autem incerta, ſtat poſſeſſio pro impedimento. Qui contrarium afferunt, dicunt: quod in dubio potius exiſtimare debeamus, diſpenſationem a Principe (ſicuti & alias diſpenſationes) ſine alterius præjudicio promanantem, validam eſſe, quam irritam.

21 Si qualitas diſſimulata in poſtulatione extrinſece ſe tantum habeat ad rem poſtulatam, non ideo diſpenſatio etiam ſobreptitia cenſetur, tametſi Princeps ea circumſtantia cognita non diſpenſaſſet. Exemplum habes in eo, qui beneficium Eccleſiaſticum petit, diſſimulatis criminibus, quæ ſi Epiſcopus ſciret, non concederet. Sicuti & pauper malus non cenſetur eleemoſynam ſubreptitie obtinuiſſe, quamvis dans ei non conceſſiſſet, ſi hominis improbitatem agnoviſſet. Et in eo, qui petit diſpenſationem ſuper irregularitate ex homicidio, non tenetur exprimere, quod Clericum occiderit; cum hæc circumſtantia ad canonicum impedimentum irregularitatis extrinſeca, & accidentaria ſit. In eo, qui diſpenſationem acceperat ſuper Ordine Subdiaconatus, ut poſſet uxorem ducere; ſi poſtea velit conſanguineam ducere, non videtur obligatus, ut in altera diſpenſation mentionem faciat prioris. Uti Sanchez Lib. X. Diſp 22. numero 5. ubi hanc Regulam tradit. Si diſpenſationes ſunt ſuper diverſis, & una non habeat repugnationem cum altera, non vitiari poſteriorem ob taciturnitatem prioris.

22 Expreſsio falſi, ſi fuit cauſa finalis concedendi diſpenſationes, vitiat; non item, ſi fuit cauſa tantum impulſiva. Prius prob. Nam cauſa finalis ea dicitur, propter quam Princeps concedere vult, & qua non exiſtente concedere non vult; ideoque talis cauſa reſolvitur in conditionem ſine qua non, quæ conditio plerumque in reſcripto exprimitur: *Si ita eſt; vel ſi preces veritate nituntur*. Poſterius prob. Quia cauſa impulſiva dicitur, quæ non abſolute movet ad concedendum, ſed ad facilius concedendum.

23 Si una tantum cauſa diſpenſationis obtinendæ eaque falſa, a ſupplicante allata fuit, diſpenſati ſubreptitia cenſeri debet. Ratio: quia Princeps, V. C. Papa, vel non poteſt diſpenſare ſine vera cauſa videlicet ut in votis vel juramentis, vel etſi abſolut poſsit, non vult diſpenſationem valere; uti conſtat e clauſula conſueta: *Si preces veritate nituntur*.

24 Expreſsio falſi vitiat diſpenſationem, ſi Principi cauſa finalis fuit diſpenſandi tali modo. V. C. Si quis petat diſpenſationem ſuper voto Hieroſolymitano, allegata corporis debilitate, ac paupertate, quarum prior cauſa vera, poſterior falſa ſit, diſpenſatio collata eſt ſubreptitia. Ratio: quia hanc numero diſpenſationem in tali forma, & modo noluit concedere, niſi ſubſi cauſa paupertatis: Ergo eſt cauſa finalis hujus numero reſcripti.

25 Una parte reſcripti ob ſubreptionem vitiata, al tera pars, cujus cauſa vere ſubſiſtebat, ipſo jure no vitiatur, ſi partes ſeparatæ, & invicem independente ſint. Nam *utile per inutile non debet vitiari*; reg. 37 in 6. ſi utile ab inutili ſeparari poſſit.

26 Error qualitatis adjectæ per modum demonſtra tionis diſpenſationem, vel ſcriptum inutile non reddit; ſecus, ſi adjiciatur per modum taxationis, ita, ut re ſubſtantiam deſignet. V. C. Titius & Caja in terti gradu affinitatis conjuncti, cupientes matrimonium contrahere, a Papa petierunt diſpenſationem. Papa commiſit Officiali; ſed erratum fuit in Bulla, quod pro tertio gradu affinitatis tertius gradus conſanguinitatis poſitus ſit.

27 Quod ſi ſufficientibus teſtimoniis oſtendant, errorem ab ipſis non fuiſſe commiſſum, ſed ſe ſuper tertio gradu affinitatis diſpenſationem petiviſſe, poteſt Officialis commiſſionem exequi; quia verba reſcripti ſtricte ſunt accipienda, & ad alium caſum non extendenda, *niſi de intentione mandantis aliud appareret expreſſe*. Quæ exceptio omnino in iſto caſu locum habet. Unde manifeſtum eſt, errorem illum præter mandantis intentionem incuria executorum, vel ſcriptoris irrepſiſſe, ideoque omnino materialem cenſendum. Accedit, hoc reſcriptum ſubreptitium non cenſeri, quippe abſque ullo dolo factum,

28 Prælatus in lege propria diſpenſans, commutationem aliquam adjungere poteſt; ſicut fieri ſolet in diſpenſationibus ſuper votis, & juramentis. Et conſtat ex praxi Curiæ Romanæ, ubi frequenter diſpenſatur in legibus Canonicis, imperata aliqua mulcta, ſive eleemoſyna.

29 Epiſcopus in lege univerſali, V. C. jejuniorum, cum aliquo diſpenſans eleemoſynam imperare poteſt in opus pietatis. Ratio: Minor eſt poteſtas commutandi, quam diſpenſandi; quare, ſi cui poteſtas diſpenſandi conceſſa eſt, magis videtur ei competere poteſtas commutandi.

30 Si Prælatus V. C. in lege jejunii diſpenſet cum Communitate, cujus caput exiſtit, indirecte ſe ipſum etiam obligatione ſolvit; quia Superior non debet eſſe deterioris conditionis, quam ſubditi. Hinc non proprie diſpenſatio dicenda, quam interpretatio.

31 Si Prælatus ſine juſta cauſa ſecum ipſe diſpenſat, diſpenſatio nulla eſt. Ratio: Si enim Princeps propriæ legis vinculum ſibi ad libitum, etiam ſine cauſa, valide relaxare poteſt, ſequitur, eum legis vinculo nunquam fuiſſe obſtrictum, quod contradictionem involvit. (a)

„ (a) Si tamen Prælatus in eo caſu de lege a ſe la-
„ ta, eandem ſine cauſa non obſervet, non committet
„ grave peccatum; cum principes non obligentur ſua
„ lege niſi ex quadam convenientia.

32 Prælatus diſpenſandi poteſtate præditus Confeſſario ſuo committere poteſt, ut ſecum cauſa cognita diſpenſet: Nihil enim prohibet, quo minus alter alteri juriſdictionem committere poſſit, erga ſe ipſum exercendam. Sic enim Papa V. C. dat Confeſſario ſuo juriſdictionem a peccatis abſolvendi ipſummet Papam.

NB. Non in omni actu juriſdictionis perſonarum diſtinctio requiritur, ſed ſolum in coactione judicii per ſententiam. Judicem enim diſtinctam perſonam eſſe oportet a partibus, quibus jus dicit.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Obſervet Confeſſarius ut plurimum ſubditos perperam præſumere Superioris diſpenſationem ex ipſius taciturnitate, vel quia non ſe opponit ipſorum tranſgreſſionibus. Quoties Superiores, ut alibi etiam innui, in animo ſuo ingemiſcunt, vel ex timore graviorum malorum, vel quia timent a Superioribus majoribus non adjuvandos, vel quia humanos reſpectus neſciunt ſuperare? Ex ipſorum ergo ſilentio argui non poteſt niſi raro eſſe in eis voluntatem diſpenſandi, ſed mallent potius regularem obſervantiam promovere. Id maxime dignoſcet ſubditus, ſi non adſit juſta cauſa diſpenſandi; nam cum ſine ea nequeat Superior licite diſpenſare, utique præſumi non debet talis diſpenſatio.

II. Cum conſuetudo ex ſupra dictis conferat juriſdictionem, Parochus non hæreat, dummodo adſit juſta cauſa, in diſpenſando cum ſuis ovibus in jejuniis Eccleſiaſticis, & obſervatione Feſtorum, nam in his viget conſuetudo, ut poſſit diſpenſare. Caveat autem, ne in aliis præceptis diſpenſet, nam quoad ea non viget illa conſuetudo.

III. Advertat Confeſſarius male ſe gerere illos Prælatos, qui remittunt ſuæ conſcientiæ ſubditos, quamvis literatos, qui ad ipſos recurrunt pro diſpenſatione, vel in jejunio, vel in abſtinentia carnium, vel in recitatione Officii &c. quia dubitant an ſit ſufficiens cauſa nec ne ad diſpenſandum. Male, inquam, ſe gerit Prælatus; nam quamvis quando dubitatur an caſus indigeat diſpenſatione, poſſit Subditus, ſi rationem habeat probabilem, judicare non eſſe neceſſariam diſpenſationem, quia tunc non eſt certum dari legem in ordine ad illum caſum; nihilominus id locum non habet, dum certum eſt caſum indigere diſpenſatione, & dubium ſolum verſatur circa ſufficientiam cauſæ, nec ne. Tunc igitur cum poſſideat lex, non poteſt Subditus ſe ab illa eximere ob cauſam tantum dubiam, ac proinde ſolus Prælatus poteſt mederi ipſius conſcientiæ cum ipſo diſpenſandi.

IV. Non facile inquietet Confeſſarius conſcientiam Prælati diſpenſantis, judicando ſine cauſa diſpenſare. Cum etenim juſta cauſa ſit ad concedendam diſpenſationem, etiam velle Superiorem ſe benignum, & liberalem oſtendere, hæc cauſa ſemper facillime aderit. Secus eſſet, ſi Superior paſſim ſine alia cauſa ex hoc ſolo motivo diſpenſaret.

V. Si Subditus obtinuerit a ſuperiore diſpenſationem, etiam ſine juſta, & ſufficienti cauſa, permittat illi Confeſſarius ea uti, nam ex dictis illa diſpenſatio conceſſa a Superiore valida fuit, & Subditus valide diſpenſatus jam non tenetur legem obſervare, nec ſe conformare cum aliis.

VI. Memoria retineat Confeſſarius validam eſſe diſpenſationem bona fide conceſſam, in qua petenda Subditus non proceſſerit malitioſe, & Superior inculpabiliter crediderit vere dari cauſam diſpenſandi. Hinc ſi poſt obtentam diſpenſationem ab aliquo voto, ſeu juramento, reperiatur vere non adfuiſſe cauſam diſpenſandi, poterit Subditus tuta conſcientia uti tali diſpenſatione.

VII. Advertat etiam Confeſſarius non teneri Subditum eſſe certum vel de cauſa diſpenſationis, vel de ſufficientia ipſius, adeoque quamvis de his dubitet, poſſe exponere Superiori ſtatum ſuum, & ſi Superior judicaverit habere locum diſpenſationem, Subditum eſſe tutum in conſcientia, cum ſemper ingenue veritatem manifeſtaverit. Si proinde adhuc ſcrupulis, & dubiis inquietetur, ea deponat ſe ſubmittendo, ut par eſt, judicio Superioris: Ita etiam docet *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *ad* 2.

VIII. Confeſſarii Prælatorum, ſi ſint difficiles in concedendis diſpenſationibus, ipſis admoneant de gravi obligatione, quam habent, eas concedendi, maxime dum ſupplicantes ſunt in gravi peccandi periculo: ut dum expoſcitur diſpenſatio a proclamationibus matrimonii, & a pluribus votis, quæ iidem ſupplicantes perſæpe violant.

IX. Prælatus, vel quilibet alius diſpenſando, optime ſe geret, ſi cum diſpenſatione aliquam miſceat commutationem. Advertere tamen debet quod opus ſubſtitutum ſit proportionatum fini obligationis, quam diſpenſat. Ita diſpenſato in voto caſtitatis, poterit injungere aliquas pœnalitates, quibus corpus affligatur: diſpenſando in obſervatione feſtorum, poterit injungere aliud opus pium &c.

X. Advertat Confeſſarius non confundere ſimplicem diſpenſationem cum commutatione, vel cum diſpenſatione commutationi unita. Commutatio igitur ſemper tenet, etiam ſi ceſſet cauſa, ob quam fuit conceſſa; nam lex in commutatione relinquitur in ſuo vigore quoad obligandum ad ponendum opus injunctum per commutationem.

XI. Cum non ſine valido fundamento rationis dixerimus, non ceſſare diſpenſationem, quamvis ceſſet ejus cauſa motiva, ſi judicata fuerit perpetua, hac doctrina poterit Confeſſarius plures caſus in praxi reſolvere, & ita occurrere ſpirituali neceſſitati Pœnitentis. Si e. g. quis fuerit diſpenſatus ad Ordines ob paupertatem Parentum, quamvis poſt obtentam diſpenſationem per accidens diteſcat, ſubſiſtit diſpenſatio. Si quis diſpenſatus fuerit a voto caſtitatis, vel religionis ad contrahendum matrimonium, quia cauſa ſolet judicari perpetua, nunquam ceſſat diſpenſatio, & ita poſt contractum unum matrimonium, & aliud contrahi poteſt. Hinc cum diſpenſatum fuerit in voto caſtitatis cum quadam muliere, ipſique conceſſum, ut ob ſui paupertatem matrimonium contraheret, judicare potui, mortuo primo conjuge, potuiſſe ad alias nuptias tranſire; quamvis non amplius gravibus rei familiaris anguſtiis premeretur, quia paupertas, ob quam primo fuit cum ea diſpenſatum, non prævidebatur ullatenus removenda.

XII. Notet Confeſſarius, quod dum uſus diſpenſationis, ſeu actus, ad quem datur, habeat tractum ſucceſſivum, & ſoleat eo tempore cauſa motiva diſpenſationis ceſſare, intelligitur etiam conceſſa diſpenſatio ſolummodo uſque dum cauſa perſeverat, neque etenim alia præſumi poteſt mens Legiſlatoris. Sic Diſpenſatus ab Horis Canonicis, ab obſervantia Quadrageſimæ, ab auditione Miſſæ, intelligitur ſolummodo diſpenſatus, quoadusque perſeverat cauſa diſpenſationis.

XIII. Bene perpendat Confeſſarius non ceſſare diſpenſationem per non uſum ipſius, ſeu etiam per uſum contrarium, ſed ad renunciationem diſpenſationis neceſſe eſſe, ut vere quis velit ei renunciare, & quod renunciatio a Diſpenſatore acceptetur. Hinc ſemper cum ſemel & abſolute obtenta eſt valida diſpenſatio, diſpenſatus etiam poſt multum tempus ea poteſt uti, ſi modo præfato non fuit revocata; ac proinde ſi quis obtinuerit diſpenſationem ad ducendam conſanguineam, quamvis aliam mulierem duxerit, ſi hæc moritur, in vi prioris diſpenſationis poterit eandem conſanguineam ducere.

C A P U T XXIII

de Privilegiis.

1 PRivilegium eſt lex privata in alicujus favorem data. Quæ cauſa eſt, cur privilegium ad alias perſonas, loca, &c. præterquam quibus ex ſpeciali cauſa conceſſum eſt, extendi non poſſit.

2 Privilegium aliud eſt reale, quod proxime, ac directe alicui conceditur reſpectu rei, loci, dignitatis, puta, prædii, Monaſterii, Epiſcopatus. NB. In diſcernendo, utrum privilegium perſonæ, an dignitati datum ſit, potius ad naturam, & conditionem rei datæ, quam verborum expreſſionem attendendum eſt. Aliud privilegium dicitur perſonale, quod proxime, ac directe ob favorem perſonæ conceſſum eſt.

3 Privilegium perſonale triplex eſt. Singulariter perſonale, quod uni tantum per ſe conceditur; per accidens, ſive propter illum familia, ſeu domeſtica participare poſſunt. V. C Si alicui privilegium detur celebrandi in loco interdicto. Alterum eſt privilegium communiter perſonale, quod certo perſonarum generi conceditur, puta, minoribus XXV. annis privilegium reſtitutionis in integrum, ſi ex contractu læſi ſint; mulieribus privilegium Senatus conſulti Vellejani, ne ex fidejuſſione obligentur. Huc etiam ſpectant privilegia militum. Tertium eſt privilegium corporale, ſeu mixtum, quod Communitati confertur, ut ſinguli ex Communitate illo fruantur.

4 Privilegium perſonale perſonam ſequitur: Sed reale adhæret rei, cujus reſpectu datum eſt, & cum eadem expirat.

5 Privilegium aliud eſt contra jus, cujus generis ſunt multæ diſpenſationes in lege communi. NB. Monopolium eſt privilegium, ſed non diſpenſatio, quia per illud jus commune non relaxatur, ſed potius reſtringitur: Deinde diſpenſatio facta ad unum actum, vel breve tempus, V. C. ut hodie carnibus veſci liceret, privilegium proprie non eſt: Hoc enim magis conſtans eſſe debet. Unde nec diſpenſationes in matrimonii impedimento, aut irregularitate privilegia dici poſſunt, quia effectum ſuum ſtatim conſequuntur; & tractum ſucceſſivum non habent; qualis ad legem tam communem, quam privatam requiri videtur.

Aliud eſt privilegium ultra jus, V. C. poteſtas abſolvendi, diſpenſandi, & aliæ gratiæ iis conceſſæ, quibus lege communi, & ordinaria non competunt. Differunt hæc privilegiorum genera, quod illa, quæ juri communi derogant, plerumque ſtrictæ interpretationis eſſe debent. Licet enim privilegia hæc, quatenus ad privilegiatum pertinent, favorabilia ſint; tamen, quatenus a jure communi exorbitant, odioſa cenſeri debent: Cum igitur favor juris communis merito præferatur favori privato, ideo recte dicuntur privilegia, a jure communi exorbitantia, ſtrictæ potius interpretationis eſſe debere.

Dixi: *Plerumque*. Quia excipiendum primo: Niſi privilegium datum ſit in favorem cauſæ publicæ, piæ, religioſæ. Ita privilegium Clericorum exemptionis a juriſdictione Principum ſæcularium ample interpretandum eſt in religionis favorem. *Summa enim ratio*

eſt,

eſt, quæ pro Religione facit. Accedit, quod ejuſmodi privilegia non uni perſonæ, ſed toti Communitati in perpetuum conceſſa æquantur legibus publico Juris Corpori inſertis, quæ latam interpretationem habent.

NB. Secundo: Si Privilegium motu proprio Principis conceſſum ſit, tunc amplam interpretationem meretur, veluti quod propter Principis beneficium eſt, & ex certa ſcientia datum cenſetur.

Alia vero privilegia, quæ ultra jus commune conceſſa meræ gratiæ, ſive beneficia ſunt, late interpretari debent. Ita habetur in C. Quia circa, de Privileg. ubi dicitur, *beneficium Principis quam pleniſſime interpretari oportere*. Hinc facultas conceſſa Epiſcopo abſolvendi a caſibus occultis, & diſpenſandi ſuper irregularitatibus ex delicto occulto, excepto homicidio, late interpretanda eſt, ut etiam competat Epiſcopo non conſecrato. 2. Etiam æquiparatio V.C. Capitulo Sede vacante: Item Prælatis exemptis ab Epiſcopi juriſdictione, quia æqualem Epiſcopali juriſdictionem in ſuo territorio obtinent: Quare & Confeſſarios approbare poſſunt.

6 Si beneficium Principis, V. C. exemptio a ſolvendis decimis, in alterius præjudicium tendat, vel ſcandali occaſionem præbeat, eatenus odioſum eſt, & ſtricte interpretandum; quia non eſt præſumendum, Principem alicui velle gratiam conferre cum alterius damno.

NB. Privilegiatus Horas recitare poſt prandium poteſt cum ſocio non privilegiato; quia alioquin privilegium non ſublevaret.

7 Privilegia ordinarie non plus operantur, quam verbis exprimunt. Hinc, ſi dubium maneat de voluntate privilegiantis interpretatio facienda eſt ſecundum communem, & uſitatam, vel propriam verborum acceptionem, ſive ſit odioſum, ſive favorabile. Excipe: Niſi extenſio fiat ad ea, quæ acceſſoria ſunt privilegiis. Sic V. C. habens privilegium celebrandi tempore interdicti poteſt ſocium adhibere non interdictum. Qui enim concedit facultatem alicujus rei, cenſetur etiam concedere ea omnia, quæ requiruntur ad uſum talis poteſtatis, juxta illud: *Cui juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe cenſentur, ſine quibus juriſdictio explicari non poteſt*. Et: *Diſpenſatio*, ſeu privilegium *contra jus extenditur ad neceſſario conſecutiva*; ut ſi cum aliquo diſpenſatum ſit ſuper beneficiorum pluralitate, videtur etiam diſpenſatum, quo minus in eorum altero reſidere teneatur.

NB. *Plus valet ſpecialis cautio, quam generalis*.

NB Exempti cum Prælati conſenſu poſſunt ſe ſubjicere Ordinario, petendo diſpenſationem, ſi Prælatus non habeat, in votis, juramentis, abſolutionem a Cenſuris. Quod ſi Prælatus irrationabiliter conſenſum neget, non curandum: Nam non videtur eſſe mens Pontificis, exemptionis privilegium ad talem caſum extendere, quo in perniciem animæ cedere poſſit.

NB. Privilegium non debet eſſe oneroſum, juxta reg. 61. in 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*.

8 Privilegium aliud eſt, quod motu proprio confertur: & aliud, quod ad inſtantiam partis, & illud odioſum. V. C. Si ſpurius amplum beneficium impetret.

9 Privilegium motu proprio conceſſum non ante ſuum effectum ſortitur, quam privilegiato innotuit. Nam hic eſt ordinarius modus beneficia conferendi, &c. ſcienti, inquam, & acceptanti: Unde etiam revocari poterunt ante acceptationem ejuſmodi privilegia, ſi ex mera liberalitate promanant; ſecus, ſi ex debito officio conferentis.

NB. Fieri poteſt, ut alicui reluctanti conferatur privilegium, V. C. comedendi carnes, ſi ratio communis boni id exigat. Unde reg. illa ff. 69. *Invito beneficium non datur*, ordinarie tantum, & non ſine omni exceptione vera eſt.

10 Privilegium, quod in gratiam petentis per literas, vel Procuratorem conceditur, ſtatim ſuum effectum ſortitur, quamvis ignorante eo, qui poſtulavit, modo Summus Pontifex ipſe concedat: Quia moraliter præſumitur, Pontificem ita voluiſſe intendere, quod eſt per ſe, & ex natura rei, cum ad omnem conceſſionem, donationem, pactum, & contractum ſufficiat, duorum mutuum conſenſum ſuper eadem re haberi, & explicari.

NB. Quamprimum Summus Pontifex petitioni annuit, licet literæ expeditæ non ſint, privilegium datum cenſetur, exceptis proviſionibus beneficiorum, de quibus jure novo Pontificio aliter ſtatutum eſt.

11 Privilegia partim ſunt affirmativa, quæ interdum per non uſum tolluntur, partim negativa, quæ per non uſum contrarium.

P. Laymán P. I.

12 Quædam Privilegia abſolutæ gratiæ ſunt, V.C. privilegium ſacrificandi ante auroram; quædam vero ſunt gratiæ reſpectivæ, & in alterius gravamen redundantes. V.C. privilegium exemptionis a juriſdictione Ordinarii &c.

13 Quædam privilegia ex mera gratia dantur; quædam vero remunerativa ob antecedentia merita, quibus id commune eſt, ut per ea jus acquiratur privilegiato, quo minus a conferente ordinarie, & ſine urgentiſſima cauſa ad bonum publicum pertinente revocari poſſunt.

Quæſtiones de Privilegiis.

14 QUicunque legem condere, etiam privilegium dare poteſt, & vice verſa. Ratio: Tum quia privilegium lex quædam privata eſt; tum quia privilegium non cujuſvis hominis beneficium dicitur, ſed quod publica poteſtate alicui confertur ad faciendum aliquid, vel omittendum. Unde infertur, publicas poteſtates tam civiles, quam Eccleſiaſticas in iis tantum rebus privilegia dare poſſe, de quibus diſponendi jus habent, V.C. Papa in ſpiritualibus, vel annexis ſpiritualibus, in decimis, matrimonio; Imperator in temporalibus tantum.

15 Privilegia non tantum dari poſſunt iis, qui abſolute ſubditi ſunt, ſed etiam aliis. V. C. Extraneis poteſt Imperator privilegium dare milites conſcribendi in Imperio; item Eccleſiaſticis Judicibus, ut de laicis in cauſis temporalibus directe judicare poſſint, quod communi jure illis conceſſum non eſt.

16 Is, cui conceſſit Ordinarius privilegium legendi libros prohibitos, uti eo poteſt extra Diœceſin concedentis (*a*). Ratio: Quia Privilegium perſonale cohæret perſonæ ubique, & juriſdictio voluntaria (non coactiva) effectum ſuum etiam habere poteſt extra territorium.

„ (*a*) Modo tamen ex regulis Indicis librorum pro-
„ hibitorum ſublata eſt Ordinariis iſta facultas conce-
„ dendi licentias legendi libros prohibitos; niſi forte
„ idem Ordinarius illos prohibuerit, quod non fit niſi
„ ab Ordinariis extra Italiam.

Privilegium commune comedendi ova in Quadrageſima adhæret loco; ideo non licet extra territorium.

17 Privilegia confirmantur duobus modis. 1. *In forma communi*; cujuſmodi confirmatione nulla nova fit conceſſio, ſed pura prius exiſtentis privilegii approbatio, & confirmatio. 2. *Ex certa ſcientia* ea dicitur, ſi Princeps confirmans privilegium ſignificet, ſe plenam ejus cognitionem habuiſſe, cujus tanta vis eſt, ut, licet privilegium legitime collatum, poſtea per non uſum, vel abuſum, vel Superioris revocationem caſſatum fuiſſet, jam de novo confirmaretur.

Privilegium finitur elapſo tempore, ceſſante cauſa finali, vel conditione, ſub qua conceſſum fuit.

NB. Privilegium ſub tali forma conceſſum exſpirat, mortuo concedente; ſed non, ſi dixerit: *Donec revocavero, aut quamdiu Sedi placuerit*. Quia poteſtas Sedis non moritur, ſed tranſit ad Succeſſorem.

NB. Qui juravit, ſe non luſurum, uxorem non ducturum, quamdiu pater non volet, eo mortuo, poteſt ducere uxorem, ludere: Si autem juraverit cum hac conditione: *Niſi pater aliter ſtatuerit*; non ſolvitur voto per mortem patris.

18 Gratia per mortem concedentis, etiam re integra, non extinguitur, ſi ſit gratia facta, V.C. licentia eligendi Confeſſarium; quia gratiæ, poſtquam a publica poteſtate proceſſerunt, cenſentur ex parte concedentis factæ, ſeu perfectæ, ut morte ipſius non exſpirent. Gratia facienda, per quam nihil datum directe, ſed alteri mandatum eſt, ut talem gratiam illi conferat. Tunc enim nondum gratia facta eſt; niſi concedens privilegium ſingulariter in favorem Commiſſario dederit (*a*); tunc enim mortuo concedente etiam non exſpirat. Quod notandum pro iis, quibus a Papa, vel Epiſcopo delegata eſt licentia audiendi Confeſſiones, vel abſolvendi a reſervatis, morte delegantis non exſpirare; cum talis licentia inter gratias, non inter reſcripta juſtitiæ, ſeu delegatæ juriſdictionis contentioſæ numerari debeat.

„ (*a*) Ut clarius id explicem, ponam verba Layman:
„ *niſi diſpenſandi facultas Commiſſario principaliter in*
„ *ipſiuſmet favorem data ſit*.

NB. Juxta Garciam: Si Parochus habeat poteſtatem delegandi talem facultatem in certa parte Parochiæ, non exſpirare, cum ſit gratia. Secus, ſi Cooperatori, ſeu Vicario ſuo tribuat facultatem: Quia mortuo Principali ceſſat etiam alter eſſe Vicarius; conſequenter

exſpirat hujus poteſtas. Tum attendenda conſuetudo Diœceſis.

19 Privilegium extinguitur, ſi per rerum mutationem iniquum fiat, vel ſi in ipſius privilegiati majus detrimentum cedere incipiat. Nam *Quod ingratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*. reg. 65. in 6.

20 Privilegium extinguitur per renunciationem privilegiati (*a*), ſi in ejus ſolius favorem conceſſum fuit; *liberum* enim *eſt cuique ſuo juri renuntiare*. C. Si de terra. de Privileg. Secus, ſi in gratiam Eccleſiæ, vel Communitatis; V C privilegium Canonis Clericis conceſſum; item privilegium non aſſumendi in Canonicos, niſi in ſacris Ordinibus conſtitutos (quod ſi Capitulum contra faceret, poſſet ſa unus opponere, & Epiſcopus) Exempti etiam non poſſunt renuntiare privilegio exemptionis; quia cederet in præjudicium Papæ, qui illos exemit a juriſdictione Ordinariorum, & ſibi immediate ſubjecit.

„ (*a*) Ad hoc autem ut renunciatio tollat privile„ gium, debet illa renunciatio innoteſcere, & accepta„ ri a Prælato.

21 Privilegia, quæ aliis oneroſa ſunt, amittuntur per non uſum ſpatio decennii inter præſentes, vigiati vero aunorum inter abſentes, ſi tamen utendi occaſio fuerit. Ratio: Quia reliquæ ſervitutes ita extinguuntur.

NB. Quod ſi habeas juriſdictionem ſanguinis, eoque longo tempore non utaris, quia nullum malefactorem cepiſti, non amittis.

22 Quæ abſolutæ gratiæ ſunt, in nullius gravamen cedentes, V. C. celebrandi ante auroram, abſolvendi a reſervatis, per ſolum non uſum non amittuntur; quia quiſque liberam facultatem habet privilegio utendi, & non utendi. Quod attinet illud, quod privilegia oundinarum amittantur per non uſum, id eſt ſpeciale in illo privilegio; ideo ad alia non extendendum.

23 Privilegia negativa, quæ aliis oneroſa ſunt, per contraventionem duobus modis amitti poſſunt, vel via præſcripti, vel via tacitæ renuntiationis. Excipe privilegia conceſſa in favorem Eccleſiæ, quæ non tolluntur per renuntiationem particularium perſonarum, V. C. Prælati, Cleri.

NB. *Privilegia* nulli præjudicantia V. C. non legendi Horas, non jejunandi, non tolluntur per actum contrarium: Quia privilegium minime obſtat, quo minus aliquis ex libera volnotate oret, jejunet, &c. ſine privilegii præjudicio.

24 Qui dato privilegio abutitur, privari meretur.

25 Privilegia, quæ ad operandum aliquid præter jus commune ſubditis mere gratioſe data ſunt, a concedente, ejuſque Succeſſore revocari poſſunt.

Quæ non ſubditis conceſſa ſunt privilegia, poſt acceptationem revocari non poſſunt; quia, poſtquam acceptata ſunt, tranſeunt in pacta, quibus proprie dictum jus acquiritur, V. C. privilegia ab Imperatoribus Principibus Eccleſiæ conceſſa. Item, quæ ſubditis data ſunt in remunerationem meritorum, vel cum gravamine in futurum, vel cum abſoluta donatione, aut tranſlatione alicujus juris, abſque urgente cauſa revocari non poſſunt. V. C. caſtrum, jus vectigalis, juriſdictio in prima inſtantia; quia talia privilegia tranſeunt in pacta.

26 Revocatio privilegii alia eſt expreſſa, & alia tacita. Expreſſa vel fit io ſpecie, vel per clauſulam generalem: *Non obſtantibus* &c. Qua tamen non cenſentur revocata privilegia contenta in Corpore Juris. Cum enim correctio juris vitanda, & non facile præſumenda ſit, ideo jus poſterius generale non tollit prius ſpeciale.

27. Tacita privilegii revocatio fit per actum Principis contrarium, ſi præſumi poſſit, eum ſcire, aut recordari ante conceſſi privilegii.

NB. *Generi per ſpeciem derogatur*, ſive ea antecedat, ſive ſequatur. V. C. Si Papa alicui facultatem dedit vacantia beneficia in aliqua Eccleſia ſuo nomine conſerendi, & poſtea ſpecialiter beneficium in eadem Eccleſia primo vacaturum conſerri certæ perſonæ reſcripſit, poſterius reſcriptum executioni mandandum eſt. Ratio: Quia Princeps gratiam generalem eo animo concedere cenſetur, ut ſemper ſibi integrum maneat, occurrente caſu illi derogare per gratiam ſpecialem.

28 Revocatio privilegii, indulgentiarum, non ante vim ſuam habet, quam privilegiato innotuit; cum alioquin pluſima incommoda inde orirentur.

NB. Tamen ad privilegii revocationem per legem communem non eſt opus, ut ſingulis privilegiatis innoteſcat, ſed ſatis eſt, ſi legitima promulgatio facta ſit; ut in publicam notitiam devenire poſſit.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum Principes poſſit privilegium concedere etiam inſcia perſona privilegiata, notet Confeſſarius ipſum poſſe privilegium, ſeu diſpenſationem obtinere pro ſuo pœnitente, puta ad diſpenſandum illum a voto Caſtitatis, etiamſi ipſum non moneat, quando petit facultatem diſpenſandi; ſed ſatis eſt, ſi poſtea illa notificetur, dum putat expediens eſſe illum diſpenſare; oportet enim tunc privilegium ſibi factum acceptare.

II. Notet Confeſſarius, quod ſi agatur de obtinenda diſpenſatione alicujus impedimenti dirimentis, cujus vel non poſſit, vel non ſit expediens aliquem ex contrahentibus certiorare, non eſt neceſſe, ut certioretur. Demus e. g. Petrum velle ducere Bertam ſibi affinem, vel conſanguineam ex copula illicita, nec expediat ad Bertam ſcire, ſatis eſt ſi Petrus obtineat diſpenſationem pro impedimento dirimenta, & ipſe eam acceptet. Quando ergo dicitur ad uſum privilegii neceſſe eſſe haberi ipſius notitiam, ipſumque acceptari, ſermo eſt de eo, cui directe conceditur, non vero de illis, quibus applicari poteſt privilegium per conſequentiam neceſſariam; ſi etenim diſpenſatur cum Petro, ut affinem ducere poſſit, conſequens neceſſario eſt, ut etiam eadem affinis diſpenſata cenſeatur, alias ad nihil deſerviret poſſet Petro diſpenſatio. Videatur *Sanch. de matr. l. 8. diſp. 26. n. 6.*

III. Notet Confeſſarius, quod licet ad validum uſum privilegii ſatis ſit, ſi expoſtulatum fuerit per literas, vel acceptatum a Procuratore; nihilominus ad utendum eo licite, neceſſario debet innoteſcere ipſi privilegiato, & ab eo acceptari: quomodo etenim poteſt ſine temeritate uti privilegio, quod neſcit ſibi eſſe conceſſum?

IV. Conſequenter ad ea, quæ etiam dicta ſunt de Diſpenſatione, notet Confeſſarius non ſemper ceſſare privilegia per cauſæ finalis ceſſationem, ſi ea non prævidebatur temporanea, adeoque adhuc vigere privilegium. Et ita e. g. cui conceſſum eſt privilegium domi audiendi Miſſam ob infirmitatem, quæ reputabatur incurabilis, eodem uti poteſt privilegio, etſi per accidens ceſſet infirmitas. Ex hoc autem exemplo poteſt alia in praxi reſolvere.

Advertat pariter ex unico actu non ceſſare privilegium ad agendum, vel non agendum, niſi ad illum unicum actum appareat conceſſum fuiſſe. Et ita agendo de diſpenſatione, dixi diſpenſatum a voto Caſtitatis, ut contrahere poſſit matrimonium, mortua prima uxore poſſe aliam ducere.

V. Cum renunciatio privilegii non habeat ſuum effectum, niſi acceptetur a Superiore, notet Confeſſarius, quod ſi privilegiatus vel ex tædio, vel ex alia ratione laceret literas privilegii animo illi renunciandi (idem dicas de Sacerdote, qui facultatem habitam in ſcriptis audiendi confeſſiones laceraret) non proinde prohibetur poſtea uti tali privilegio, ſi renunciatio non acceptata fuerit a Superiore, cui ſoli competit eam acceptare: *cap. admonet de renunciat.*

VI. Datur aliquando caſus, ut inveniantur antiquiſſima privilegia conceſſa alicui Domui, vel familiæ, & quia vel non fuerunt, vel jam a longo tempore non ſunt in uſu, oritur dubium, an illa familia poſſit illis uti. Videat igitur Confeſſarius, quod ſi illa privilegia in nullius cedebant præjudicium, neque dici poteſt per lapſum temporis ceſſaſſe, adeoque ſemper licitum eſſe illorum uſum. Et id verificatur non ſolum, ſi non data ſit opportunitas utendi privilegio, in quo omnes conveniunt, & conſtat ex *leg. unus ea ſocius & ſeq. ff. de ſervit. ruſtic. prædii*, ſed etiam ſi adfuit uſus contrarius.

VII. Notet Confeſſarius difficiliter, ſuppoſita revocatione alicujus privilegii, poſſe adhuc vigere, quia in revocatione ipſorum ſolet modo ſemper apponi ea revocari vel ea *motu proprio, vel ex certa ſcientia, vel ex plenitudine poteſtatis*, quibus clauſulis ſufficienter revocantur quæcumque privilegia, exceptis iis, quæ ſunt oneroſa; vel quando per revocationem læditur jus tertii in re gravi acquiſita, ſeu poſſeſſa tempora a lege præſcripto.

VIII. Si poſt datum reſcriptum moriatur qui conceſſit privilegium, vel diſpenſationem, ut Confeſſarius tuto ſe gerat, notet ſequentia. Si reſcriptum fuit Juſtitiæ, ceſſat omnino, ſi nondum Delegatus cœperit eo uti, quamvis tuto dici poſſit incœpiſſe eo uti, ſi in vi reſcripti aliquid præſtavit, quamvis nondum emanaverit citatio.

Si reſcriptum fuit Gratiæ, in praxi non ita facile eſt expirare morte, vel remotione concedentis. Vel igitur gratia fuit indefinite, & generaliter conceſſa, & jam eſt gratia facta, adeoque non ſpirat morte concedentis: ut ſi alicui abſolute conceſſa ſit facultas, vel celebrandi in Oratorio privato, vel non recitandi Horas Canonicas, vel eligendi aliquem a quo abſolvatur a reſervatis, irregularitatibus &c., vel ſe ordinandi extra tempora. Item dicendum, ſi alicui in gratiam ſui concedatur, ut ad ſui libitum poſſit diſpenſare, abſolvere &c., jam etenim hæc gratia dicitur facta, cum propter ipſum, & ut habeat e. g. honorem uſus talis juriſdictionis, illi fuerit conceſſa facultas abſolvendi. Quod ſi illi non in gratiam ſui, ſed aliquorum determinate conceſſa ſit per reſcriptum gratiæ aliqua facultas in ordine ad ipſos, cum obligatione ea utendi in ipſorum favorem, v. g. cum iis diſpenſandi &c. jam gratia cenſetur facta in ordine ad ipſos, & ita non ceſſat morte Concedentis.

Remanet ut dicatur *gratia facienda*, adeoque ſpirans morte concedentis; quamvis liberum illi eſt uti poteſtate ipſi tradita in gratiam aliorum. Hanc dixi ſupra eſſe *gratiam faciendam*. Nihilominus non deſunt, qui etiam hic adinveniant rationem gratiæ factæ; cum etenim, dicunt ipſi, dum eligitur aliquis determinatur Confeſſarius ad aliquid faciendum, intelligatur eligi, ut magis idoneus ad diſpenſandum, abſolvendum &c. jam intelligitur etiam in gratiam ipſius tradita talis facultas; & ita habet rationem gratiæ factæ non ceſſantis morte concedentis: *Baſil. l. 8. cap. 19. §. 1. n. 5. & 8. Suar. de leg. l. 8. c.* 21. n. 18. *Palaus t. 1. tr. 3. diſp. 4. p. 16. §. 4. n. 5.*

Certa autem erit gratia facienda, ſi facultas concedatur in ordine ad alios ſine obligatione ea utendi, & eadem facultas

cultas conceſſa ſit alicui indeterminate, eligendo v. g. ab eo, in cujus gratiam data eſt talis facultas; nam cum tunc nullus electus fuiſset a concedente facultatem, veluti magis idoneus, non poſset dici gratia ipſi facta. Hæc igitur gratia facienda, re integra, ceſſat morte, vel remotione Concedentis.

IX. Obſervet Confeſſarius Regularis, quod cum Prælati Regulares habeant facultatem in dubio juridice interpretandi privilegia Religioni conceſſa, Subditi tenentur ſtare eorum interpretationi, utpote juridicæ, & authenticæ, a qua proinde non licet diſcedere. Item, cum penes eos ſit facultas limitandi, vel etiam removendi privilegia, non poteſt Subditus velle iis uti, in caſu, quo Superior judicet expedire, ne ad uſum reducantur.

X. Cum in dubio circa intelligentiam privilegiorum, ex diſpoſitione Summorum Pontificum, ſemper interpretanda ſint in ipſorum favorem, advertat Confeſſarius, quod cum diſputatur, an aliquod privilegium conceſſum ſit, nec ne, an extendatur ad hunc, vel illum caſum, nec ne, judicandum ſemper eſt in favorem Regularium. Hinc ſemper judicavi, potuiſſe Epiſcopos, etiam ante declarationem a regnante Pontifice Benedicto XIII. Regulares ex vi ſuorum Privilegiorum extra tempora ordinare. Ratio mihi erat, quia etiam poſtquam plures Epiſcopi de hac re Sedem Apoſtolicam conſuluerant, dubitari non poterat id ſaltem ſub dubio remanſiſſe; & in dubio ſemper ſtandum eſt pro privilegiis Regularium.

CAPUT XXIV.

De Conſuetudine.

1 Conſuetudo eſt *jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex*. Conſuetudo eſt duplex. Facti, id eſt, mos populi, ſeu actus publicitus frequentatus, Juris, eſt quaſi altera lex, parem obligandi poteſtatem obtinens.

NB. Non ex omni populi more, ſeu actuum libera frequentatione oritur jus, ſed requiritur, ut mos ille rationabilis ſit, Reipublicæ utilis, Fidei, ac Religioni congruens: Deinde, ut non fiat ex legis antecedentis obligatione; cum potius tendat ad novi juris introductionem.

2 Ad jus conſuetudinis introducendum quatuor requiruntur. I. Actus libere a populo frequentatus, notorie, ut, quod ſi actus perpetuitatem habeat, unicus ſufficere poſſit; ut cum pons publico loco ædificatus a populo toleratur. II. Temporis diuturnitas, decennium. III. Scientia, & tacitus conſenſus potentis legem condere. Tacite autem conſentire Princeps cenſetur, ſi ſciens populi morem, cum poſſet prohibere, longo tempore toleret. IV. Ut frequentetur actus tanquam ex obligatione, ſeu potius animo introducendæ obligationis. Nam ſi populus temporis diuturnitate opus aliquod frequentet, V. C. in capite Quadrageſimæ cinerem benedictum accipiat, & ad campanæ pulſum Salutationem Angelicam ter recitet ex libera devotione, non ideo naſcitur juris neceſſitas ſub peccato obligantis; eſto, aliqui ſint, qui tali obligatione ſe teneri falſo ſibi perſuadeant.

3 Triplex eſt conſuetudo: Una ſecundum legem; altera præter legem, quæ & juris conſtitutiva dicitur; tertia contra legem.

NB. Stylus Curiæ eſt jus non ſcriptum, ex actibus judiciariis ortum, quod ſub jure conſtitutionis continetur, tanquam ſpecies ſub genere.

NB. Conſuetudo ſecundum legem (Lucæ 2.) ſupponit legem ſcripto, vel verbo præexiſtentem, quam conſuetudo approbat, confirmat, interpretatur, teſte Gratiano ſuper C. In Iſtis. d. 4. *Leges inſtituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur*.

4 Conſuetudo contra legem, quæ & deſuetudo dicitur, ut legem vincat, & abroget, rationabilis eſſe debet, & legitime præſcripta. Illa autem conſuetudo irrationabilis eſt, quæ vel juri naturali, vel divino adverſatur, vel jure Canonico reprobatur, vel peccandi licentiam, aut occaſionem præbet, vel alia ratione communi utilitati perniciosa eſt. Aliæ autem omnes conſuetudines, utpote indifferenter ſe habentes, rationabiles eſſe poſſunt; & conſequenter ſicut per humanam legem introduci, ita per contrariam legem abrogari.

NB. Conſuetudo contra jus naturæ introduci non poteſt; quia jus naturale immutabile eſt.

Conſuetudines reprobatæ Jure Canonico appellantur corruptelæ.

Conſuetudines occaſionem præbentes peccandi, vel bono publico incommodantes ſunt irrationabiles. V. C. Si liberi ſpurii æque ac legitimi hæredes inſtituantur, ſi homicidæ pœna tantum pecuniaria puniantur.

Tametſi enim talia quandoque licite, & ſine Reipublicæ detrimento fieri poſſint, obligatio tamen, ut ita neceſſario fiant, non poteſt eſſe Reipublicæ non perniciosa.

NB. Non videtur conſuetudine introduci poſſe, ut pater nullam omnino hæreditatis portionem filiis relinquere cogatur: Quia talis conſuetudo ita univerſim introducta irrationabilis eſſet, bono publico incommodans.

5 Qui legem condere non poſſunt, interdum tamen legem per diuturnam conſuetudinem abolere, ſeu adverſus eam præſcribere poſſunt.

6 Ad præſcribendum contra legem civilem ordinarie decennium requiritur, adverſus Eccleſiaſticam vero quadraginta annorum ſpatium.

7 Si lex reſiſtat conſuetudini introducendæ, non poteſt ea prævalere, niſi immemorialis ſit, id eſt, cujus initii nulla memoria extat.

8 Si lex non prohibeat tantum, ſed etiam reprobet conſuetudinem, tanquam irrationabilem, intelligitur quoque de immemoriali. Sumitur ex C. de Conſ. in 6. ubi corruptela appellatur conſuetudo etiam immemorialis, quod aliquis ſine Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione duos perſonatus, dignitates, vel officia perpetua, una cum Canonia, ſeu Præbenda in eadem Eccleſia obtineat. Ratio eſt: Quia præſcriptio adverſus legem conſuetudine perfici debet; cum conſuetudo facti ſit quaſi via ad præſcriptionem, ſive conſuetudinem juris præſcriptam. Ex quo ſequitur, ſi conſuetudo irrationabilis, & iniqua judicata fuit, non poſſe ex ea præſcriptionem, ſeu conſuetudinem juris præſcriptam oriri.

Excipiunt vero aliqui: Niſi conſuetudo adverſus legem introducatur cum ſcientia, & patientia Principis, V. C. cum conſenſu Pontificis cohoneſtetur, ut laici Clericales decimas poſſideant, ut in eadem Eccleſia duæ dignitates una cum Canonia obtineantur: ſequitur in ejuſmodi caſibus, etiam conſuetudinem immemorialem introduci poſſe.

9 Regula illa: *Acquiſibilia privilegio, ſunt etiam acquiſibilia per conſuetudinem*, ſaltem immemorialem, locum non habet, ſi conſuetudo, ut irrationabilis damnata ſit. Nam præſcriptio locum habere non poteſt, ſi jus aliquem faciat incapacem poſſeſſionis, & inde conſequentis præſcriptionis; ſicut videre eſt in jure decimarum, quod, cum ex propria inſtitutione ſua Eccleſiaſticum ſit, in laicum cadere non poteſt, niſi ex ſpeciali, & legitima Eccleſiaſtici Prælati conceſſione, aut privilegio: Ergo niſi aliquis cum præſcriptione talis tituli poſſideat, nunquam poteſt præſcribere; quia *incapax poſſidendi eſt etiam incapax præſcribendi*.

Quod ſi teſtes adſint, qui dicant, ſemper fuiſſe conſtantem famam, & opinionem, tale jus alicui competere ex ſpeciali conceſſione feudi, vel Pontificii privilegii, valet poſſeſſio, ſeu conſuetudo cum bona fide, ſeu titulo præſumpto: Nam *fama dat juſtam cauſam credendi*.

Conſuetudo adverſus legem procedere poteſt, Legiſlatore ignorante. Nam univerſim hæc vis præſcriptionis eſſe ſolet, ut currat etiam contra ignorantem: alioquin vix ullæ particularium Eccleſiarum conſuetudines, adverſus jura Pontificia introductæ, cenſeri poterunt legitimæ, cum Papa particulares locorum conſuetudines ſe ignorare fateatur. C. 1. de Conſtit. in 6. Licet autem particulariter ignoret, ideoque ex ejus ſpeciali conſenſu conſuetudo vim ſuam non obtineat; conſentit tamen generatim, quando rationabili, & diuturnæ conſuetudini contra jura ſua generali lege authoritatem tribuit.

11 Ad præſcribendum contra legem, ſeu introducendam conſuetudinem adverſus legem bona fides requiritur: Nam ſine illa impoſſibile eſt, conſuetudinem præſcriptivam inchoare, cum ea juſta, & rationabilis eſſe debeat. Ex quo conſequens eſt, in ejuſmodi præſcriptione ſemper intervenire probabilem ignorantiam. Verumtamen, tametſi primi temere, & ſine culpa legem Reipublicæ utilem tranſgredientes præſcriptionem re ipſa inchoare non potuerint; horum tamen ſucceſſores, videntes legem ab anteceſſoribus ſuis non obſervatam, exiſtimare poſſunt, & in dubio præſumere, illos habuiſſe juſtam legis non ſervandæ cauſam, & ita illorum veſtigiis inſiſtentes præſcriptionem inchoare, vel, quaſi bona fide ab anteceſſoribus inchoata fuiſſet, tandem perficere.

12 Conſuetudo etiam in Sacramentalibus adverſus jus commune introduci poteſt, ſi in ſacris Canonibus reprobata non ſit; V. C. ut ſecundæ nuptiæ benedicantur. Et Navarrus probat ex C. De trina. nihil referre, ſeu una, ſeu trina merſione Baptiſmus conferatur, pro cujuſque Eccleſiæ conſuetudine: Quia *in una fide nihil officit S. Eccleſiæ conſuetudo diverſa*.

NB. Cenſuræ Eccleſiaſticæ, quæ ſuapte natura culpam ſupponunt, ab eaque inſeparabiles ſunt pœnæ, per conſuetudinem abrogari non poſſunt.

13 Impedimentum matrimonii dirimens per deſuetudinem tolli poteſt, non autem novum impedimentum per conſuetudinem introduci, ignorante Papa. Ratio: *Quia conſuetudo acquirit vim legis, niſi ex voluntate potentis in eo re*

legem condere, qui in propoſito eſt ſolus Papa. Siquidem matrimonii impedimenta; & diſpenſationes in eiſdem, Summus Pontifex ſibi reſervavit.

NB. Univerſim dici poteſt de impedimentis matrimonii, ſi eorum aliquod conſuetudine, præſertim immemoriali, introductum ſit, & ſine ſcandalo tolli non poſſit, obſervandum eſſe: Quia in tali caſu Summus Pontifex non reſiſtit conſuetudini, ſed obſervandam permittit, ſecundum communem Doctorum interpretationem. Alioquin valde expedit, ut impedimenta matrimonii in tota Eccleſia uniformiter ſerventur; ideoque conſuetudines ſpeciales contrariæ nullo modo introduci debent, aut, poſtquam introductæ ſunt, tollere eas oportet, modo ſine ſcandalo id fieri poſſit.

14 Conſuetudo cœpta, & nondum conſummata, unico actu contrario interrumpitur, ideoque poſtea de novo inchoari debet. Quod ſi vero, elapſo tempore legitimo, conſuetudo completa ſit, non tolleretur uno actu contrario, ſed vel Principis lege conſuetudinis abrogatoria, vel contraria nova conſuetudine cum temporis diuturnitate.

15 Conſuetudo abrogativa legis ſpecies quædam eſt præſcriptionis generatim acceptæ: Eſt enim acquiſitiva juris, videlicet immunitatis, ac libertatis a lege.

Alioquin Conſuetudo, quæ eſt præter legem, quoad ſignificationem differt a præſcriptione, quod conſuetudine diuturna per tacitum populi conſenſum introducatur jus, quatenus idem eſt, quod lex: At vero præſcriptione, ſeu uſucapione acquiritur jus, quatenus idem eſt, quod dominium, aut alia facultas utendi, agendi, &c.

Duo hic notanda. I. Præſcriptionis nomen a Doctoribus interdum generatim accipitur, quomodo comprehendit etiam populi conſuetudinem abrogativam legis per temporis diuturnitatem, & bonam fidem. Interdum vero ſtrictius accipitur, ut non comprehendat ſpecialem illam præſcriptionem Communitatis adverſus legem communem (propterea quod ejuſmodi præſcriptio peculiare nomen habere ſoleat *conſuetudinis legitimæ præſcriptæ*) comprehendat vero cæteras omnes bonæ fidei uſucapiones, quæ vel ſunt particularium perſonarum ad acquirendum ſibi jus aliquod, vel Communitatis, quatenus ea in acquirendis juribus, V. C. alicujus rei dominio, quaſi particularis perſonæ vicem ſubit.

NB. Interdum accidere ſolet, ut duplex præſcriptio ſimul concurrat. V. C. Si Communitas laicorum a tempore immemorabili, non exigentibus Clericis decimas, cum bona fide præſcripſerit jus immunitatis, duplex hic cernitur præſcriptio. Una, per quam excluditur obligatio legis univerſalis canonicæ de decimis ſolvendis tam realibus, quam perſonalibus. Altera, per quam excluditur jus, & Actio Clericorum, quæ ipſis ex eadem illa lege, ſive Canone adverſus laicos competit.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum Communitates Regulares propriis legibus gubernentur, poteſt in iiſdem contraria conſuetudo contra eaſdem leges prævalere, ſive in totum, ſive in partem, prout conſuetudo fuit introducta. Advertere tamen debet Confeſſarius Regularis, quamplurimas conſuetudines adverſus obſervantiam regularum, potius eſſe corruptelas, & abuſus inducentes turpem relaxationem, adeoque non eſſe attendendas, quaſi præſcripſerint contra leges, ſeu regulas.

II. Cum nullatenus Confeſſarius debeat attendere in regulandis conſcientiis conſuetudines nutritivas peccatorum, videat quam parvi pendere debeat primo turpiſſimam conſuetudinem, quam mulieres etiam nuptæ, & Viri uxorati paſſim frequentant, admittendi Cicisbejos, ſive Cicisbejas: conſuetudinem quam quædam inverecundæ mulieres in ſeſe adornandis ſuſtinent, de pectore valde nudando: conſuetudinem Juvenum, & puellarum ſeſe diu mutuis amoribus proſequendi &c. Hæ conſuetudines quam maxime peccata nutriunt, graviterque bono publico officiunt, adeoque nullatenus ſunt attendendæ. At heu! heu! Quot Confeſſarii potius conniventes communi mori, quam legis naturalis, ac Divinæ obſervantiam curantes, has mulieres, hos viros ac Juvenes ad Sacramenta admittunt; quaſi quem frequentant morem, innoxie ex iniqua admiſſa conſuetudine frequentarent. Liceat hic querelas S. Auguſtini contra hujuſmodi conſuetudines tranſcribere. *Væ tibi*, ait *l. 1. Confeſſ. c. 16. Flumen moris humani, quis reſiſtet tibi, quamdiu non ſiccaberis? Quouſque volves Evæ filios in mare magnum, & formidoloſum, quod vix tranſeunt, qui lignum (Crucis Chriſti) conſcenderint?* Et de Fide, Sp., & Charit. cap. 8. ita habet: *Stupenda mentis cæcitas, horrenda cordis depravatio! peccata quamvis magna, & horrenda cum in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur ...... Væ peccatis hominum! quæ ſola inuſitata exhorreſcimus, uſitata vero, pro quibus abluendis Filii Dei ſanguis effuſus eſt, quamvis tam magna ſint, ut omnino claudi contra ſeſe faciant Regnum Dei, ſæpe videndo omnia tolerare, ſæpe tolerando nonnulla facere cogimur.*

III. Notet Confeſſarius legem quamvis laudabilem, ſæpe cito ceſſare *via conniventiæ*, quia ſcilicet Princeps videndo eam paſſim non obſervari, ſilet, cum poſſet commode tranſgreſſores punire. Ratio eſt, quia videndo non ſine magnis difficultatibus ſuam legem introduci, ſi ter, vel quater ſileat, videtur conſentire, ne vigeat ad removendum ſcandalum, & laqueum Animarum. Et quidem hoc modo facilius eſt tolli legem, quam per conſuetudinem contrariam legitime præſcriptam, ſi hæc introducenda ſit animo legem abrogandi; nam ut plurimum non obſervantur leges ex tali animo, ſed ut licentiæ, & libertati inſerviatur.

IV. Videat Confeſſarius, ne ignoret vim, & effectus conſuetudinis, ut poſſit in pluribus caſibus conſulere conſcientiis ſui Pœnitentis. Mos e. g. eſt, ut Magiſtratus, ſive alii ad aliquod Officium aſſumpti juramento ſe obligent ad obſervandas leges, quæ ad ipſos pertinent: at cum lex conſuetudine abrogata non obliget, juramentum non extenditur ad tales leges. Quod ſi contra legem ſolum ex parte viguit conſuetudo, dumtaxat pro obſervantia illius partis non viget juramentum. Hinc perpendat quam efficaciam habeat illud juramentum; ac, ut par eſt, moneat ſuum Pœnitentem, ne ex erronea conſcientia peccet.

V. Advertat etiam Confeſſarius, quod quamvis contraria conſuetudine abrogari poſſit lex Eccleſiaſtica, unde fruſtra adducerentur Decreta Pontificia, ſi contra illa longa conſuetudine præſcriptum ſit; nihilominus nulla conſuetudo prævalere poteſt contra Immunitatem, & Libertatem Eccleſiaſticam. Ratio autem eſt, non ſolum quia paſſim apud S. Canones reprobatur; *cap. 2. cap. cum inter, cap. ad noſtram de conſuet.*; neque ſolum quia Urbanus VIII. ſua Conſtitutione 159. omnes conſuetudines contra immunitatem, etiam immemorabiles, cum aſſerta fama Privilegii Apoſtolici reprobat, ſed etiam quia quotannis in Bulla Cœnæ reprobantur omnia præjudicialia immunitati, unde ad tales conſuetudines ſemper deficit conſenſus etiam legalis Pontificis.

TRACTATUS V.

De Cenſuris.

PARS I.

De Cenſuris in communi.

CAPUT I.

Quid ſit Cenſura Eccleſiaſtica?

CEnſura ſignificabat Romanis ſententiam Cenſoris mores corrigentis, aut pœnam decernentis. Hinc Cenſuræ vox ab Eccleſiaſticis Scriptoribus translata eſt ad ſignificandam ſpiritualem pœnam, quam Eccleſiæ Prælati contumacibus infligunt.

Definitur *Pœna ſpiritualis, per quam homini baptizato delinquenti, ac contumaci per Eccleſiaſticam poteſtatem quorundam ſpiritualium bonorum uſus aufertur, donec a contumacia recedat.*

1 Dicitur mere *ſpiritualis*, quia circa ſpiritualia primario verſatur; ſecundario circa temporalia, quatenus referuntur ad ſpiritualia.

2 Bona ſpiritualia quædam ſunt propria, ut dona gratiæ, Fides, Spes, Charitas, aliæque virtutes, earumque opera bona, tum ſecundum vim merendi, tum etiam impetrandi, & ſatisfaciendi, juxta propriam operantis intentionem, quibus nemo invitus ſpoliari poteſt. Quædam vero ſunt communia; ut ſunt Eccleſiæ publica ſuffragia, & ſatisfactiones, item ſpiritualis juriſdictio, ſacrificium, & Sacramenta, beneficia Eccleſiaſtica, quorum diſpenſatio Eccleſiæ commiſſa eſt, ut proinde eorum uſum ob contumaciam interdicere poſſit. Nam omnis Reſpublica bene conſtituta poteſtatem ſubditos ſuos ob culpam privandi bonis communibus habet; Eccleſia autem eſt ſpiritualis Reſpublica optime a Chriſto conſtituta: Ergo.

NB. Privatio bonorum ſpiritualium communium quoad uſum eſt Cenſura; quoad facultatem pertinet ad irregularitatem, depoſitionem, degradationem, ceſſationem a divinis, quæ proprie Cenſuræ non ſunt. Cenſura enim debet eſſe pœna medicinalis, ideoque infligi per modum vinculi facile ſolubilis: Secus eſt in irregularitate, &c. quæ ipſam poteſtatem ſpiritualem, quatenus id fieri poteſt, ſine ſpe recuperandi adimunt.

3 Cenſura eſt pœna medicinalis: Quare per Abſolutionem tolli debet, quamprimum peccator emendatus eſt. At depoſitio, degradatio, & irregularitas tolli debent per diſpenſationem; quippe quæ ſimpliciter, & irrevocabiliter lata eſt.

Nunquam fertur Cenſura proprie dicta propter peccatum mere prætertum, ſed propter illud, quod tractum ſucceſſivum habet.

Depoſitio, & degradatio non incurruntur ante Judicis ſententiam; quia ſunt pœnæ graviſſimæ, & quæ non ſtatim auferuntur, tametſi delinquens emendatus ſit.

Irregularitas etiam ante ſententiam incurritur ob reverentiam Sacramenti.

CAPUT II.

Quotuplex ſit Cenſura?

1 TRes tantum ſunt Cenſuræ, Excommunicatio, Suſpenſio, Interdictum; quia in jure Canonico ſolum tres numerantur.

Con-

Conceſſa alicui facultas abſolvendi a Cenſura non attenditur ad irregularitates, quæ per diſpenſationem tolluntur.

Irregularitas, & Ceſſatio a divinis non ſunt Cenſuræ.

2. Cenſura alia eſt a jure lata, & alia ab homine (Judice). Hæc extinguitur morte ferentis, non depoſitione ejus (a); illa non.

„ (a) Intellige tamen ſi illa non adhuc incurſa ſit: „ nam ſi ante mortem &c. Judicis ligatus quis cenſura „ fuerit; non ſolvitur hæc cenſura per depoſitionem, „ ſeu mortem ejuſdem Judicis, ut Layman in ſua „ Theol. ſatis explicat.

Cenſura ab homine aut fertur per generalem ſententiam, aut per ſpecialem incertam perſonam.

3. Cenſura alia eſt latæ ſententiæ a jure, ſic dicta, quia eam reus ſtatim ipſo facto incurrit ſine alia Judicis ſententia, trahitque ſecum executionem: Alia Cenſura eſt ferendæ ſententiæ per Judicem, quæ non ipſo facto, ſeu delicto, ſed, ſicuti aliæ pœnæ, per Judicis ſententiam infligi debet.

Ceoſuram latæ ſententiæ indicant verba illa: *Excommunicamus, anathematizamus, ſuſpendimus, Excommunicationi ſubjaceat, prohibemus ſub Excommunicatione ipſo facto incurrenda.*

Excommunicatio ferendæ ſententiæ his verbis ſignificatur: *Qui hoc fecerit, excommunicetur, prohibemus pœna Excommunicationis.*

Si verba ambigua videantur, potius judicari debet Cenſura ſententiæ ferendæ, quam latæ, juxta reg. 49. in 6. *In pœnis benignior facienda eſt interpretatio.* Exempli gratia: *Excommunicatus ſit, anathema ſit.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

1. Non ſtatim Confeſſarius pronunciet ſuum Pœnitentem excommunicatione innodatum, per hoc, quod aliquid commiſerit prohibitum ſub pœna excommunicationis. Ultra plures alias cauſas, quæ poſſunt illum excuſare, de quibus in ſequentibus, animadvertat, quod ſemper, cum non eſt clarum in jure excommunicationem eſſe latæ ſententiæ, debet in favorem pœnitentis interpretari eſſe ferendæ ſententiæ; adeoque non habere obligationem ſe gerendi ut excommunicatum.

CAPUT III.

Quis Cenſuram ferre poſſit?

1. OMnis, & ſolus Prælatus Eccleſiaſticus Cenſuras ferre poteſt in ſubditos, quam facultatem Clerico alteri delegare non prohibetur. Ratio Concluſionis eſt: Quia omnis poteſtas Eccleſiaſtica fori externi ordinatur ad Chriſtianam diſciplinam ſervandam per leges, præcepta, ſententias; hæc autem poteſtas infirma, & inermis foret, niſi contumaces propoſitis pœnis, ac Cenſuris coercere, & ad obedientiam compellere poſſet.

2. Laicis, & Clericis conjugatis, dum in conjugio vivunt, itemque bigamis committi non poteſt facultas Cenſuras ferendi, etiamſi ſerviant Eccleſiæ; quia tunc juriſdictionis non ſunt capaces. Ratio: Quia *laici Eccleſiaſtica negotia tractare non debent*. C. Decernimus. de judiciis. Cenſuræ autem ad Eccleſiaſticam, & ſpiritualem clavium poteſtatem pertinent. Poteſt tamen poteſtas talis committi tunc prædictis ex plenitudine poteſtatis Papalis.

3. Fœminæ, quamvis Sanctimoniales ſint, & Abbatiſſæ, Cenſuras proprie ferre non poſſunt, juxta 1. ad Cor. 14. *Mulieres in Eccleſia taceant.* Poſſunt tamen privatim ſuas exhortari, & tanquam filiabus benedicere, in Matutinis Evangelium legere. Prob. Concluſio: Quia juxta Avilam Excommunicatio, & aliæ Cenſuræ pertinent ad poteſtatem Clavium; hæc autem a Chriſto ſolis Apoſtolis, & Succeſſoribus eorum data eſt.

Non videtur tamen fœmina hujus poteſtatis omnino incapax ex jure divino, ſed ſolum Eccleſiaſtico: Nam licet nunquam factum ſit, neque deceat, tamen Juri divino abſoluta non repugnat. Quod attinet ad poteſtatem Clavium, notandum eſt, duplicem eſſe Clavem; Ordinis, & Juriſdictionis: Illius incapax omnino eſt mulier, ſecundum Chriſti inſtitutionem; hujus autem capax eſſe poteſt, ſaltem ex commiſſione, & quoad exercitium; ſicuti & mere laicus capax eſt, eum tamen Apoſtolorum Succeſſor cenſeri non debet, quamdiu extra Clerum conſtitutus eſt.

4. Abbatiſſa, licet ſpiritualem juriſdictionem proprie non habeat, uſus tamen cujuſdam juriſdictionis ei committi poteſt, ſaltem indirecte, propter periculum cohabitationis virorum: ut ſi Provincialis cum Moniali diſpenſet in lege jejunii, ſub conditione relata in arbitrium Abbatiſſæ, quoties ipſi viſum fuerit, cauſam jejunandi non adeſſe.

Accedit, quod Abbatiſſæ non quidem jure ordinario; ſed ex Apoſtolicæ Sedis privilegio cum Capituli ſui conſenſu conferre poſſint beneficia, & inſtituere Clericos in Eccleſiis ad ſuum Monaſterium pertinentibus dando illis poſſeſſionem, ac titulum; non item juriſdictionem ad ſolvendum. & ligandum: *Quia nemo dat quod non habet.*

CAPUT IV.

In quos Cenſura ferri poſſit?

1. CEnſura ligari poteſt homo baptizatus, viator, doli capax, qui Superiorem Eccleſiaſticum habet. Prius prob. 1. ad Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Sed quid ad hæreticos? Illi non ſunt foris, quia per Baptiſmum Eccleſiæ fuerunt aſſociati; ideo poſſunt per Cenſuras compelli. Poſterius prob. Matth. 16. *Quodcunque ligaveris ſuper terram, &c.*

2. Quod ſi dicatur ex Gratiano: *Hæreticos etiam poſt mortem anathematizari poſſe.* NB. Anathematizare ibi non accipitur pro excommunicare, ſed pro execrari, tanquam impios, & ab Eccleſia alienos.

Indirecte poteſt etiam aliquis poſt mortem excommunicari, ut ſi ita exigente ejus crimine, in quo deceſſit, ad aliorum terrorem præcipiant fidelibus, ut abſtineant ab Eccleſiaſtica ejus ſepultura, ſuffragiis. Qua ratione, licet Eccleſia proprie non poſſit abſolvere eum, qui in excommunicatione, tametſi editis ſignis pœnitentiæ, mortuus fuerit, tamen aliis poteſtatem dare poteſt, ut illum in loco ſacro ſepeliant, ſacrificia pro eo publice offerant, &c.

3. Tertium: Quod debeat eſſe *rationis, & doli capax*, ideoque infans, & furioſus excommunicari non poſſunt; quia non ſubjacent legibus Eccleſiæ, nec cadit in eos contumacia, quæ requiritur ad Cenſuram. Quod ſi mandans percuſſionem Clerici, V. C. incidat in amentiam, percuſſo Clerico, excommunicari poteſt; quia etiam furioſi ab Eccleſia ob contumaciam præcedentem puniri poſſunt. Quod ſi amentia eorum perpetua judicetur, debent abſolvi; quia, cum talis Cenſura ſit pœna medicinalis, non debet infligi ei, qui medicinæ incapax eſt. 4. Quod *ſubditus* eſſe debeat Eccleſiaſticæ poteſtati; quia par in parem, aut ſuperiorem non habet imperium.

4. Summus Pontifex Cenſura ligari non poteſt, neque a ſeipſo: nemo enim ſeipſum poteſt judicare: neque ab alio; quia nullum habet Superiorem.

5. Peregrini non obligantur Cenſuris locorum, generali ſententia, aut ſtatuto decretis. Ratio: Quia non ſunt ſubditi ſtatuentis.

NB. Qui furtum ſacrilegum committit in aliena Diœceſi, ſub Excommunicationis pœna prohibitum, ſortitur forum ratione delicti, & peccat quidem contra legem, quatenus ea communis eſt omnibus gentibus, & ratione hujus peccati ſubditus fit; non peccat tamen contra legem, quatenus propria eſt hujus Diœceſis, Cenſuram in ſe continens, cum non ſit ſubjectus huic legi, & legiſlatrici poteſtati.

6. Subditus contra proprium ſtatutum Diœceſis ſuæ agens extra Diœceſim, vel in loco Diœceſis exempto non incurrit Cenſuram. Ratio: Quia, ut habetur l. ult. ff. de Juriſdict. omnium Judicum: *Si quis ſupra juriſdictionem ſuam jus dicat, impune ei non paretur.* Atqui, ſi Legiſlator velit extra territorium ſuos ſubditos ſua lege obligare, tunc ſupra juriſdictionem ſuam jus dicit, eo quod ſtatutum ex propria natura territorium afficiat, & intra ejus limites ſe contineat: Ergo. Unde infertur, ſi quis homicidium, V. C. ſub Cenſura prohibitum, inchoavit intra Diœceſin, hominem perſequendo, aut vulnerando, conſummavit vero extra Diœceſin, eundem occidendo, non incurrere Cenſuram in homicidas latam.

7. Subditus extra Diœceſin agens ligari poteſt Cenſura per ſententiam particularem Prælati ſui. Prob. 1. Ex diſcrimine inter ſtatutum, & præceptum, ſive ſententiam. Statutum enim immediate tendit ad territorium, illique cohæret, ideo neminem ligat extra: Præceptum autem, & ſententia immediate tendit ad perſonam, ejuſque oſſibus adhæret ubique locorum. 2. Superior ſubdito diſceſſuro aliquid præcipiens, aut prohibens ſub Cenſura non fert ſententiam extra, ſed intra territorium ſuum: Licet autem ſententia, commiſſo crimine, incurratur extra territorium, id tamen

fit ſine cognitione cauſæ, & ſtrepitu judiciario; quia Excommunicatio, & quævis Cenſura latæ ſententiæ tacitam, ac veluti inſenſibilem executionem ſecum trahit. C. Paſtoralis in fine de Appellat.

8. Cur Prælatus ſubditis ſuis extra territorium jus dicere non poſſit, cauſa eſt, ne alienam juriſdictionem invadere cenſeatur: Quare hac cauſa ceſſante, puta, ſi judiciarius proceſſus neceſſarius non ſit, nihil obſtat, juriſdictionem aliquam exercere.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Advertat Confeſſarius non eſſe imitandam illorum ignorantiam, qui cenſuras, ſeu excommunicationem pronuntiant in animalia irrationabilia, in bruchos e. g. locuſtas &c. Poſſunt nihilominus maledici, hoc eſt poſtulare a Deo, ut in nihilum redigat; ſicut & poſſunt benedici, hoc eſt, poſtulari a Deo, ut nobis fructificent, incolumes ſervet &c.

II. Cum Impuberes bene dici poſſint immunes ab omni cenſura, neutiquam Confeſſarius cogere debet, ut quærant abſolutionem a Superiore, quamvis gravem culpam commiſerint. Item poſſunt impuberes ab eodem Confeſſario abſolvi, etſi incidiſſent in aliquem caſum ex reſervatis etiam in Bulla Cœnæ, a. g. in hæreſim. Cum etenim ipſi non ligentur cenſuris; & caſus Bullæ Cœnæ nonniſi ob cenſuram ſint reſervati, conſequens eſt poſſe a quocumque Confeſſario abſolvi.

III. Advertat Confeſſarios non ſubditum nullum habentem domicilium, ſeu quaſi domicilium in aliqua Diœceſi, non affici legibus latis ſub cenſura pro eadem Diœceſi. Si proinde aliquis a. g. de Piſana Diœceſi contraxiſſet ſponſalia cum muliere Diœceſis Lucanæ, pernoctando cum eadem ſub eodem tecto, non incurreret quartam excommunicationem tabellæ. Si tamen ibi aliquod delictum committeret, poſſet propter illud ſub cenſura citari, & poſt citationem, niſi obediat, cenſura ligari, quia factus fuiſſet ſubditus ratione delicti, quamvis Piſas rediiſſet.

IV. Non ſolent animadvertere Confeſſarii, quod ſi quis actibus moraliter diverſis percuſſit Clericum, non ſatis eſt ſi petierit abſolutionem ab excommunicatione tanquam ſemel ea fuiſſet ligatus. Non debet igitur illi miniſtrare Sacramenta, niſi poſtquam admonitus pluries excommunicationem incurriſſe, ab omnibus abſolvatur, quoadusque enim aliqua excommunicatione ligatur, non eſt capax recipiendi Sacramenta.

V. Cum in praxi benigniora ſint ſequenda, dum agitur de pœnis, non debet Confeſſarius habere a. g. pro excommunicato illum, quem ſententia vere probabilis excuſat. Demus e. g. Confeſſarium ex ratione directa credere Mandantem, & Conſulentem cenſuris ligari, etiamſi ipſos vere pœniteat mandati, & conſilii, ſi revocatio non innotuit ei, qui commiſit ſcelus ſub cenſura prohibitum. Cum nihilominus contraria opinio ſit vere probabilis, & exinde conſurgat ratio reflexa, quod, dum non conſtat cenſuram locum habere, eſt excludenda, eo quod ſit pœna, inde eſt, non debere illos conſiderare ut excommunicatos. Hinc in præfatis circumſtantiis, mandans homicidium neque incideret in tertium caſum ex reſervatis noſtræ Diœceſis; quatenus enim reſervatum eſt pœna, cum cenſuris parificatur.

CAPUT V.

Ob quam cauſam Cenſura ferri poſſit.

1. Nulla Eccleſiaſtica Cenſura ferri poteſt ob peccatum mere internum. (Ratio: Quia *Eccleſia non judicat de occultis*. C. Sicut tuis; de Simonia) nec ob quodvis externum, niſi mortale. Ratio: Quia pœna debet eſſe commenſurata culpæ. C. Felicis. de pœnis in 6. *Judex pœnam metietur ex culpa*. Sed Cenſura; V. C. Excommunicatio major graviſſima pœna eſt, gladius ſpiritualis, ac nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ: Ergo gravem, ſive mortalem culpam exigit.

Non etiam ob quodvis mortale ferri poteſt Excommunicatio major, aut alia Cenſura proprie dicta, ſed debet eſſe peccatum inobedientiæ, & contumaciæ, per quam reus Eccleſiæ monentis, ac præcipientis auctoritatem ſpernere cenſeatur, non requiſito quidem formali contemptu, ſed ſufficit inobedientia generalis, & contemptus interpretativus; ne fateri cogamur, cum duplex peccatum committere, qui opus ſub Cenſura prohibitum exercet. Ratio Concluſionis ſumitur ex Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*, id eſt, tanquam non ſit intra gremium Eccleſiæ:

2. Cenſura non incurritur ob peccatum, quod juri tantum naturali, ac divino repugnat, ſed requiritur Eccleſiæ præceptum.

3. Cenſura nunquam incurritur ob peccatum mere præteritum, nullamque præſentem contumaciam continens, licet alioquin graviſſimum ſit, ut blaſphemia, ſodomia, &c. Eſt Sententia communis, & ſumitur ex C. citato ex parte, ubi duæ tantum cauſæ afferuntur, ob quas Excommunicationis ſententia in aliquem ferri poſſit, vel quia citatus, ac monitus a peccato abſiſtere, ſive juri parere non vult, vel quia pro commiſſo peccato ſatisfacere juſſus recuſat.

4. Cenſura infligenda non eſt, niſi præcedente Canonica monitione. Colligitur ex Apoſtolo ad Tit. 3. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita*. Ratio: Quia Cenſura non fertur, niſi in eos, qui contra Eccleſiam contumaces ſunt: Tales autem non ſunt, niſi qui præcedente monitione obedire recuſant.

NB. Ante monitionem Reus non cenſetur contumax.

His addendum, canonicam monitionem oportere eſſe trinam, interpoſito aliquorum, ſaltem duorum, vel trium dierum intervallo. Poteſt etiam unica monitio fieri pro trina, præfixo eo temporis ſpatio, quod pro trina ſufficit. Quamvis, ſi criminis, aut mali impendentis periculum, ſeu alia neceſſitas interdum aliud ſuadeat, dilationemque non patiatur, tunc Judex ſtatim rem aggredi, & Excommunicationem proferre poſſit. Debet autem hujuſmodi monitio ad reum perſonaliter fieri, niſi is malitioſe latitet; tunc enim ſatis eſt, citationem ad domum, vel valvas Eccleſiæ fieri: Si autem per contumaciam non comparet, etiam abſens excommunicari poteſt.

5. Si ipſo jure decreta ſit Cenſura ſententiæ latæ, alia monitio non requiritur, ſed reus, antequam declaretur, a Judice citari, & audiri debet. Prius probatur: Quia ipſa lex, aut Judicis præceptum generale, vel ſpeciale, ſub tali comminatione latum, continuo admonet, ut merito inobediens, & contumax cenſeatur, qui obedire recuſat. Poſterius prob. Quia jure naturali debetur ipſi jus defendendi ſe.

NB. Quod ſi factum, aut crimen adeo notorium ſit, ut manifeſtum ſit, nullam defenſionem, aut excuſationem reo competere, citatio intermitti poteſt: Quia *exceſſus notorius examinatione non indiget*. C. Bonæ. 1. de Elect.

6. Si a Jure decreta ſit Cenſura ferendæ ſententiæ, infligi non debet reo, etiam convicto, niſi præcedente monitione. Ratio patet ex dictis: Quia talis Cenſura non a lege, ſed ab homine fertur, ideo legis monitio non ſufficit, niſi etiam hominis monitio præcedat, ſaltem ordinarie, & niſi aliud cauſæ gravitas, ſeu neceſſitas requirat.

7. Ignorantia (ſi craſſa non ſit, nec affectata) tum juris, tum facti, etiam concomitans, a Cenſura excuſat. Ratio: Quia ad incurrendam Cenſuram requiritur contumacia; ignorans autem comminationem contumax non eſt. *Non enim contemnit diſciplinam, qui ignoravit*. l. Si ignorans. 50. ff. locati.

NB. Ignorantia, inconſideratio, & oblivio non ſupina æquiparantur.

Nota. Clericum percutiens, & neſciens Clericum peccant quidem; ſed non incurrit Excommunicationem. Ratio: Quia ignorantia tollit voluntarium circa objectum illud, quod ignoratur. Item, ruſticus percutiens Clericum, & neſciens, licet opiet, eſſe Clericum, tamen non incurrit Excommunicationem. Ratio: Quia Cenſura nunquam fertur propter internam pravam operantis diſpoſitionem habitualem, vel actualem, ſed propter externam Eccleſiaſtici mandati contumacem tranſgreſſionem.

8. Qui ſcit, opus prohibitum eſſe, neſcit tamen annexam Cenſuram, eam haud incurrit. Ratio: Quia oportet Cenſuram eſſe pœnam medicinalem; at non eſſet medicina, ſed tantum obeſſet, ſi etiam ignorata incurreretur. Secus eſt in irregularitate, eo quod irregularitas non contrahatur propter contumaciam, ſed propter turpitudinem, ſeu maculam culpæ, qua criminoſus ſecundum Eccleſiæ Canonem inhabilis redditur ad Altaris miniſterium.

9. Qui ex gravi metu Eccleſiæ legem tranſgreditur, Cenſuram evitat, licet quandoque a culpa mortali non excuſetur; ut ſi quis ob mortis metum cum conſanguinea matrimonium contrahat, & conſummet. Tum quia ad Cenſuram requiritur contumacia: Qui autem ex gravi metu peccat, alioquin non peccaturus, non cenſetur contumax: Ergo &c. Tum quia in ordine ad forum externum, & leges poſitivas Eccleſiæ gravis metus cenſetur *juſtus, probabilis*, tametſi interdum a peccato non excuſet, ſpectato jure naturali. Ratio Concluſionis: Quia Eccleſiaſticæ leges ordinarie non obligant cum tanta ſeveritate.

NB. Si ſacerdos excommunicatus, ac publice denuntiatus, gravi metu adactus, audiat Confeſſiones, non ſine irreverentia Sacramenti, quod tali caſu invalide adminiſtratur, incurrit Cenſuram; Quia, quotieſcunque actio per Cenſuram prohibita, ratione talis prohibitionis, intrinſece mala redditur, tunc eam ob gravem metum exercens contra Eccleſiaſticam legem delinquit, & pœnam incurrit.

Aliud exemplum de eo, qui ex metu gravi communicat non excommunicato, in contemptum Eccleſia-

ecleſiaſticæ poteſtatis; nam in his caſibus Eccleſiaſtica etiam lex obligat, ut non obſtante quovis incommodo privato bonum publicum fidei, ac Religionis, aut Sacramenti reverentia, & honor defendatur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Optime ſe gerent Prælati, ſi non imponant cenſures ob materias per ſe leves, dum non clare conſtet graves fieri ex circumſtantiis, vel ex fine abipſis intento. Experientia conſtat, hujuſmodi leges, ſeu cenſuras, paſſim parvipendi cum duplici gravi præjudicio. Primum eſt, quia, quamvis multi ſibi perſuadeant eas non obligare, nihilominus ex earum tranſgreſſione conſcientiæ poſtea variis perplexitatibus, dubiiſque inquietantur: atque ita ſimiles leges potius ſolent eſſe in deſtructionem, quam in ædificationem. Secundum eſt, quia ita aſſuaſcunt homines leges, & cenſuras tranſgredi, ſeu pro nihilo habere, & proinde valde lævatur Eccleſiaſtica diſciplina. Scio merito Theologos docere præſumendum eſſe rem præceptam valde conducere ad finem, ſinemque Legiſlatoris gravem reputandum, dum contrarium non conſtet: *Sanch. l. 1. in Decal. c. 4. n. 3. Caſtropal. t. 1. tr. 1. diſp. 2. p. 7. n. 4.* At hæc Doctrina non ſatis impedit aſſignata inconvenientia; dum etenim talis gravitas ſatis non innoteſcat, facile ſibi perſuadent contrarium conſtare; & maxime ſi lex, ſeu cenſura ſit a Legiſlatore, qui vel indoctus, vel nimis rigidus reputatur. Præterea, cum conſulantur multi ſolum in vulgi opinione Theologi, hi, qui ſolent temeritate excellere, facile pronunciant tales leges, ſeu cenſuras nullam inducere obligationem.

II. Advertant Confeſſarii peccatum prohibitum ſub cenſura, non ſolum debere eſſe externum, ſed perfectum, & conſummatum in genere malitiæ, in quo prohibetur; & ex hoc capite multoties excuſari pœnitentes a cenſura. Ita non incurrit cenſuram latam, ut dixi, contra percutientem Clericum, qui tali actione externa illum percutit, ut, omnibus penſatis, non appareat continere culpam gravem, quidquid ſit de pravo animo, quo facta eſt percuſſio. Excuſatur pariter ab Excommunicatione, qui ita externe hæreſim proferret, ut apud circumſtantes appareret protuliſſe vel ex ignorantia, vel ex joco, quamvis ex animo hæreſi ſauciato protuliſſet. Ex his exemplis, aliiſque ſupra relatis, poteſt facile Confeſſarius plurima in praxi reſolvere.

III. Confeſſarius, dum audit pœnitentem ſe accuſare de aliquo crimine, cui annexa eſt cenſura, ſtatim interroget, an ſciverit illud crimen prohibitum fuiſſe ſub cenſura; ſi etenim reſpondeat ſe ignoraſſe cenſuram, quamvis non ignoraverit malum fuiſſe id, quod patravit, debet ſtatim illum pronunciare immunem cenſura. Ex hoc capite poterit quam frequenter abſolvere, qui inciderunt in Caſus in Bulla Cœnæ prohibitos; nam rari ſunt qui ſciant pluribus ex caſibus in ea contentis annexam eſſe cenſuram; & cum alioqui ſolum ratione cenſuræ reſervantur, conſequens eſt, poſſe abſolvi eos, qui ignorabant talem cenſuram, utpote quia ratione ignorantiæ cenſura non ligantur.

IV. Si pœnitens reſpondeat non ignoraſſe cenſuram, quæ prohibitum erat ſuum crimen, iterum interrogetur an hujus cenſuræ recordatus fuerit, dum delictum perpetravit, vel potius fuerit oblitus, ſeu non animadverterit. Difficile e. g. erit advenire aliquem, qui ignoret, percutientem Clericum eſſe excommunicatum; at in actu percuſſionis bene poteſt quis ita paſſione perturbari, ut non advertat cenſuram latam contra percutientes Clericum. Cum autem ſemper ejuſdem non recordetur in actum, quo committit delictum, eam non incurrit.

V. Advertant hic etiam Confeſſarii noſtræ Diœceſis primam Tabellæ excommunicationem afficere eos, qui intra annum *a die ſcientiæ &c.* non ſolvit legata pia. Quamvis ergo quis ex ignorantia culpabili neſciverit obligationem ſolvendi pium legatum, & ob id intra annum non ſolverit, licet graviter peccaverit, non tamen incidit in excommunicationem ex dictis ſupra; qui etenim ignorat ignorantia craſſa, & ſupina, & ex pluribus, ſaltem in materia odioſa, etiam affectata, non dicitur ſcire. Incurrit ergo excommunicationem, ſi non ſolvit intra annum a die quo ſcivit, vel a tempore, quo jus, vel Teſtator præſcripſerit, ut magis explicabo agendo de Legatis.

Eadem doctrina applicanda Notariis, vel aliis ſcribentibus teſtamenta, qui, ut conſtat ex eadem tabella, tenentur tranſmittere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ad Cancellariam Epiſcopalem &c. notulam Legatorum piorum, aut alterius piæ diſpoſitionis intra duos menſes a die *ſcientiæ obitus Teſtatoris.*

CAPUT VI.

Quibus caſibus Cenſura injuſta, & quibus etiam invalida ſit?

1. CEnſura interdum injuſte fertur, tamen valide; puta, ſi forma judicii (Canonica admonitio, ſententia prolata in ſcripto coram teſtibus inſerta cauſa) in Cenſura ferenda a Judice non ſervetur.

2. Cenſura lata poſt appellationem legitimam, vel cum alio defectu ſubſtantiali ſine juſta cauſa publice nota, vel a non habente juriſdictionem, irrita eſt; quare nec timenda, per ſe loquendo.

3. Si cauſa ferendi Cenſuram re ipſa non ſubſiſtat, quamvis in foro externo ſecundum allegationes appareat, non obligat in conſcientia; debet tamen obſervari talis Cenſura, quatenus neceſſe eſt ad publicam diſciplinam, & Judicis authoritatem tuendam. Probatur prius: Quia Eccleſia nec vult, nec poteſt excedere limites datæ ſibi poteſtatis; atqui poteſtas Cenſuræ Eccleſiaſticæ per ſe tantum data eſt contra contumaces, non contra innocentes: Ergo non poteſt, nec vult ligare hos, niſi quatenus id per accidens eſt neceſſarium ad publicam diſciplinam, & authoritatem Judicis tuendam: Conſequenter; ſi hæc ratio ceſſet, quia res occulte agitur, vel coram iis, qui hominis innocentiam perſpectam habent, non eſt is Cenſura ligatus, cum nec coram Deo ligatus ſit: Quia *æterni tribunal Judicis illum reum non habet, quem injuſte Judex condemnat.* C. 1. de Sent. & re judic. in 6. Poſterius probatur ex S. Gregorio Hom. 26. in Evang. *Sententia paſtoris juſta, ſeu injuſta ſit, gregi timenda eſt.* Ratio: Quia Judex ex officio ſuo pertinente ad publicam utilitatem, ac diſciplinam, cui merito commoda privata poſthaberi debent, obligatus eſt, ut in judicio ſecundum publica allegata, & approbata ſententiam ferat, reo præcipiat, tametſi privata notitia eundem innocentem cognoſcat, ſed innocentiam ejus publice, ac legitime oſtendere non poſſit: Conſequenter in tali caſu reus condemnatus juſtæ Judicis ſententiæ parere obligatus eſt, quatenus præciſe neceſſarium eſt ad publicam diſciplinam, & Judicis authoritatem tuendam.

NB. Qui talem Cenſuram violat, V. C. Clericus innocens excommunicatus actum ſui Ordinis exercens, non contrahit irregularitatem. Ratio: Quia talia non mere, & ſimpliciter, ſed tantum apparenter, & in ordine ad forum externum Cenſura ligatus eſt: Cum autem Canones irregularitatem decernunt violatori Cenſuræ, intelligi debent de vera, & ſimpliciter dicta Cenſura; quia odia, & pœnæ reſtringendæ ſunt.

NB. Tamen Sacerdos innocens, & externe excommunicatus, convictus de ſacrificio occulte celebrato, tanquam irregularis a Judice condemnari poteſt; quia in foro externo cenſetur excommunicatus. Quod ſi monitus deſiſtere nolit, tunc propter contumaciam poterit vere excommunicari. Quod ſi tali innocenti, ſecundum allegata, & probata excommunicato, beneficium conferatur, collatio quidem in ſe valida eſt, & proviſus in conſcientia tutus; tamen irritari a Judice poteſt. Ratio: Quia talis Excommunicatio materialiter injuſta non reddit hominem vere, & ſimpliciter inhabilem, ſed ſolum in ordine ad forum externum, & publicam exiſtimationem, quatenus ita neceſſe eſt ratione communis boni, ac diſciplinæ.

Ad ſubſtantiam Cenſuræ requiritur antecedens monitio, non tamen trina, niſi in caſibus jure expreſſis.

CAPUT VII.

De Abſolutione a Cenſura.

1. CEnſura proprie dicta alio modo non tollitur; quam legitima abſolutione, ut nimirum eadem publica poteſtate, qua contracta eſt, etiam diſſolvatur. Non enim tollitur per mortem ferentis: Quia pœna per legitimam Judicis ſententiam inflicta tranſit in rem judicatam, adeoque non finitur morte, aut depoſitione Judicis imponentis: Multo minus, quæ a Jure impoſita pœna eſt, ab ejus authore dependet, ſicut neque ipſum Jus, neque ſtatutum, ſed neque per mortem excommunicati Excommunicatio omnino extincta cenſetur, cum etiam mortuus Eccleſiæ ſuffragiis, & ſepultura ſacra carere debeat.

NB. Cenſura contracta non ceſſat per ſe ipſam depoſita contumacia, ſed per Judicem per abſolutionem tolli debet: (a) niſi tali conditione Cenſura lata ſit (quod fieri poteſt), ut, quamprimum a contumacia receſſerit, vel ſatisfecerit, ipſo facto abſolutus exiſtat. Nam ſicuti valor cujuſcunque liberæ conceſſionis immediate pendet a voluntate concedentis, ita & valor abſolutionis a voluntate abſolventis: Conſequenter, ſi is velit, hoc vel illo eveniente, conceſſionem, abſolutionemve ratam eſſe, ſtatim ita erit. Alia ratio eſt de Sacramentis, quæ, (excepto matrimonio) invalide conferuntur ſub conditione pendente in futurum: V. C. *Abſolvo te, ſi reſtitueris*, propterea quod miniſtratio Sacramentorum non dependeat ex libera voluntate, & intentione miniſtri, niſi ea actu concurrat cum exhibitione materiæ, & formæ ſecundum Chriſti inſtitutionem.

„ (a) Hæc ſententia Laymani enhæret propoſitioni 44. inter damnatas ab Alex. VII, an. 1666. *quoad forum conſcientiæ reo correcto, & contumacia ceſſante ceſſant cenſuræ.*

NB. Reg. 50. in 6. *Actus legitime conditionem non recipiunt, neque diem*, vera eſt, ſed de iis actibus tantum, quibus ex propria natura, vel inſtitutione repugnat dici, aut conditionis adjectio: Licet autem repugnet, Cenſuram proprie dictam ferri ad certum diem, vel tempus: V. C. *Excommunicatus eſto ad*

trien-

triennium; propterea quod Cenſura non ſit pœna mere aſflictiva, ſed contumaciæ correctiva: non tamen repugnat, Cenſuram ferri ſub hac conditione, ut duret, quamdiu in contumacia perſeveratur. Quamvis non ſit moris, tali modo Cenſuram decernere, ut præſtita ſatisfactione expiret Cenſura, ſed potius, ut a Judice per legitimam abſolutionem auferatur.

2. A Cenſura lata per ſententiam particularem is tantum abſolvit, qui eam tulit, vel ejus Superior, Succeſſor, aut Delegatus; quia *ejuſdem ſolvere eſt, & ligare*. Et: *Par eſt jus ſolvendi, & ligandi*. Intellige: Dummodo juriſdictio in illo duret.

NB. Delegatus habet poteſtatem intra anni ſpatium, etiamſi tempus delegationis finitum ſit, ſi depoſita contumacia ſententiæ parere velit, eum abſolvendi; poſt annum vero ad delegantem remitti debet.

NB. Prælatus Provincialis poteſt abſolvere omnes, quos Prior, aut Guardianus excommunicavit. Archi-Epiſcopus vero non poteſt abſolvere ſubditos Epiſcopi, niſi ad ipſum ſit appellatum. Epiſcopus quoque excommunicatos Regulares a proprio Prælato ex cauſa pertinente ad regularem diſciplinam abſolvere non poteſt; quia *correctia Monachi primo loco ad Abbatem ſpectat*, niſi Regulares non exempti ab injuſta ſententia Prælati ad Epiſcopum appellent.

Cæterum, præter hos, qui numerati ſunt, nemo alius a Cenſura per ſententiam particularem lata abſolvere poteſt. Ratio: Quia judicialis cauſa per Rei citationem, quæ neceſſario ſententiam Cenſuræ antecedere debet, coram proprio Judice cœpta eſt: Ergo ſi alius Judex quicunque (præter Superiorem, Succeſſorem, vel delegatum) ſe intromittat, & Reum abſolvere tentet, manifeſto ejus juriſdictionem violat, & interturbat.

NB. Quod ſi autem ligatus Excommunicatione longiſſime diſtet ab authore, paratus ſatisfacere, poteſt interim abſolvi ab inferiore, præſtita cautione, quod, quam primum poterit, conſpectui ejus, ad quem jure ordinario abſolutio ſpectat, ſe præſentare velit.

3. Quicunque jure ordinario, vel privilegio poteſt abſolvere a Cenſura juris, is etiam poteſt abſolvere a Cenſura per ſententiam generalem lata. Ratio: Quia Cenſura ita generatim lata non continet proprie ſententiam Judicis, quam reſcindere alius non poſſit ſine violatione juriſdictionis, ſed potius continet præceptum, ſub tali pœna, ſive Cenſura impoſitum; ideoque æquiparatur in hac parte Cenſuræ juris.

4. Præventus a Judice (exemplum habes in cauſa Parochi Kulcenſis) forum ipſius in eadem cauſa declinare non poteſt. V. C. Subditus Epiſcopi, ſeu ratione domicilii, ſeu ratione ſolius delicti, excommunicatus ab Epiſcopo ſuo, mutans domicilium, non poteſt ab altero Epiſcopo abſolvi, eo quod prior Epiſcopus, qui excommunicavit propter cauſam in Conſiſtorio ſuo cœptam, & nondum abſolutam, jus in excommunicatum adhuc retinet. At vero, ſi quis in propria Diœceſi juris Excommunicationem, aut ſententiæ generalis contraxit, ac poſtea in alium Epiſcopatum commigret, poteſt tunc ab Epiſcopo loci abſolvi.

5. Poteſtas abſolvendi a Cenſuris interdum delegatur perſonæ particulari, & quandoque etiam reſpectu certæ cauſæ, interdum vero univerſim Epiſcopis, Ordini Regularium, &c.

6. Si poteſtas abſolvendi a Cenſuris abſolute concedatur, intelligitur etiam in ordine ad forum externum, niſi ex adjunctis aliud colligi debeat.

NB. Cum in Bullis Jubilæi, aut Cruciatæ datur poteſtas Confeſſariis abſolvendi ab omnibus peccatis, & Cenſuris, intelligi debet in ordine ad forum conſcientiæ tantum. Sic abſolutus a peccatis enormibus, V. C. magia, nihilominus tamen puniri poteſt a Magiſtratu; quia forum conſcientiæ, & forum externum judicii valde diſtincta ſunt: Siquidem in illo præcipue ſpectatur animæ ſalus, & divinæ offenſæ compenſatio; in hoc vero ad publicam etiam vindictam, & Reipublicæ ſatisfactionem attendi debet.

7. Abſolutio data in foro conſcientiæ tantum (V. C. ab Excommunicatione notoria) non prodeſt in foro externo, niſi Judex eam ultro acceptare velit, & accuſationem Fiſcalis repellere, quod poteſt.

Quod ſi Excommunicationis V. C. Cenſura occulta fuit, tunc non prohibetur, qui ab ea in foro conſcientiæ abſolutus eſt, etiam publice celebrare.

Quod ſi Excommunicatio notoria fuit, & cauſa ad forum judiciale deducta fuit, tunc ſi quis celebravit, & abſolutus fuit, in foro conſcientiæ, & abſolutio, & celebratio cedit aliquo modo in præjudicium fori externi: ut proinde judex talem abſolutionem admittere non cogatur, ſed celebrantem tanquam irregularem punire poſſit. Hinc privilegiatus ſine conſenſu Ordinarii abſolvere facile non debet a Cenſuris notoriis, ſi eæ ad forum judiciale deductæ ſint, aut probabiliter deducendas putet. Ratio: Quia abſolutio danda non eſt, priuſquam parti læſæ, & Eccleſiæ, ſi læſa ſit, ſatisfactum ſit; propterea quod Reus, poſtquam abſolutionem conſecutus fuit, non ita efficaciter ad præſtandam emendationem urgeri poſſit.

8. Abſolutio a Cenſura interdum confertur ad cautelam, ſi dubitetur: V. C. *Abſolvo te, ſi incurriſti*. Interdum *ad reincidentiam* cum certa conditione, quam niſi abſolutus intra præfixum tempus, quamprimum poteſt, adimpleat, V. C. Ordinario ſe ſiſtat, aut parti læſæ ſatisfaciat, in eandem denuo incidat. Quod ſi reincidatur, requiritur nova contumacia, & nova ſententia. (a)

„ (a) Neſcio quid hoc ſit: *requiritur nova Judicis* „ *ſententia*; nam cum Judex abſolvit ad reinciden„ tiam, in ipſa abſolutione continetur nova illa ſen„ tentia, qua contumacem iterum excommunicat. „ hæc enim verba Abſolvo te ad reincidentiam perin„ de valent, ac ſi dicat: Abſolvo te modo, & ite„ rum te excommunico, ſi fueris contumax.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Primo animadvertat Confeſſarius quemlibet Cenſura ligatum ſollicitare debere abſolutionem, & quemlibet culpabilem dilationem difficiliter excuſari poſſe a gravi culpa, niſi ſit modici temporis, cum lædat charitatem erga ſeipſum, exulando ab Eccleſia, & privando ſe pluribus ſpiritualibus bonis: ſicut etiam propter ſcandalum aliorum, ſi publice ſit excommunicatus: maxime quia præbet occaſionem ſaltem ſuſpicandi ſe contemnere Eccleſiæ poteſtatem. Demum notet permanentem per annum in excommunicatione eſſe ſuſpectum de hæreſi. Legat Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de reform. in fin.*

II. Secundo notet Confeſſarius, quod ſi aliquis excommunicatus fuerit ab Epiſcopo &c. per ſententiam particularem, quia alicui non ſatisfecit, eo ipſo quod conſtet de præſtita ſatisfactione, poterit ab unoquoque abſolvi, nec amplius neceſſe eſt illum remittere ad Superiorem, ut abſolvatur.

III. Bene poteſt evenire ob noſtram fragilitatem quandoque aliquem valde graviter percutere Eccleſiaſticum, ſive etiam occidere. In ſimilibus caſibus fere ſemper inclamare audivi, ad Papam ſolummodo abſolutionem ſpectare. Non ſtatim his acquieſcat Confeſſarius. Videat, an crimen ſit occultum, vel an fuerit ſufficienter probatum, ſi deductum fuerit ad forum contentioſum. In caſu igitur, quod non fuerit ſufficienter probatum, vel remanſerit occultum, ſi Pœnitens vere ſit diſpoſitus, adeat Epiſcopum, qui ſi nolit, vel ei commodum non ſit per ſeipſum abſolvere, poterit ipſum Confeſſarium, tanquam ſuum Vicarium ſpecialiter ad id deputare, ex facultate ipſi tradita a Tridentino, ut ſupra notavi.

IV. Praxis multorum Confeſſariorum eſt, ut pro habentibus impedimentum recurrendi ad Summum Pontificem petant a S. Pœnitentiariæ facultatem illos abſolvendi. Sed cur quæſo multoties non ſine animarum diſpendio per multum tempus, uſque dum reſponſiones habeantur, abſolutionem protrahere? Habetur tanquam doctrinæ fere communis, ac ſolidis authoritatum, & rationum fundamentis fulcitur ea ſententia, qua dicitur caſus papales pro impeditis fieri Epiſcopales. Cur ergo pro pœnitente ſatis diſpoſito non petere ab Epiſcopo facultatem abſolvendi? Nam cum tunc de jure ipſi competat talis facultas, poterit unumquemque delegare. Semel tamen meminiſſe debet Confeſſarius, quod ſi abſolvet habentem impedimentum temporale, ſimul debet injungere, ut eo ceſſante, adeat Summum Pontificem, alias iterum caſurus in eamdem cenſuram.

V. Ignorare non debet Confeſſarius, quod ſi aliquis innodatus cenſura Papæ reſervata, non poſſit nec Epiſcopum adire, poterit omnino ab eodem Confeſſario abſolvi. Demus e. gr. longe a Civitate, ubi reſidet Epiſcopus, eſſe aliquem valde ſenem, innodatum cenſura Papæ, vel ipſi Epiſcopo reſervata, poterit ab eodem Confeſſario abſolute abſolvi, ſi nullatenus poſſit Epiſcopum adire. Idem teneat Confeſſarius de puella, vel alia muliere, cui non eſſet libertas Epiſcopum adeundi, quæ nec tenetur ſcribere, & reſponſum expectare. Semper præ oculis tamen habeat, an impedimenta ſint temporalia, vel perpetua.

VI. Si aliquis in puncto mortis abſolutus fuit a Cenſura (caſus equidem raro contingere poteſt) a ſimplici Clerico, vel etiam a Perſona laica, Parochus curare debet, ut iterum abſolutio obtineatur ab eo, qui habet indubitatam poteſtatem abſolvendi; nam ſi forte prima vice non fuiſſet valide abſolutus quamvis obiiſſet contritus, in plurimorum ſententia non participaret communia Eccleſiæ ſuffragia. Si vero non eſſet facilis recurſus ad Judicem, qui illum ſua ſententia excommunicavit, propter abſentiam e. gr. regionum, Parochus poterit ex opinione valde probabili pro illo defuncto taliter abſoluto Miſſam celebrare, & ipſum tradere Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Videantur inter alios *Sanch. lib. 2. ſum. c.* 13. *n.* 83. *Boſſius tit.* 5. §. 9. *num.* 84. *& ſeq.*

VII. Non obliviſcatur Parochus, nullum abſolvendum a Cenſuris, niſi parte ſatisfacta, neque audiendus eſt, qui poteſt ſatisfacere, ſi velit abſolutionem eo quod promittat, & repromittat ſatisfactionem. Parendum igitur eſt juri exigenti quod præmittatur ſatisfactio, ultraquam quod promiſſiones etiam repetitæ, obtenta abſolutione, ſolent evaneſcere. Quod ſi petens abſolutionem non poſſit ſatisfacere, tunc ſi prudenter credat fore ſatisfacturum, dum poterit, non eſt deneganda abſolutio, præſtito prius

jura-

juramento de ſatiſfaciendo, ſi aliam cautionem habere non poſſit, ut dictum eſt.

VIII. Si Confeſſarius obtinuit facultatem abſolvendi a cenſura reſervata, quandoque vidi illum anxium de modo, quem tenere debet in abſolvendo. Removeat ergo anxietatem, & ſciat quod utendo ſolite formula; *abſolvo te ab omni vinculo &c.* ſufficienter abſolvit. Nec tenetur ſaltem pro foro conſcientiæ exprimere cauſam, ob quam contracta ſuit cenſura, cum hoc aliunde jure præcipiatur. Si vero addiſcere velit cæremonias, quæ ſervantur in publica Cenſurarum abſolutione, videat Pontificale, & Rituale Romanum.

IX. Si bene perpendat Confeſſarius nam alias omnino veram doctrinam, Confeſſarium nempe habentem authoritatem abſolvendi a Cenſuris reſervatis, ab illis liberare ſuum Pœnitentem, qui illi confitetur ſua peccata, maxime ſi cenſuras doloſe non taceat, fortaſſe a pluribus anguſtiis ipſius conſcientiam ſublevabit. En Caſus practicus, de quo ſui interrogatus. Quidam ſenex volens ſe morti diſponere, valde timebat ſue vita decurſu in quoſdam caſus in Bulla Cœnæ reſervatos incidiſſe, Adiit Confeſſarium, qui ſtatim, nonniſi facultate a S. Pœnitentiaria obtenta ipſius anguſtius occurri poſſe pronunciavit. Verum id neceſſe non fuiſſe omnino erat judicandum; nam cum variis temporibus Jubilæum acquirere conatus fuerit, quo tempore, hæreſi excepta, concedi ſolet facultas abſolvendi etiam a Caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis, per abſolutionem tunc obtentam a Confeſſario, liberatus fuerat ab omnibus Cenſuris reſervatis; neque enim malitioſe aliquam reticuerat, unde poterat abſolvi e quocumque Confeſſario, ſi vere contra Bullam Cœnæ cognovit tunc deliquiſſe. Cæterum ipſius Confeſſarium magis ſcrupuloſus, quam doctus, aliam, ni fallor, tenuit viam, & quoadusque S. Pœnitentiariæ reſponſa non advenerunt, a Sacramentorum participatione voluit abſtinere.

PARS II.

De Cenſura Excommunicationis.

CAPUT I.

Quid ſit Excommunicatio, & quotuplex.

1 EXcommunicationis nomen, ſi abſolute proferatur, accipi ſolet pro Majore, qua aliquis propter contumaciam ab Eccleſiæ communione ſeparatur: Minor ſolum ſecundum quid privat uſu Sacramentorum paſſivo. Major Excommunicatio habet fundamentum in verbis Chriſti Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit &c.* Et in Apoſt. 1. Tim. 1. qui quoſdam *tradidit Sathanæ*.

2 Triplex eſt communicatio fidelium. Mera interna conſiſtit in fide, ac charitate, per quam fideles inter ſe, & cum Chriſto myſtice copulantur. Ratione cujus unionis unus pro altero orare poteſt. Pure externa conſiſtit in convictu, & colloquio, commercio fidelium. Media, ſive mixta, quæ in exterioribus actionibus, vel cæremoniis exiſtens interiorem ſpiritualem, fructum ex propria inſtitutione continet. Huc ſpectat uſus activus, & paſſivus Sacramentorum, Eccleſiæ ſuffragia, quæ in ſacrificio, aliisque publicis officiis ad Deum pro univerſa Eccleſia funduntur; item ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, quæ ex communi Eccleſiæ theſauro per indulgentias fidelibus juſtis applicantur. Cum enim Eccleſia viſibilis ſit, ideo communicatio iſta, ſeu applicatio communium orationum, & ſatisfactionum per ſenſibilem actionem fieri debet.

3 Eccleſia neminem privare poteſt communicatione fidelium mere interna, quæ eſt per Fidem, ac Charitatem; quippe quibus nemo invitus ſpoliatur, & Charitas poteſt eſſe in excommunicato, ſi depoſita contumacia ante abſolutionem conteratur.

4 Pro excommunicatis licitum eſt orare privata intentione, etiam in Memento Miſſæ. Nam hujuſmodi actiones, ſive opera pia cujuſque operantis propria ſunt; ideo ad ipſius liberam applicationem, & non ad Eccleſiæ diſpenſationem pertinent.

5 Eccleſia per Excommunicationem privat hominem communibus ſuffragiis, uſu Sacramentorum, & fidelium convictu. Ratio; Quia quævis Reſpublica poteſtatem habet ſubditum rebellem a reliquorum civium conſortio excludendi: Ergo etiam ad Eccleſiam, ut Rempublicam perfectiſſimam, id pertinet, ut ſubditos ſibi noxios a fidelium communione ſeparet; tum ne alios inficiant, tum ut ſic magis pudefacti citius reſipiſcant. Idque facit Eccleſia non ſecundum internam communicationem, quæ eſt per fidem, ſed ſecundum externam communicationem ſpiritualium bonorum, ex Eccleſiæ voluntate, & diſpenſatione pendentium.

6 Excommunicatio eſt pœna, *qua nulla major in Eccleſia eſt*. Quare ad eam non eſt deveniendum, niſi poſtquam monitionibus nihil obtineri poſſit, & ſpes non affulgeat alicujus fructus ad reum emendandum, vel ſaltem bonum publicum promovendum.

NB. Communitas collective excommunicari non poteſt, niſi omnes, ac ſinguli culpabiles ſint. Nam cum Excommunicationis pœna hominem privet ſpiritualibus bonis, quæ ad animam proprie pertinent, infligi ea non debet, niſi ob proprium gravem culpam.

7 Anathema ab Excommunicatione eſſentialiter non differt. Dicitur enim ἀνάθεμα quaſi ſeparatio alicujus ab Eccleſia, tanquam maledicti, & execrandi. Hæc vox Anathema adhibetur, & uſurpatur interdum ad ſignificandas accidentales ſolemnitates, & cæremonias adhiberi ſolitas in Excommunicatione, videlicet, ut duodecim Presbyteri Epiſcopum circumſtent, qui lucernas ardentes in manibus teneant, eaſque in terram projiciant, & conculcent in deteſtationem excommunicati.

CAPUT II.

De effectibus Excommunicationis.

1 PRimus effectus eſt, Excommunicato Sacramenta ſuſcipere non licet; valide tamen ea ſuſcipit, excepto Sacramento Pœnitentiæ. Excuſat tamen periculum mortis, infamiæ, ſcandali, &c. Quia lex, & Cenſura Eccleſiaſtica non obligat cum tanta ſeveritate.

2 Secundus Effectus, Excommunicatus privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, & ſatiſfactionibus. Ratio: Quia horum ſpiritualium bonorum Eccleſia vel Domina eſt, vel Diſpenſatrix, ut proinde ea indignis, & contumacibus denegare poſſit ob majus bonum tum publicum, tum ipſorummet excommunicatorum. Excommunicatus non peccat omittendo e Miſſa die feſto, nec tenetur ſe diſponere; quia ea diſpoſitio eſt valde remota.

3 Excommunicatus, per quem ſtat, quo minus abſolvatur, videtur peccare contra Eccleſiaſticum præceptum, quando in Paſchate ſe diſponere negligit ad percipienda Sacramenta Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ. Ratio. Quia illa præcepta per ſe obligant ad mundandam animam, & conſequenter ad tollenda vincula tum mortalium peccatorum, tum etiam Excommunicationis.

4 Excommunicatus, licet emendatus ſit, quamdiu tamen abſolutionem non accepit, non videtur gaudere ſuffragiis Eccleſiæ; & quia Excommunicatio eſt pura pœna, poteſt manere etiam ſublata culpa.

5 Tertius Effectus, Excommunicato interdictus eſt uſus activus, ſeu adminiſtratio Sacramentorum, idque jure ſit ab Eccleſia, cum miniſtratio Sacramentorum ſit miniſterium publicum, Eccleſiæ commiſſa a Chriſto; ut proinde indignis, ac contumacibus interdicere jure poſſit. Excipe neceſſitatem. Valet tamen Sacramentum adminiſtratum ab excommunicato, excepto Pœnitentiæ; quippe ad quod juriſdictio requiritur, qua excommunicatus non toleratus caret, quippe ipſi ablata: Præterquam ſi publicus error facti cum titulo præſumpto interveniat.

6 Quartus effectus. Excommunicato prohibitum eſt divina officia celebrare; ut ſacrificium Miſſæ. Excommunicatus præſens ſacrificio Miſſæ expellendus eſt a laicis. Quod ſi non fieri poteſt, ſacerdos ab Altari recedere debet ante Canonem. Prohibitæ ipſi ſunt publicæ Horæ Canonicæ, Proceſſio, &c. tamen privatim Horas orare debet, ne ex propria iniquitate commodum ferat. Privatur etiam fructibus, non poteſt dicere *Dominus vobiſcum*: Sed ſi dicat, non erit mortale.

7 Quintus Effectus. Excommunicatus inhabilis eſt ad Eccleſiaſtica beneficia; quare electio, aut præſentatio irrita eſt, licet electus &c. ignoraverit ſe eſſe excommunicatum. Cæterum qui bona fide accepit beneficium, ſi cognovit, tenetur relinquere, non tamen fructus, ſi inde ditior factus non eſt, tenetur reddere. Ratio Concluſionis: Quia aſſumptio ad beneficia eſt communicatio Eccleſiaſtica. Alia ratio reg. c. ult. de Cleric. Excom. Prohibito exercitio actus cenſetur prohibitum illud omne, per quod pervenitur ad illum actum.

8 Excommunicatus incapax eſt penſionis Eccleſiaſticæ, quia penſio datur propter officium. Hoc autem non poteſt præſtare excommunicatus: Ergo.

9 Si excommunicatus in contumacia, vel mora petendæ abſolutionis perſiſtens officium ſuum nec per ſe, nec per alium obeat, fructus beneficii non poteſt percipere: Si vero præſtet, quamvis peccet, poteſt tamen retinere fructus in foro conſcientiæ. Quia in externo foro indignus cenſetur, ut alatur ex bonis Eccleſiæ. Quod in conſcientia retinere poſſe, patet; quia talis ratione Cenſuræ privatus non eſt redditibus, cum id jure expreſſum non ſit. V. C. Si Parochus occulte ſit

ſit excommunicatus, & faciat ſuum officium, redditus retinere poteſt.

10 Si excommunicatus a contumacia receſſit, neque per eum ſtat, quo minus abſolvatur, fructus beneficii percipere poteſt, licet officium ſuum non præſtet, quia non poteſt. Sicuti & Beneficiarius infirmus percipit fructus, eſto, culpa ſua cauſam infirmitati præbuerit; quia legitime impeditus cenſetur.

11 Ad beneficium legitime electus, ſi poſtea in Excommunicationem lapſus eſt, non poteſt durante Excommunicatione acceptare illud.

12 Sextus Effectus. Reſcriptum Sedis Apoſtolicæ ab excommunicato impetratum non valet.

13 Septimus effectus. Excommunicatus non toleratus omni exercitio Eccleſiaſticæ juriſdictionis privatus eſt, quare nec eligere, nec præſentare poteſt; poteſt tamen aſſiſtere matrimonio.

14 Octavus effectus. Excommunicatio hominem privat communicatione forenſi. Si tamen actor, advocatus, & teſtis in judicio, neque a Judice, neque per adverſarii exceptionem repellantur, acta eorum valent: Secus eſt de Judice non tolerato, cum juriſdictione careat; quia ſubſtantia judicii vitiatur, ſi defectus ſit in juriſdictione.

15 Neque Tabellionis excommunicati, ac vitandi inſtrumentum authenticum cenſeri poteſt.

16 Nonus Effectus. Excommunicato prohibita eſt omnis politica fidelium (hæreticorum etiam) communicatio per literas, nutus, munera, ſi conveniant ut ſocii formaliter; non vero præter intentionem, præterquam in caſibus, jure, aut neceſſitatis ratione exceptis: Cujuſmodi comprehenduntur in his Regulis:

Utile, lex, humilis, res ignorata, neceſſe.

Utile, id eſt, notabilis utilitas corporalis, & ſpiritualis; ut exhortatio, eleemoſyna, conſilium. *Lex*, id eſt, matrimonialis, etiam in menſa, utrobique: Quia in correlatis, quod ſtatuitur de uno, cenſetur etiam de altero ſtatutum. *Humile*, id eſt, humilitas ſubjectionis filiorum in parentes, &c. & perſonæ ſubjectæ dominis; in divinis, V. C. Lectione Horarum poſſunt communicare cum dominis. *Res ignorata*, ſive, ignorantia tam juris quam facti.

17 *Neceſſe*, id eſt, neceſſitas communicandi cum excommunicato ratione debitorum contractorum bona fide, & emptionum.

18 Decimus Effectus eſt. Si excommunicatus anno integro in Excommunicatione contumaciter perſeveret, de hæreſi ſuſpectus redditur.

19 Undecimus Effectus. Si excommunicatus ante abſolutionem moriatur, ſepultura Eccleſiaſtica privatur; quia hæc cenſetur quædam cum mortuo communicatio. *Sacris autem Canonibus inſtitutum eſt, ut, quibus non communicamus vivis, neque mortuis communicemus.* C. Sacris de Sepult. Si tamen ſigna pœnitentiæ edidit, etiam poſt mortem abſolvi debet. Qui vero ex contumacia ſepelire præſumunt excommunicatos, ipſo facto Excommunicationem incurrunt.

Regula in praxi obſervanda.

I. Studeant Parochi, & Confeſſarii iis, quæ pertinent ad Cenſuras, nam poſſunt caſus evenire, in quibus ſolemniter errent. Audiant quod mihi accidit, quamvis Diœceſim, & locum ſilentio præteream. Vulgata fuit vox, quemdam Ruſticum fuiſſe excommunicatum, eo quod recuſaret reddere rationem redditum Fabricæ Eccleſiæ ſuæ Communitatis. Poſt aliquot interim dies, cum in vicina Eccleſia SS. Virginis Roſarii Feſtum celebraretur, subortum eſt dubium inter Parochos plurium Eccleſiarum, qui ad feſtum venerant, an admitti poſſent ad Sacramenta, qui cum præfato Ruſtico loquuti fuerant. Convenerunt igitur perdocti illi Parochi in Sacriſtia, ubi pluribus hinc inde diſcuſſis, & adductis, unanimi tandem ſententia decreverunt, ut dignior inter eos incunctanter ad Altare Majus accederet, ac numeroſum adſtantem Populum clara & intelligibili voce moneret, non poſſe niſi ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Epiſcopo abſolvi eos, qui cum dicto Ruſtico ſermonem habuerant; adeoque abſtinendum ab eis eſſe a Sacramento Pœnitentiæ, & S. Synaxi. Cum eadem die ad illum locum perveniſſem, ſtatim de tot Parochorum unanimi deciſione fui interrogatus: & heu, reſpondi in corde meo, ſi poſt obtentum Beneficium perpetuum *vale* ſuis libris non dixiſſent, non tam ſolemniter erraſſent. Primo, ni fallor, ille Ruſticus ſolum monitus publice fuerat de reddenda ratione ſuæ adminiſtrationis ſub pœna excommunicationis incurrendæ, & nondum inciderat in excommunicationem. Secundo, iſte amicus Regionis Legum erat, adeoque multi ex neceſſitate domleſtica cum eo ſermonem habuerant. Tertio, nemo, ſeu fere nemo illorum Ruſticorum ſciebat prohibitum eſſe loqui cum Excommunicato. Quarto, & ſi ſciviſſent, non incurriſſent niſi minorem excommunicationem, a qua unuſquiſque Confeſſarius poteſt abſolvere. Non injucunde audiſſem valida argumenta contrariæ illorum Doctorum ſententiæ.

II. Secundo pro praxi advertat Confeſſarius communem eſſe errorem dicere, eum qui videt aliquem Clericum percutere, non poſſe cum percuſſore loqui. Hinc quidam Confeſſarius, mihi notus, cum, remotis arbitris, fuiſſet a quodam validis pugionibus percuſſus, omittens livoribus ceruſſa mederi, nil aliud curavit niſi de admonenda quadam muliercula, quæ forte ibi ſupervenit, ut abſtineret a quocumque ſermone cum percuſſore; qua ratione miſera femina, & pro ſe valde timebat, ne pugnis, & calcibus impeteretur. Pius quidem, ſed indoctus Confeſſarius. Non erat ergo ille percuſſor vitandus, quia non erat notorius. Secundo, non erat vitandus, quia cum ante ſententiam Judicis poſſit crimen tergiverſari, eſt ſententia ſatis communis, nullum Clerici percuſſorem, ante Judicis ſententiam eſſe vitandum.

III. Item præ oculis habeat Confeſſarius occulte excommunicatum non eſſe repellendum a Sacramentis, ſi publice petat. Item licite petere, ſi non poſſit ab eis abſtinere ſine gravi infamia; adeoque pro tali caſu ceſſare impedimentum, quod advenit ab excommunicatione.

IV. Communiter dicitur, quod ſi excommunicatus vitandus intret in Eccleſiam, dum celebratur Miſſa, Sacerdos, qui ſaltem Canonem nondum incœpit, debet Miſſam omittere, & Adſtantes recedere. Sed hæc doctrina non tam feſtinanter ad praxim reducatur. In caſu igitur, quo talis Excommunicatus intraret in Eccleſiam, primo conſideretur, an ſit tranſeunter; & ſi ſit permanenter, an in tali loco ſtet, ut non judicetur cum aliis adſiſtere Miſſæ, nam in his caſibus inquietandi non ſunt nec Sacerdos Celebrans, nec Miſſam Audientes.

V. Si unquam daretur caſus, ut obiret in aliqua Parochia Excommunicatus notorius, primo videat Parochus, an ſigna dederit Pœnitentiæ, & tunc ſi eſt toleratus poteſt in praxi ſequi opinionem, quæ permittit illum ſepeliri in loco ſacro. Si vero non erat toleratus, item ſepeliendus eſt in loco ſacro, ſi potuit abſolvi ſaltem pro foro pœnitentiæ, antequam moreretur. Si vero quamvis dederit ſigna pœnitentiæ, non fuit qui aliquo modo abſolveret, tunc ſepeliendus non eſt in loco ſacro, antequam abſolvatur.

VI. Si quis poſt obtentum Beneficium, adinveniat obtinuiſſe illud tempore, quo erat excommunicatus, advertat Confeſſarius collationem fuiſſe nullam, adeoque ſaltem eſſe ſanandam; nam ignorantia excuſavit quidem acceptantem Beneficium a culpa, non tamen reddidit validam collationem. Videat autem, ſi illi arrideat opinio, qua aſſeritur ſolum excommunicato vitando invalide Beneficia conferri.

CAPUT III.

De Pœnis, quæ incurruntur ob communicationem cum Excommunicato.

1 COmmunicans cum excommunicato in crimine criminoſo ſcienter, id eſt, in illo ſcelere, propter quod quis excommunicatus fuit, incurrit Excommunicationem majorem, ſecus minorem.

2 Communicare cum excommunicato in *divinis*, ſeu rebus ſacris eſt mortale; quia valde repugnat authoritati Eccleſiaſticæ, & dignitati rerum ſacrarum, ſi ad hæc, quæ maxime propriæ ſunt filiorum Eccleſiæ, admittantur, qui ab Eccleſia præciſi ſunt. Niſi parvitas materiæ excuſet, V. C. legere privatim Horas ſecluſo ſcandalo, & contemptu; quia hæc privata communicatio non continet tantam deformitatem.

3 Communicare cum excommunicato in rebus *politicis*, plerumque eſt veniale: Quia hujuſmodi communicatio eſt levis, & non admodum repugnans fini Excommunicationis; quippe cum per ſe primo, ac directe prohibeatur uſus rerum ſpiritualium.

Communicans cum excommunicato tum in ſacris, tum politicis ſine juſta cauſa, incurrit Excommunicationem minorem.

4 NB. Excommunicatio minor eſt *Cenſura per ſe ſolum privans uſu paſſivo, ſive ſuſceptione Sacramentorum*, id eſt, extra neceſſitatem: Quia materia hujus prohibitionis gravis eſt, eſt mortale ſuſcipere Sacramenta.

Adminiſtrare Sacramentum in minori Excommunicatione eſt veniale propter irreverentiam.

NB. Epiſcopus in minori Excommunicatione conſtitutus peccat venialiter, ſi ordinet; mortaliter vero propter Communionem, quam ſuſcipit.

NB. Abſolutio a Cenſura non eſt Sacramentalis: hinc ante Confeſſionem poteſt conferri.

5 In minori Excommunicatione exiſtens non poteſt eligi ad beneficium, aut illi conferri, quia eſt res gravis; tamen valida eſt electio, ſed poteſt irritari, ſi ſciverit, excommunicatum ſe eſſe.

6 Simplex ſacerdos non poteſt abſolvere a minore Excommunicatione in foro externo; quia non habet juriſdictionem in foro externo.

CAPUT IV.

Quinam excommunicati ſint vitandi?

1 NUlli excommunicati vitandi ſunt, niſi nominatim, & publice denuntiati, vel notorii percuſſores Clericorum notitia facti, idque ob conſuetudinem, & ſtatutum Concilii Conſtantienſis: *Ad evitanda, &c.*

2 NB. A pœna juris non appellatur, ſed a ſententia Judicis declarantis, incidiſſe aliquem in pœnam juris.

NB. Clericus vitandus non eſt, ſi ſit dubium Juris

ris (quia percuſſor ſe defendere poteſt aliqua probabilitatis ratione, quod non ſit excommunicatus, eo quod ex vehementi paſſione iræ percuſſerit) propter verba Concilii: *Aut aliquo juris ſuffragio excuſari poſſit*. Secus eſt, ſi percuſſio notorie facta ſit; ut nulla tergiverſatione celari poſſit.

Qui in uno loco ob Excommunicationem denuntiatus eſt, alibi, ubi ejus Excommunicatio ignota eſt, vitandus eſt occulte, non publice. Ratio: Quia a lege antiqua recedendum non eſt, niſi quatenus in lege nova exprimitur.

3 Cum igitur in Conſtantienſi Extravagante nihil decretum ſit circa modum excommunicatum vitandi, publice, an occulte; ſed ſolum circa qualitatem excommunicatorum, utrum denuntiati ſint, nec ne; ideo ſtandum eſt jure antiquo. Sed Clerici percuſſor in loco, ubi id ignotum eſt, nec in occulto vitari debet. Ratio: Quia ſententia denuntiatoria Judicis, ſicut & Excommunicatio, afficit perſonam, quæ proinde illam ſecum fert, quocunque vadat, accedente etiam juris communis diſpoſitione. At vero publica notitia facti, ſeu criminis commiſſi circumſcripta eſt loco; ponimus enim alibi crimen occultum eſſe.

4 Fideles, ſi velint, abſtinere poſſunt à communicatione excommunicati non vitandi, ſi Excommunicatio publice nota ſit: Quare licitum eſt Judici, aut parti litiganti exceptione repellare Actorem, Advocatum, teſtem excommunicatum; item Regularibus, & Clericis recuſare imperium Epiſcopi, Abbatis excommunicati; nec cogi poſſunt ſubditi, ut a Parocho excommunicato Sacramenta ſuſcipiant, ejus Miſſæ interſint. Ratio: Quia Concilium Conſtantienſe non ipſis excommunicatis, ſed ſolum reliquis fidelibus favorem, & gratiam conſerre voluit. *Quod* autem *ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*. reg. 61. in 6. Et: *Nemo beneficio invitus uti cogitur*. Excipe conſuetudinem Germaniæ contrahendi cum hæreticis.

5 Communis eſt doctrina, quod fideles peccent, ſi ſine ulla cauſa neceſſitatis excommunicatum emendatum inducant ad ſacrificandum, vel Sacramenta miniſtranda, ſi alius miniſter facile haberi poſſit; quia indecens eſſet, cum ſacrificium Miſſæ offerre pro Eccleſia, a qua præciſus eſt: Quare excommunicatus id præſtare non poteſt ſine cauſa, conſequenter nec fideles ab eo petere. Contrarium tamen eſt probabile, propterea quod Concilium Conſtantienſe fidelibus abſolute conceſſerit facultatem communicandi cum talibus tam in ſacris, quam politicis rebus; conſequenter neque ipſos excommunicatos præciſe ob Cenſuram peccare, ſi rogati Sacramenta miniſtrent, modo ſe non ingerant.

6 Etſi ipſi excommunicati tolerati ſe ingerere non debeant communioni fidelium, præſertim in ſacris, tamen licite requiſiti, aut rogati parere poſſunt; ut ſi Parochiani a Parocho adminiſtrationem Sacramenti exigans, ne gratia fidelibus facta cum excommunicato tolerato communicandi inutilis ſit.

7 Excommunicatus non vitandus valide abſolvit a peccatis, & exercet actus juriſdictionis voluntariæ (ne fruſtranea ſit conceſſio Concilii Conſtantienſis) non item coactivæ. Ratio: Quia in Extravagante Conſtantienſi nullum jus, favor, aut licentia data eſt excommunicatis, niſi quatenus cedit in gratiam reliquorum Fidelium: Ergo actus juriſdictionis coactivæ Judicis excommunicati non minus inefficaces, & irriti ſunt nunc, quam olim fuerunt.

NB. Ad bonum publicum pertinet, ſi impedimentum ejus, qui publicum officium gerit, occultum ſit, ut ejus acta valeant; non item, ſi impedimentum notorium exiſtat.

8 Probabile eſt, quod liceat hodie publice orare, ſacrificare pro excommunicatis toleratis (non pro percuſſoribus Clerici) etiam hæreticis, modo horum nomina in Miſſa non exprimantur contra Eccleſiæ morem, aut cum ſcandalo. Ratio: Quia Concilium Conſtantienſe ſolum loquitur de non toleratis, & denuntiatis.

NB. Judicis excommunicati tolerati juriſdictio manet.

Excommunicatis toleratis præciſe ob Cenſuram ſacra ſepultura negari non debet. Ratio: Quia ſacræ ſepulturæ eadem eſt ratio, quæ divinorum officiorum, ac ſuffragiorum.

NB. Hæreticus, ſi ſigna contritionis, & converſionis edidit, loco ſacro ſepeliendus eſt, tamen cum conſilio Epiſcopi ob ſcandalum.

NB. Conſuetudo ſepeliendi hæreticos in loco ſacro in Germania toleratur, etiam comitatu Catholicorum amicorum ad funus. Ratio: Quia talis comitatus cognationis, aut neceſſitudinis cauſa præſtitus potius ad politicam communicationem pertinet.

C A P U T V.

De Excommunicationibus Juris, & ob Clerici percuſſionem.

1 AB Excommunicatione juris non reſervata quivis expoſitus ſacerdos tacita commiſſione authoris abſolvere poteſt, juxta Caput Nuper. *Quia conditor Canonis ejus abſolutionem ſpecialiter ſibi non retinuit, eo ipſa conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi*.

2 Caſus Bullæ Cœnæ Domini (ſic dictæ, quia quotannis in Cœna Domini renovari ſolet) ſpecialiter Summo Pontifici reſervantur, ſunt latæ ſententiæ, & exſpirarent mortuo Summo Pontifice, niſi, ut nunc fieri ſolet, ſpecialiter caveretur, proceſſus Bullares robur ſuum obtinere etiam vacante Sede uſque ad tempus, quo a futuro Pontifice denuo edantur.

NB. Epiſcopi quidam in partibus Septentrionalibus ob caſuum frequentiam, & difficultatem adeundi Romam per ſe, vel Vicarium ſuum abſolvere conſueverunt ſubditos ſuos ab hæreſi manifeſta. Et Becanus ait: *Bullam Cœnæ Domini in multis Germaniæ Provinciis non eſſe uſu receptam*.

NB. Licet generatim concedatur poteſtas abſolvendi a Cenſuris Bullæ, tamen non cenſetur comprehenſa abſolutio ab hæreſi, niſi ſpeciatim explicetur. Nam *in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*. reg. 81. in 6. Cenſuræ autem Bullæ, & inter eas Excommunicatio ob hæreſim peculiarem reſervationem habere ſolent; ſicut praxis, & ſtylus Curiæ oſtendunt.

3 Excommunicationem Canonis: *Si quis ſuadente diabolo*, &c. incurrunt omnes, qui Clericum; quamvis prima tonſura initiatum, percuſſerint, niſi quod quibuſdam in caſibus Clerici privilegio Canonis privati ſint; ut bigami, qui cum altera vidua contraxerunt, aut cum ab altero corrupta.

Nomine Clericorum intelligit etiam conjugatos, ſi habitum, & tonſuram geſtent alicui Eccleſiæ miniſtrantes ex mandato Epiſcopi; ſecus, ſi abſtineant ab habitu, & ter moniti non abſtineant à negotiis ſæcularibus.

NB. Clericus occultus, ſi ſine habitu in enormi crimine a ſæculari Judice deprehenſus eſt, allegando, ſe Clericum, petere poteſt ſe remitti ad Judicem Eccleſiaſticum, & audiendus eſt.

Laici non poſſunt capere Clericos incorrigibiles, niſi mandato Prælatorum. Quod ſi Clericus in Sacris in iniquo bello militet, non amittit privilegium fori; quia privilegium fori non amittitur, niſi per ſententiam degradationis realem, aut fictam, quæ in abſentem a Judice ferri ſolet.

Clerici; ſi officium cauponis, aut lanionis exerceant, & poſt tres monitiones Epiſcopi *non* deſtiterint, ſique conjugati habitum dimiſerint, privantur omni privilegio. Si autem conjugati non ſint, & habitum retineant, gaudent quidem privilegio fori, & Canonis; ſed tunc non gaudent liberatione a vectigalibus.

4 Omnes Religioſi utriuſque ſexus, eorumque Converſi, ac Converſæ Canonis privilegio gaudent: Etiam Tertiarii, Eremitæ, ſi vigore voti, aut alia obligatione Eccleſiæ, vel Ordini alicui addicti; quia eſt res favorabilis.

5 (*Suadente diabolo*) ad Excommunicationem Canonis incurrendam requiritur injuria gravis mortalis, cum violentia illata Clerico: Nec ſufficit intentio percutiendi; quia verba legis pœnalis intelligenda ſunt cum effectu.

NB. Si intentio non ſit mortalis, licet percuſſio ſit gravis, non incurritur Excommunicatio, quia non eſſet mortale peccatum.

NB. (*Manus violentas*) Significatur quævis injurioſa exterior; ac corporalis actio circa perſonam, vel res ei adhærentes, V. C. percutere, vulnerare, violenter in carcere detinere, eripere aliquid per vim (non vero occulte marſupium abſcindere) perſequi, ut incidat in foſſam, injicere manus violentas in equum, cui inſidet. Et: *Si quis pulſatus quidem non eſt; verum manus adverſus eum levatæ, & ſæpe territus quaſi vapulaturus, non tamen percuſſit; utili injuriarum actione tenetur*.

Item, ſi Clericus ex malitia ſe ipſum vulneret, aut conſentiat, etiam Excommunicationem incurrit: Quia Canon iſte non tam in favorem Clerici, quam in favorem Ordinis Clericalis promulgatus eſt.

6 Et-

6 Etiam Excommunicatio iſta ſpeciali Conſtitutione extenditur ad mandantem, conſolentem, vel non impedientem, ſi ex officio impedire debeat, imo ratihabentem, & omnes ejuſmodi concauſas, &c.

7 Qui mandatum Clericum verberandi, occidendi, ante operis executionem revocavit, immunis eſt a pœna Excommunicationis, & irregularitate; licet mandatum nihilominus mandatarius exequatur. Suaſor tamen, etſi revocet, tenetur ex naturali obligatione ad damni reſtitutionem in defectum principalis. Contrarium tamen eſt probabile.

8 Certi caſus ſunt, quibus Clericum percutiens Canonis Cenſuram evitat. 1. Ignorantia. In dubio allegans ignorantiam ad juramentum cogendus eſt. 2. Imperfectio actus ob ſubitam paſſionem. V. C. Si pueri in templo ſe etiam ad ſanguinem percutiant, non excommunicantur.

NB. Si quis me injuriet, putans me eſſe Lucium, cum ſim Cajus, injuriarum mihi actio contra illum competit. 3. Qui in defenſionem ſui, vel alieni corporis, famæ, bonorum, pudicitiæ, Clericum aggreſſorem detinet, vel percutit, Excommunicationem non incurrit. Unde mulier pudicitiam contra Clericum non potens alio modo ſervare, quam verberibus, non incurrit Excommunicationem, ſervato tamen modo defenſionis. Etiam non incurrit, qui Clericum inventum cum uxore, ſorore, &c. quia juſtum talem dolorem compeſcere difficillimum eſt. Non vero, ſi temporis intervallum interjectum ſit, quo dolor juſtus ſedari potuit. Etiam non locum habet, ſi quis Clericum cum nepte deprehendat, ſed ſolum in primo gradu conſanguinitatis.

NB. Si Clericus injuriam inferens, vel in flagranti crimine deprehenſus de fuga ſuſpectus ſit, poterit interim a laico capi, ut Judici Eccleſiaſtico præſentetur.

9 Patri laico non videtur permiſſum, caſtigare Clericum in Majoribus propter indecentiam, & *quia ſacer Ordo liberat a patria poteſtate*. Intellige, ſolum quoad effectum caſtigationis: In Minoribus tamen poteſt caſtigare filios.

NB. Magiſter laicus, ſi graviter percutiat Clericum, incurrit Excommunicationem: Facilius tamen excuſantur pater, & Præceptor, eo quod jus habeant coërctionis.

NB. Abbas per ſe ipſum debet percutere Monachum regularis diſciplinæ cauſa, & non per alium, vel, ſi neceſſitas poſtulet, per Clericum Monachum. Alia ratio eſt de Epiſcopo, a cujus dignitate alienum eſt, Clericum percutere. In Gallia tamen Clerici delinquentes ex mandato Epiſcopi verberantur. Præfectus navis verberans Clericum, ad triremes damnatum, non excommunicatur. Per conſuetudinem pueri ſtudioſi Clerici poſſunt etiam a laico Magiſtro caſtigari.

10 Ab Excommunicatione contracta ob levem Clerici percuſſionem Epiſcopi ordinario jure abſolvere poſſunt, ſed etſi gravis fuerit percuſſio, dummodo non enormis, in quibuſdam caſibus Epiſcopo, vel Prælato Ordinis communi jure abſolvendi poteſtas competit. Quod ſi Clerici ſe invicem percutiant, poſſunt abſolvi ab Epiſcopo, niſi facti atrocitas aliud exigat.

Regulares abſolvi poſſunt a Prælato, niſi enormis ſit percuſſio.

NB. Commendatarii Ordinis S. Joannis ſe invicem percutientes abſolvi poſſunt a Priore Conventus; ſecus, ſi enormis ſit.

NB. Omnes fere Regulares habent privilegia abſolvendi ſuos Religioſos etiam ab enormi percuſſione.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Hæc præ oculis ſemper habeat Confeſſarius eam communem doctrinam, qua dicitur ad incurrendam hanc cenſuram, ipſam actionem externam apparere debere graviter injurioſam. Hac ratione difficiliter inveniet, in eam incidiſſe pueros rixantes, vel etiamſi a naſo multum ſanguinis ob pugnos defluxerit; nam ſimiles rixæ non reputantur graviter externe injurioſæ, quamvis fierent ex odio lethali. Idem judicium faciendum eſt, dum injuria facta Clerico externe reputatur facta per jocum; ut ſi appareret ex joco luto, pulvere, vel etiam ſputo fuiſſe ſordidatum: quamvis ea vera hæc facta fuiſſent animo ipſum graviter injuriandi, & ad iracundiam provocandi.

II. E contra pro praxi advertere debet eam externam injuriam, quæ facta alteri perſonæ reputari poſſet levis, gravem reputari, ſi fiat Eccleſiaſtico. Si e. g. aliquis ex rixa aliquantulum dilaceret veſtem perſonæ plebejæ, non reputabitur ipſi gravem injuriam irrogaſſe, ſecus ſi fiat Eccleſiaſtico Sacerdoti. Ubi etiam notandum, eo facilius gravem reputari injuriam factam Eccleſiaſtico, quo dignior eſt in Eccleſia; ſicut offenſa, quæ alias levis reputaretur, ſi fiat perſonæ ex plebe, bene judicari poteſt gravis, ſi viro Notabili irrogetur, & eo gravior, quo nobilior eſt Perſona.

III. Quia licet Clericum percutere, ſi id neceſſarium ſit in propriam defenſionem, vel etiam ob defendendum honorem, & bona, Confeſſarius non facilis ſit ad judicandum cenſura innodatum illum, qui aliquatenus exceſſiſſet in percuſſione. Vel enim, ordinarie loquendo, exceſſus non erit gravis; vel, excæcante ira, Percutiens non agnovit graviter exceſſiſſe, dum alias licita ſe, ſuaque tueatur; & vel ex uno, vel ex altero capite excuſari poterit ab excommunicatione. Idem judicare poteſt de Superioribus, Magiſtris, Parentibus ad correctionem percutientibus Reum.

Difficilius poterit Confeſſarius excuſare illum, qui laceſſitus vel verbis, vel factis a Clerico, illum fugientem graviter percutiat; nam tunc non ſe defendit, ſed ulciſcitur. Unica poſſet eſſe ratio illum excuſandi, ſi nempe ita fuerit excæcatus, ut non agnoverit gravem injuriam, quam Clerico irrogavit.

IV. Animadvertat etiam Confeſſarius non habere locum excommunicationem reſpectu illius, qui Clericum nolentem ſua domo egredi, vi ab ea expelleret. Ita excuſandus ille, qui poſtquam monuit Clericum, ne ſuam domum ingrederetur, ubi nullum jus habet permanendi, ſi illum iterum redeuntem vi ejecit. Hæc omnia ad juſtam defenſionem reducuntur.

V. Dum Confeſſarius audit a Pœnitente graviter, vel etiam enormiter Clericum percuſſiſſe, non ſtatim deſpondeat animo, ac ipſi intimet a ſolo S. Pontifice abſolutionem poſſe obtinere. Videat ergo primo, an aliquis ſit ex illis, qui eximantur ab obligatione recurrendi ad Sedem Apoſtolicam, & tunc poterit expoſtulare ab Epiſcopo facultatem ipſum abſolvendi. Quod ſi non ſit aliquis ex ſupradictis, tunc interroget, an percuſſio fuerit occulta, quia tunc poteſt illum remittere ad Epiſcopum, vel Vicarium ab eo deputandum.

CAPUT VI.

De Abſolutione ab Excommunicatione.

1 PArochi poteſtatem abſolvendi ab Excommunicatione non habent ex officio, tanquam ordinariam, ut eam directe delegare poſſint; ſed ſolum indirecte, quatenus alicui ſacerdoti approbato committunt facultatem audiendi Confeſſiones. Epiſcopus autem poteſt ex officio cuilibet Clerico dare facultatem.

2 In mortis articulo quivis ſacerdos ab Excommunicatione, quantumcunque reſervata ſit, etiam extra Sacramentalem Confeſſionem abſolvere poteſt: Quia abſolutio ab Excommunicatione non dependet a Sacramentali. Parochi etiam id poſſunt extra mortis articulum, ſcilicet a non reſervatis.

NB. Inferioribus Clericis commiſſa non eſt poteſtas abſolvendi ab Excommunicatione in articulo mortis; quia, licet Eccleſia poſſit, tamen nullo jure, aut conſuetudine id oſtendi poteſt. Nam ſi nullus ſacerdos in extremis haberi poſſit, moriturus per contritionem a peccatis liberari, & poſt mortem ab Excommunicatione abſolvi poterit.

3 Caſus Papæ reſervatus ſuperveniente legitimo impedimento fit Epiſcopalis. V. C. Pueri excommunicati poſſunt abſolvi ab Epiſcopo, etiam puberes (*a*), mulieres, pauperes, ſenes, valetudinarii, membris capti, qui ad Sedem Apoſtolicam commode venire non poſſunt; item, qui ob publica officia impediti; item, qui non ſui juris ſunt.

„ (*a*) Intellige etiam ſi jam puberes petant abſolu-
„ tionem a cenſura in impubertate contracta.

4 Si impedimentum adeundi Papam temporale ſit, abſolutus, eo ceſſante, Apoſtolico conſpectui ſe præſentare debet, alioquin reincidit.

5 In articulo mortis ſacerdos expoſitus abſolvere poteſt a caſu Papali, licet Epiſcopus adiri poſſet: Excepto, ſi ſpecialis commiſſio facta Epiſcopis reperiatur, V. C. abſolvendi percuſſores Clericorum.

6 Probabile eſt, impeditum ire Romam abſolvi poſſe ab Epiſcopo, licet ad legatum Papæ ſe conferre poſſet. Ratio: Quia jura in ſignum ſpecialis reverentiæ requirunt, ut pro abſolutione Papa adeatur: Si ergo is aditi non poſſit, ceſſat reſervatio Papalis, & devolvitur caſus ad Ordinarium. Accedit, quod reſervatio Caſuum Papalium ſtrictæ interpretationis eſſe debeat; cum juri Epiſcopali deroget.

NB. Epiſcopi potuerunt præſcripſiſſe, maxime ii, qui a Roma remotiores ſunt, ut etiam poſſint abſolvere ab Excommunicatione, Clericorum percuſſione, hæreſi, etiam ſine onere illum mittendi Romam, ſi ſatisfaciat; nec opus eſt, ut Epiſcopi mittant ſuos excommunicatos ad Regulares mendicantes.

7 Ad eſſentiam abſolutionis ab excommunicatione pertinet, ut aliquo ſigno externo manifeſtetur. Conſueta verba ſunt: *Abſolvo te a vinculo Excommunicationis, quam incurriſti propter crimen*, V. C. *percuſſionis Clerici ſacrilegæ, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & fidelium communioni, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen*. In foro externo præmittitur Pſalmus 50. & poſt quemlibet Verſum humeri pœnitentis denudati leviter percutiuntur virga; niſi fœmina ſit. Poſt mortem ſimiliter hic modus ſervatur.

8 Ante abſolutionem ab Excommunicatione exigenda eſt ſatisfactio parti læſæ, vel cum cautione ſaltem juratoria, ſive alia, & juramentum parendi Eccleſiæ, ſi crimen commiſſum enorme ſit; ſi tamen hæc, uti debent, non exigantur a Reo, valet nihilominus abſolutio. Quod ſi poſt abſolutionem Reus non ſatisfaciat, non reincidet; quippe jure non expreſſum.

9 Abſolutio ab Excommunicatione, aliave Cenſura etiam abſenti dari poteſt. Nam Excommunicatio eſt pœna Eccleſiaſtica, quæ ſicuti abſenti infligi, ita ei remitti poteſt; Abſolutio autem Sacramentalis requirit præſentiam Rei. Abſolutio ab Excommunicatione etiam invito conferri poteſt: Quia eſt pœna. *(a)* Excipe: Niſi quis contumaciter perſeveret in crimine, V. C. hæreſi; nam talem nemo abſolvere poteſt, niſi auctor Canonis.

„ *(a)* Ex quo inferas non requiri acceptationem ex „ parte excomunicati; ideoque ſi per literas detur ab- „ ſolutio, & interim antequam literę perveniant ad ex- „ communicatum abſolvens Prælatus moriatur, abſolu- „ tio valebit.

NB. Abſolutio ab Excommunicatione non debet eſſe extorta per vim: nam requiritur libera intentio, ſive voluntas abſolvendi.

10 Excommunicatus ex alia cauſa iterum poteſt excommunicari, conſequenter etiam abſolvi ab una Excommunicatione, altera manente.

NB. Abſolutio generica, & indefinita allata a privilegiato confeſſario valida eſt (cujuſmodi abſolutio Sacramentali Abſolutioni ad cautelam præmitti ſolet) licet forte pœnitens per oblivionem non craſſam omittat confiteri peccata, quibus Cenſura annexa eſt, aut Confeſſarius neſciat, eſſe Excommunicationem iſti peccato annexam. Unde ſequitur, ſi poſtea pœnitens recordetur peccati Summo Pontifici reſervati, quod apud Confeſſarium dicta poteſtate præditum bona fide confiteri intermiſit, poſſe illud deinde cuivis expoſito confiteri; quippe cum Papalis reſervatio Cenſuræ ablata fuerit. Secus eſt dicendum, ſi peccata ſpecialiter ſint reſervata Epiſcopo; quia Epiſcopi non tantum Cenſuras, ſed etiam ipſamet peccata ſecundum ſe abſolutioni ſuæ reſervare, & Parochis, eorumque Cooperatoribus denegare ſolent.

P A R S III.

De Suſpenſione.

C A P U T I.

Quid, & quotuplex ſit Suſpenſio.

1 Suſpenſio eſt *Cenſura, per quam perſona Eccleſiaſtica impeditur jure, ſeu poteſtate Eccleſiaſtica uti.*

2 Suſpenſio vel eſt totalis (quæ ſimul eſt ab officio, & beneficio) vel eſt partialis (quæ eſt ab Ordine tantum, aut aliquo actu Ordinis, V. C. a celebratione, vel a jurisdictione tantum, vel a diſtributionibus percipiendis vel a voce ſuffragii, vel a collatione beneficii.)

NB. Totalis Suſpenſio a beneficio eſt, per quam quis ab adminiſtratione, & fructuum perceptione ſuſpenditur. Totalis ab officio eſt Suſpenſio ab omni ſpirituali officio Ordinis, & jurisdictionis: Poteſt tamen taliter ſuſpenſus miniſtrare Sacro, cum aliis orare, in neceſſitate baptizare, mortuos ſepelire.

3 Suſpenſus ab officio non ideo etiam a beneficio ſuſpenſus eſt, neque vice verſa: Quia ſunt diverſæ pœnæ; ideo poteſt una ſine altera executioni mandari. Quod ſi ſuſpenſio ab officio ob delictum grave perpetuo duratura ſit, Beneficiatus beneficio privari debet.

NB. Suſpenſo ab officio totaliter illicite confertur beneficium. Cum enim beneficium detur propter officium, non recte confertur ei, qui officium præſtare non poteſt. Tamen non eſſe irritam collationem, ſed infirmandam, putat Abbas.

4 Suſpenſus a beneficio, non ideo etiam ab officio ſuſpenſus eſt: Quare poteſt, & debet etiam officio ſuo ſatisfacere.

NB Suſpenſus a beneficio intelligitur tantum a perceptione fructuum, ac temporali adminiſtratione beneficii. Quod ſi ſe ingerat adminiſtrationi beneficii interdicti, ipſo jure privatur.

Suſpenſus a beneficio non poteſt fructus percipere, niſi quatenus indiget; modo tamen officium per ſe, vel per alium præſtet.

NB. Suſpenſus a beneficio non propterea amittit jus eligendi, aut conferendi, quod ratione beneficii competit: Quia collatio, & electio non proprie numerantur inter beneficii fructus, quorum perceptio ſuſpenſo interdicta eſt, cum potius ſint actus officii, & quaſi jurisdictionis ratione beneficii competentis. Unde Canonis auctor, cum ab utroque tam beneficio, quam jure eligendi ſuſpendere vult, idipſum exprimit. Si ergo in Canone non exprimatur, non eſt, cur extenſionem faciamus in materia pœnali.

5 Suſpenſus ab Ordine exercere poteſt actus jurisdictionis, qui Ordinis actualem uſum non requirunt, & vice verſa. Quare Epiſcopus ſuſpenſus ab Ordine, licet Confeſſionem audire non poſſit, alteri tamen abſolvendi poteſtatem dare poteſt. Suſpenſus a jurisdictione exercere poteſt actus Ordinis, quæ ſine jurisdictione ſunt, cujuſmodi eſt ſacrificare, &c. At vero actus Ordinis, ad quorum ſubſtantiam requiritur jurisdictio; uti eſt Abſolutio a peccatis, ne valide quidem exercere poteſt: Sed neque eos actus Ordinis, aut ſacra officia, quæ ſine jurisdictione licite non fiunt, ſuſpenſus a jurisdictione exercere debet. Quare peccat Parochus, ſi Sacramenta miniſtret ovibus ſuis, ut Paſtor ordinarius; & Epiſcopus, ſi ſubditis ſuis Ordines conferat.

6 Suſpenſio ab Ordine Epiſcopali non includit Suſpenſionem ab Ordinibus ſacerdotalibus exercendis.

NB. *Suſpenſus ab Ordine inferiore* (V. C. Epiſcopus ſacerdotalis) *cenſetur etiam ſuſpenſus a ſuperiore; non vice verſa: Nam, cui non licet, quod minus eſt, non debet licere, quod majus eſt.*

NB. Preſbyter ſuſpenſus ab officio Diaconi, a ſacrificando etiam ſuſpenſus cenſetur, poteſt tamen Confeſſiones audire, baptizare, licet non decenter; tamen, ut irregularitatem non contrahat.

NB. Epiſcopus ſuſpenſus a collatione Ordinum minorum poteſt tamen conferre majores; quia horum collatio non eſt neceſſario connexa.

7 Cenſura ligatus in uno loco ubique ligatus manet; afficit enim Cenſura perſonam, ideo comitatur eam extra territorium ferentis.

NB. Ex vi Cenſuræ Suſpenſionis non tenentur fideles vitare ſuſpenſum etiam denuntiatum; cum id nullo jure cautum ſit: Quamvis lex charitatis poſtulet, ut Clericum ab officio ſuſpenſum non inducam, V. C. ad celebrandum, quando is ſine peccato celebrare non poteſt. Sin vero juſta cauſa adſit a ſuſpenſo non denuntiato ſacrificium petendi, tunc is licite parere poteſt.

C A P U T II.

Quis poſſit Cenſuram Suſpenſionis ferre?

1 Qui poſſunt excommunicare, poſſunt etiam ſuſpendere; ac vice verſa.

2 Omnes Clerici poſſunt ſuſpendi præter Papam. Suſpenſionis ſententia non comprehenduntur Epiſcopi ob dignitatem ex ſpeciali privilegio, etiam electi, & needum confirmati, & Cardinales. Nam privilegia a Principe conceſſa, ſi nemini ſint præjudicantia, ample interpretari convenit.

3 Non tantum ſingulares perſonæ, ſed etiam Communitas (Capitulum) Suſpenſione ligari poteſt; idque dupliciter, collective, & diſtributive ſingulos comprehendens. Qui duo modi interdum conjunguntur.

NB. Suſpenſio lata in Capitulum, ſi nihil aliud exprimatur, neque ex adjunctis colligatur, extendi non debet ad perſonas particulares: Quia vox Capituli collectionem ſignificat, non perſonas ſingulas.

C. A P U T III.

Ob quam cauſam Suſpenſio ferri poſſit?

1 Cenſura Suſpenſionis non incurritur ſine propria culpa. Ratio: Quia Suſpenſio eſt pœna.

2 Plerumque requirit culpam mortalem: Quia pœna debet eſſe commenſurata culpæ; Suſpenſiones autem ſunt pœnæ graves. Interim etiam ob levem culpam levis Suſpenſio imponitur, puta, a curandis diſtributionibus.

3 Suſpenſio interdum fertur ob culpam mere præteritam, varie. 1. In perpetuum, & habet vim depoſitionis. 2. Ad tres annos, quibus finitis exſpirat Suſpenſio, 3. Donec Reus ſatisfecerit: Præſtita ſatisfactione expirat Suſpenſio. 4. Ad beneplacitum Superioris; mortuo tamen Superiore ceſſat. Non ſunt tamen hæ proprie dictæ Cenſuræ, unde nec per abſolutionem tolluntur, ſed variis modis. Alia igitur eſt proprie Cenſura Suſpenſionis, quæ Judicis admonitionem, & contumaciam Rei requirit; & illa depoſita contumacia indiget abſolutione.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quibus modis Suſpenſio tollitur?

1 SUſpenſio lata ad certum tempus, eo elapſo, per ſe ceſſat.

2 Suſpenſio, quæ proprie Cenſora eſt, ob contumaciam lata, abſolutione indiget.

NB. Parochi communi jure a Suſpenſionibus abſolvere non poſſunt.

3 Suſpenſio, quæ propter peccatum præteritum ut pura pœna impoſita eſt, vel in perpetuum, vel ad certum tempus, ſi relaxanda ſit, remedio diſpenſationis indiget, quam inferior Prælatus jure proprio facere non poteſt. Ratio: Quia ſicut legem Superioris, ita & annexam ei pœnam inferior ſolvere non poteſt.

4 Qui tamen privilegium, vel generalem commiſſionem habent abſolvendi a Suſpenſionibus, etiam eas tollere poſſunt.

NB. Jure novo Tridentino omnes Epiſcopi poſſunt abſolvere a Suſpenſione etiam Papæ reſervata, dummodo proveniat ex delicto occulto, non deducto ad forum contentioſum.

NB. Forma Abſolutionis a Suſpenſione eſt: *Abſolvo te a vinculo Suſpenſionis, quod incurriſti propter tale crimen, & reſtituo te ad executionem muneris tui, Ordinis, vel ad beneficium tuum.*

NB. Ante abſolutionem ſatisfactio, & cautio ſaltem juratoria, ſi non pignoratoria, aut fidejuſſoria, præſtanda eſt.

Regula in praxi obſervanda.

Dum Confeſſarius audit Perſonam Eccleſiaſticam ſuſpenſionem in ſe latam non obſervaſſe, non ſtatim illum judicet in irregularitatem incidiſſe, ex illa regula quod non ſervans cenſuras ſit irregularis. Videat ergo ex dictis, an ſuſpenſio lata ſit per modum cenſuræ, vel per modum pœnæ, & ſi lata ſit per modum pœnæ, poterit illum ab irregularitate excuſare, cum id ſit probabile; & eo maxime, quia odia ſunt reſtringenda.

CAPUT V.

De Depoſitione, ac Degradatione.

1 DEpoſitio eſt perpetua, & irremiſſibilis Eccleſiaſticæ perſonæ ob enorme crimen remotio ab Ordine, juriſdictione, ac beneficio.

2 Depoſitio differt a Suſpenſione perpetua, quod Suſpenſio, licet privet fructibus beneficii, tamen non titulo radicali. Sicut ſuſpenſi Clerici propter furtum, homicidium, perjurium, adulterium, ſtuprum violentum, inceſtum, & ſodomiam notoriam (NB. ſemper repetitam) ipſo jure privantur beneficiis; tamen requiritur ſententia Judicis.

3 Per ſimplicem, ſeu abſolutam Depoſitionem non auferuntur privilegia fori, & Canonis, ſicut per Degradationem. Unde & Clerici depoſiti alendi ſunt ab Eccleſia, ne cum opprobrio Cleri cogantur mendicare, niſi in crimine contumaciter perſiſtant. Quod ſi Clericus in contumacia incorrigibilis perſeveret, eſt per ſæcularem poteſtatem comprimendus, in exilium mittendus. Requiritur tamen traditio actualis a Prælato.

NB. Notorius concubinarius, ſi poſt monitionem continuet, dat ſufficientem cauſam ad Depoſitionem.

4 Degradatus dicitur quaſi ex gradu ejectus.

Degradatio (quæ eſt pœna Eccleſiaſtica, qua Clericus, ab omni officio, ac beneficio Eccleſiaſtico depoſitus, Clericorum inſuper privilegiis per ſolemnem ſententiam in perpetuum exuitur, recidens ſub juriſdictionem brachii ſæcularis; in quo differt a Depoſitione, quippe per quam privilegia fori, & Canonis non auferuntur) alia eſt verbalis, ſine cæremoniis; alia realis, ſive ſolemnis.

NB. Degradatio verbalis requirit proprium Epiſcopum, ſex Abbates juxta Tridentinum, aut ſi haberi non poſſunt, ſex alios Prælatos Eccleſiæ in condemnationem Presbyteri, tres in condemnationem Diaconi, vel Subdiaconi. Ad Degradationem autem in Minoribus ſufficit ſola authoritas Epiſcopi cum Clericis quibuſdam Capitulum repræſentantibus.

Facta Degradatione verbali venitur ad realem adhibitis cæremoniis, & criminoſum indutum veſtibus ſacerdotalibus ſpoliando.

5 Diſcrimen eſt inter has duas Degradationes, quod realis ab Epiſcopo conſecrato, verbalis etiam a Generali Vicario per commiſſionem fit. Quia ad eam non requiritur poteſtas Ordinis, ſicut ad realem, ſed ſolius juriſdictionis.

NB Realis Degradatio debet fieri coram Judice ſæculari, cui denuntiatur, ut reum in ſuam juriſdictionem recipiat, cum interceſſione tamen, *ut Judex ſententiam citra mortis periculum velit moderari*, ne Eccleſia hominis necem procurare cenſeatur.

6 Crimen, ob quod Clericus degradatur, & ſæculari Judici traditur, debet eſſe graviſſimum. 1. Crimen hæreſis, ſi reus pertinaciter in eo perſeveret. 2. Falſatio litterarum Papalium. 3. Sodomia frequentata. 4. Calumnia proprio Epiſcopo irrogata, ſi incorrigibilitas acceſſerit. Denique ob crimen homicidii repetitum, & crimen enorme, & Reipublicæ pernicioſum, V. C. parricidium, magiam.

PARS IV.

De Interdicto.

CAPUT I.

Quid ſit Interdictum.

1 INterdictum eſt Cenſura, privans participatione Sacramentorum, divinorum officiorum, & Eccleſiaſtica ſepultura. Materialiter, quod ſit pœna, convenit cum omnibus Cenſuris. Formaliter autem diſtinguitur: Nam Excommunicatio privat divinis officiis, Sacramentis, &c. quatenus continent ſacram communicationem cum fidelibus: Suſpenſio privat ſpiritualibus bonis, quatenus provenſunt ex poteſtate Clericali, quæ per Cenſuram impedita eſt: at vero Interdictum privat dictis ſpiritualibus bonis, quatenus habent rationem diſpenſationis, ac participationis, quam Eccleſia juſtis de cauſis per Interdictum ſubtrahit.

2 Interdictum dividitur in locale, immediate afficiens locum, prohibendo, ne in eo ſacræ illæ functiones fiant. Perſonale, quod immediate afficit perſonas, prohibendo eis participationem ſacrarum illarum functionum. Locale interdictum ſubdividitur in generale, Regni, provinciæ: Quod etiam conſtringit innocentes, niſi ſpecialiter excipiantur. Et particulare, per quod interdicitur certus locus ſacer, Parochia, Eccleſia. Excipiuntur tamen Oratoria privata.

3 Interdictum locale gravius eſt, quam perſonale. Quia in Interdicto locali virtualiter includitur etiam perſonale; ſed non vice verſa.

NB. Communitate interdicta poſſunt Clerici celebrare publice, campanas pulſare, niſi timeatur tumultus in populo.

NB. Innocentes proprie non puniuntur, ſed ſolum per accidens, quia ſunt in loco interdicto. Quod ſi inde tranſeant, ceſſat omne impedimentum, etiam mutando domicilium.

4 Alia eſt diviſio Interdicti in totale, & partiale. Totale habet omnes effectus Interdicti: Partiale ſolum prohibet ingreſſum in Eccleſiam.

NB. Qui in tali partiali Interdicto moritur ſine pœnitentia, non eſt in loco ſacro ſepeliendus.

NB. *Cui interdicta eſt Eccleſia, etiam Sacramenta Eccleſiæ interdicta eſſe cenſentur.* Extra Eccleſiam tamen poteſt accipere Sacramenta.

NB. Clericus Interdictum violans, exercendo actum Ordinis intra Eccleſiam, fit irregularis.

Exempla interdicti habes apud Innocentium I Epiſt. contra Arcadium ratione Eudoxiæ uxoris in cauſa S. Joannis Chryſoſtomi. Et apud S. Ambroſium, Imperatori Theodoſio ob Theſſalonicenſium cædem Eccleſiæ ingreſſum interdicentem.

CAPUT II.

De effectibus Interdicti.

1 TRes ſunt effectus Interdicti totalis. 1 Uſus activus, & paſſivus Sacramentorum prohibitus eſt. Excepe Baptiſmum, Confirmationem, & omnes fideles etiam Clerici, poſſunt intereſſe adminiſtrationi hujus Sacramenti. 2. Sacramentum Pœnitentiæ omnibus adminiſtrari poteſt; ſed non interdictis, (a) niſi ſatisfecerint, vel ſatisfaciendo cauſam pignoratitiam, fidejuſſoriam, vel ſaltem juratoriam præſtiterint. 3. Euchariſtia per modum Viatici morituris. Et propter hoc ſemel in ſeptimana per Miſſam renovari poteſt.

„ (a) Ideſt iis, quorum culpa ſententia interdicti „ lata eſt, vel conſilium, aut auxilium ad delictum „ perpetrandum datum ſit, niſi ſatisfecerint &c.

NB.

NB. Religioſi, ac Moniales habent licentiam extra mortis articulum communicandi in loco interdicto (a).

„ (a) Januis tamen clauſis, & ſummiſſa voce, ut „ cautum eſt in cap. *alma mater*.

NB. Parochus interdictus non poreſt per ſe Sacramenra miniſtrare, ſi alius ſacerdos innocens haberi poſſet, cui vices ſuas deleget; cum enim per Cenſuram Interdicti juriſdictione privatus non ſit, utique delegandi ſacultatem habet.

NB. Extrema unctio tempore Interdicti non poteſt porrigi, niſi peſte inſecto, ſi non poſſit communicare.

Nec Sacramentum Ordinis, niſi in caſu neceſſitatis, aut penuriæ miniſtrorum; quia expreſſum non eſt.

Matrimonium poteſt celebrari: Quia non dependet ab adminiſtratione, aut diſpenſatione Eccleſiæ: Sed cum excommunicato non licet contrahere matrimonium; quia Excommunicatio privat commuoione fidelium.

2 Secundus effectus Interdicti eſt. Quod Celebratio, auditio divinorum officiotum prohibentur, Miſſæ, & Horarum, publice Sacramentalia, Benedictiones ſolemnes.

NB. Limitata eſt hæc prohibitio, ut ſingulis diebus licet divina officia celebrare, ſed ſubmiſſa voce ſine tintinnabulis ſub elevatione, interdictis tamen excluſis. Intellige tamen hæc de Interdicto generali; nam in ſpeciali alicujus Eccleſiæ non licet ſacra officia dicto modo celebrare.

Infantes non poſſunt, interdici: Item ſi ſacerdos non poſſit habere allum miniſtrantem, poteſt accipere interdictum.

In privatis Oratoriis etiam poteſt celebrari, licet Eccleſiæ ſint interdictæ.

NB. Si interdicti ſint præſentes, ante Canonem debenr expelli, aut diſcedendum eſt ſacerdoti.

Clerici beneficiati, & Monachi poſſunt, imo tenentur in loco interdicto ſubmiſſe cantare Horas, ſi ipſi non ſint interdicti.

NB. In 4. Feſtivitatibus ceſſat Interdictum a primis Veſperis ad ſecundas incluſive, & ejectis interdictis omnia poſſunt ſolemniter peragi. Excipe Sacramenta extremæ Unctionis, & Ordinationis, niſi in neceſſitate, ſi in Provincia peſtis tempore non eſſent ſacerdotes ad renovandam Euchariſtiam pro moritoris.

3 Tertius effectus Interdicti. In loco interdicto nulli fideles ſepeliri poſſunt, etiam ne quidem infantes, & amentes; cum ea æque ut adultorum corpora hujus privationis capaces eſſe poſſint.

NB. Innocentes non interdicti poſſunt in alio loco non interdicto ſepeliri. Quod ſi fuerint ſepulti in loco interdicto, non debenr exhumari: Perſonaliter tamen interdicti, ſi ſepulti ſint, debent exhumari.

4 Perſonaliter non interdicti poſſunr in loco interdicto ſepeliri ex privilegio, ſed ſine pulſu campanarum. Si tamen ad alium locum non interdictum poſſint deſerri, non debent in loco interdicto ſepeliri.

NB. Interdicti perſonales non denuntiati poſſont ſepeliri in loco non interdicto: Nam, quibus vivis communicamus, etiam mortuis communicare poſſumus.

CAPUT III.

De violatione Interdicti.

1 CLericus violans Interdictum perſonale peccat mortaliter; quia ad eos maxime pertinet, eſtque materia gravis. Quod fit, ſi celebrent, aut interſint Sacro perſonaliter interdicti. Aut locale: Quod fit, ſi ſolemniter non interdicti celebrent, aut alios jubeant.

2 Laici perſonaliter, & localiter interdicti peccant mortaliter, ſi fraudulenter ſe ingerant ad audienda divina officia. Secus, ſi non perſonaliter interdicti ſint; tunc enim ſolum venialiter.

3 Pœnæ Clericorum, ſi violent, ſunt. 1. Privantur ſepulturæ privilegio. 2. Sunr ineligibiles. 3. Incurrunt Suſpenſionem ab officiis, & juriſdictione. 4. Religioſi omnes excommunicantur, ſi advertentes Eccleſiam Parochialem loci interdictum ſervare ipſi non ſervent. 5. Qui excommunicatum, aut interdictum denuntiatum in loco ſacro, vel interdicto ſepeliont contra juris permiſſionem, ipſo jure incurrunt Excommunicationem. 6. Dominus temporalis cogens Clericum, ut in loco interdicto ſolemniter celebret, & omnes alii interdicti, ſi juſſi exire non exeant, incurrunt Excommunicationem Papæ reſervatam. Clem. 2. de ſententia Excommunicationis,

P. Layman P. I.

CAPUT IV.

Quis poſſit interdicere?

1 QUi excommunicare, iidem etiam poſſunt interdicere, & imponere interdictum perſonale, aut locale in perſonas, vel locum juriſdictioni ſuæ ſubjectum.

2 Interdicens non interdicitur: Quia nemo a ſe ipſo per ſe vinculo Cenſuræ, quia pœnale eſt, obligari poteſt, niſi in interdicto locali, quod indirecte afficit perſonas.

3 Clero interdicto, plebs non cenſetur interdicta, neque vice verſa; quia in ſententia pœnali mitior ſenſus præferri debet, populo a Clero diſtincto.

Clericis interdictis Religioſi interdicti non ſunt, quia eſt materia odioſa; tamen quoad locale comprehenduntur.

4 Ut interdictum totale feratur in certam perſonam, requiritur mortale; quia eſt pœna gravis. Partiale fertur ob veniale; nam locale gravius peccatum requirit, quam Excommunicatio. Ob debitum pecuniarium nulla Communitas debet interdici.

CAPUT V.

Quomodo Interdictum tollatur?

1 INterdictum, ſi ob contumaciam latum ſit, debet abſolvi; alia interdicta ceſſant, ſublata conditione.

2 Interdicta jure communi impoſita poſſunt tolli per Epiſcopum.

NB. Interdictum per ſe ceſſat elapſo tempore, vel conditione.

3 Interdictum perſonale non reſervatum poteſt abſolvi a Parocho.

Interdictum poteſt interrumpi; ſed non Excommunicatio.

NB. Ab omni interdicto juris perſonali, ac ſpeciali abſolutio dari poteſt per privilegium, quo conceditur poteſtas abſolvendi ab omnibus Cenſuris juris.

4 Licet Eccleſia diruta ſit, tamen locale interdictum non tollitur; ſecus eſt in Communitate.

CAPUT VI.

De Ceſſatione a divinis;

1 CEſſatio a divinis non eſt Cenſura, ſed eſt Eccleſiaſtica prohibitio, ob quam Clerici ceſſare debent in certo aliquo loco a divinis officiis, & Sacramentorum adminiſtratione, niſi quatenus eam neceſſitas poſtulat. Cur? In ſignum graviſſimi mœroris ab Eccleſia concepti propter graviſſimam injuriam, ſibi, aut honori divino illatam, ut hac ratione injurioſus deſiſtere, & Eccleſiæ ſatisfacere cogatur.

2 Differt ab Interdicto, quod violans Interdictum fiat irregularis, non autem violans Ceſſationem, licet graviter peccet.

3 Conceſſio Sacramentorum tempore Interdicti trahitur etiam ad Ceſſationem.

4 Sepultura non prohibita eſt (ſi ſine Officio ſunebri fiat) tempore Ceſſationis.

Nam effectus Ceſſationis eſt deſiſtere a divinis officiis: Sepultura autem non eſt divinum officium: Extenſio autem ab Interdicto ad Ceſſationem non eſt in materia odioſa facienda.

5 Ceſſationem a divinis poteſt mandare Epiſcopus: Cauſa debet eſſe delictum graviſſimum contra commune bonum Eccleſiæ, V. C. immunitatem ejus.

PARS V.

De Irregularitate.

CAPUT PRIMUM.

Quid, & quotuplex ſit Irregularitas?

1 IRregularitas eſt *impedimentum Canonicum, per ſe primo impediens ſuſceptionem Eccleſiaſticorum Ordinum; ſecundario vero, & conſequenter eorundem uſum.*

Irregularitas diſtinguitur a Cenſuris, quia Cenſuræ ex propria ratione ſua ob culpam infliguntur, tanquam medicinales pœnæ. Irregularitas vero eſt

mortalis inhabilitas perſonæ ad Ordinem Eccleſiaſticum conſequendum propter aliquem ipſius defectum, maculam; quandoquidem decet eos, qui ad Altaris miniſterium aſſumuntur, tam corpore, quam animo immaculatos eſſe.

NB. Irregularitas etiam in laicos cadit; non item Suſpenſio.

2 Quæcunque ſacra munera laico competere poſſunt; uti ſunt Sacramenta ſuſcipere &c. ea etiam Clericus irregularis licite obire poteſt.

Irregularitas non privat Clericum jurisdictione. Quare ea, quæ actum Ordinis requirunt, non quidem licite, tamen valide exercet. Nec beneficio, modo per Vicarium officium ſuum adminiſtret, privandus eſt.

3 Irregularis occultus accipiens beneficium non tenetur manifeſtare, dummodo impetret diſpenſationem; Poſtea erit ſecurus in conſcientia.

4 Irregularitas requirit vel culpam mortalem, vel alium defectum gravem, idque ob honorem ſacri miniſterii.

Irregularitas dividitur in eam, quæ ob culpam mortalem, vel ob defectum contracta eſt.

5 NB. Irregularitas non imponitur ab homine; ſed ſolo jure univerſali Pontificio, non particulari.

6 Incurritur defectu in jure ſpecifice nominato, aut per conſuetudinem legitime introductam. Nam Conſuetudo per tacitum conſenſum eſt conſtitutiva juris, etſi lex ſcripta deſideretur; uti Suſpenſio propter ſuſceptionem Ordinis per ſaltum nullo jure, ſed conſuetudine ſtabilita eſt.

Irregularitas alia eſt totalis, quæ omni Ordine; alia partialis, quæ ſolum aliquo Ordinis miniſterio privat. V. C. Sacerdos pollice carens eſt irregularis ad ſacrificandum, non autem ad Confeſſiones audiendas: Quia deformitas ſuperveniens Clerico reddit eum inhabilem tantum reſpectu illius officii, quod ob talem infirmitatem rite exercere nequit.

Alia partialis eſt, quoad tempus morbi; ceſſante morbo ceſſat.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Animadvertere debet Confeſſarius non dari Irregularitatem ex delicto, niſi commiſſum fuerit peccatum mortale, adeoque ſi accidat ei caſus alicujus Irregularitatis ex delicto provenientis, non ſolum conſideret delictum in ſe, ſed an vere delinquens in eo committendo graviter peccaverit. An e.g. graviter peccaverit, dum ex ſubita ira aliquem mutilavit: vel etiam occidit, vel dum ſe defendendo aggreſſorem pariter occidit, aliquanto excedendo moderamen inculpatæ tutelæ &c. Si etenim vere graviter peccaſſe non adinveniat, moneat ipſum pro foro conſcientiæ non teneri ſe gerere Irregularem, ſecus eſſet pro foro externo, ratione ſcandali, ſi delictum non ſit occultum.

II. Non ignorare etiam debet Confeſſarius, quod cum Irregularitas de ſe non privet juriſdictione, Sacerdos Irregularis valide audire poteſt Confeſſiones, quamvis peccet mortaliter, ſi ad eas audiendas ſe ingeret, quia abſolutio eſt actus ſimul Ordinis, & juriſdictionis, & Irregularis Ordinis exercitio privatur. Si autem non ſit denunciatus a Judice, ut Irregularis, tunc, cum non ſit vitandus quoad ea, quibus privat Irregularitas, ſi requiratur, poteſt & valide, & licite confeſſiones audire. Cæterum ſemper poteſt aſſiſtere Matrimonio, dare licentiam alteri aſſiſtendi, & cetera omnia exercere, quæ non requirunt actum Ordinis. Hæc dicta ſint ſi caſus adveniat, quo Parochus propter aliquod delictum ſit Irregularis, ne ſtatim Confeſſarius pronunciet ab omni exercitio ſui Officii ab eo eſſe abſtinendum.

III. Si Confeſſarius agnoſcat Beneficiatum ſuum Pœnitentem in Irregularitatem incidiſſe, moneat quantocius ab eo petendam eſſe diſpenſationem, quia tenetur ſe reddere habilem ad adimplendum munus ſuum. Interim retinere poterit fructus Beneficii, ſi ſaltem per Coadjutorem ſuis obligationibus ſatisfaciat. Si vero ſit in tali caſu, ut nunquam, vel niſi poſt tempus valde longum diſpenſatio ſperari poſſit, tunc debet cogere ad reſignandum Beneficium; neque etenim, ſi neceſſitas magna contrarium non ſuadeat, poteſt quis retinere id, quod annexam habet obligationem, quam licite non poteſt adimplere. Sacri Canones excuſant Beneficiatum, qui ratione ægritudinis non poteſt ſuo muneri ſatisfacere; ne etenim afflicto afflictio addatur, eximunt illum a relinquendo Beneficio: *cap. e. parte de Cler. ægrot.* quamvis, ſi Parochus ſit, tribuendus ei Œconomus, qui ipſius officium adimpleat.

CAPUT II.

De Irregularitatibus, quæ incurruntur ob Baptiſma.

1 REbaptizans alterum, & miniſtrans illi incurrit Irregularitatem, ut non poſſit ad majores Ordines aſcendere: Intellige, ſi crimen publicum, & ignorantia craſſa ſit, & non ob metum gravem, & ſimulate, aut ſub conditione fiat. Quia leges pœnales debent intelligi cum effectu; qui autem ſub conditione baptizat, vere non baptizat, quia appoſita conditio, ſi ſubſit, ſuſpendit, & impedit actum.

Item, qui ſe ſinunt rebaptizari, ſunt ſimpliciter irregulares.

2 Baptizati ab hæreticis non ſunt irregulares. Si qui Canones objiciantur, reſpondeo, eos non habere authoritatem.

3 Qui ſe ſcienter baptizari ſinit ab hæreticis, & ſine neceſſitate, ille efficitur irregularis.

4 Qui in ægritudine baptizatus eſt, irregularis ait, quia ſuſpicio eſt, quod fides ab ipſo non tam voluntarie, quam ex neceſſitate ſuſcepta ſit.

5 Neophyti irregulares ſunt juxta Concilium Sardicenſe Oecumenicum C. 13. *Conveniens non eſt, nec ratio, nec diſciplina patitur, ut temere ordinetur aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus eſt.* Hinc Neophyti non ſtatim ordinandi.

6 Reiterans Confirmationem, aut Ordinem non ſit irregularis; quia jure non expreſſum.

Regula in praxi obſervanda.

Videat Parochus, ne temere, & abſque præmiſſa diligentia rebaptizet eum, quem dicunt fuiſſe baptizatum, vel ab obſtetrice, vel ab alio; nam ſi temere abſolute rebaptizaret, quem indubitanter poſtea ſciret fuiſſe baptizatum, fieret Irregularis. Verum quidem eſt, quod non incurreret Irregularitatem, ſi illum rebaptizaret ſub conditione; at non immunis eſſet a gravi culpa quoties etiam ſub conditione temere rebaptizaret.

CAPUT III.

De Irregularitatibus ex abuſu Ordinis.

1 QUi furtive ordinatur, fit irregularis, ſi furtivus acceſſus ſub pœna Excommunicationis interdictus ſit: Si tamen poſtea in Religione aliquamdiu laudabiliter vixit, poteſt Epiſcopus diſpenſare, & valet tum Ordo, ſi quem furtive ſuſcepit.

2 Clericus miniſtrans in Ordine, quem non habet, fit irregularis. Intellige, ſi mortaliter peccet, & non ex ignorantia.

Si tamen abſque ſtola, vel manipulo Epiſtolam, vel Evangelium ſolemniter cantet, non fit irregularis; Quia proprium inſigne Diaconi eſt ſtola, Subdiaconi manipulus.

NB. In Religionibus, & quibuſdam Cathedralibus eſt conſuetudo, ut Clerici minores cantent Epiſtolam, & Evangelium, ſed ſine ſtola, & manipulo.

Si Diaconus ſolemniter baptizet (a), ignorans, non craſſe, eſſe illi prohibitum, non fit irregularis.

„ (a) Intellige abſque Sacerdotis commiſſione.

NB. Non ordinatus temere audiens Confeſſiones &c. tenetur pœna falſi, L. eos. ff. ad L. Cornel. de falſo.

3 Laicus Confeſſionem audiens non fit irregularis; quia ſolum Clericorum fit mentio, utpote qui frequentius ſolent delinquere in hac materia.

Parochi non debent alios ad munus concionandi aſſumere, niſi Diaconos, idque ex conſuetudine recepta.

4 Clericus violans Cenſuram majoris Excommunicationis, Suſpenſionis ab Ordine, Interdicti, exercendo actum proprium Ordinis, mortaliter peccans fit irregularis: Non fit irregularis, ſi actus juriſdictionis exerceat, aut matrimonio aſſiſtat, ſed non benedicat.

Non fit irregularis Clericus, licet cantet Reſponſoria, modo non agat Officiatorem, *Dominus vobiſcum* cantando. Non fit etiam Clericus irregularis celebrando, &c. ſi non ſit ipſi prohibitum ſecundum ſubſtantiam, ſed ſolum ſecundum accidentalem modum. V.C. Epiſcopus in Pontificalibus ſi prohibetur, non fit irregularis, ſi celebret ſine Pontificalibus.

Quod Epiſcopus excommunicatus fiat irregularis, ſi ſinat coram ſe celebrari, non nititur ſcripto jure.

5 Clericus ſuſpenſus a ſuo Ordine non fit irregularis, ſi ad ſuperiorem Ordinem aſcendat; quia jure non expreſſum (b).

„ (b) Id tamen non ita certum eſſe monet Laymann; cum ſuſpenſio prohibeat exercitium Ordinis, & ſecundario ſuſceptionem Ordinis ſuperioris; ergo in eo caſu violat cenſuram, quod videtur ſufficere ad incurrendam irregularitatem.

NB. Primum ſacrificium, ſeu ſacerdotis Primitias non exiſtimari actum illum concelebrationis; cum neque certum ſit, utrum re ipſa conſecret, an ſolus Epiſcopus.

Deinde in materia odioſa pœnæ non ſunt extendendæ, ſed reſtringendæ.

Diaconus ſuſpenſus, ſi illi deferatur officium cantandi Evangelium, & non poſſit declinare ſine infamia, poteſt parere.

CA-

Regula in praxi obſervanda.

Notet Confeſſarius Irregularitatem incurrere, qui vere dubitans in aliquam cenſuram incidiſſe, adhuc non depoſito ex rationabili fundamento dubio, exercet actum Ordinis Sacri, ſi tamen vere poſtea advenerit in cenſuram incidiſſe. Id evenire poteſt reſpectu illius, qui dubitaret, an ex ſuo conſilio cauſatus fuerit abortus, percuſſus fuerit aliquis Clericus, violata fuerit Immunitas Eccleſiaſtica &c.

CAPUT IV.

De Irregularitatibus ex Infamia.

1 INfamia eſt bonæ famæ privatio. *Fama bona* autem eſt *dignitatis illæſæ ſtatus, legibus, aut moribus comprobatus*. l. Cognitionem, ff. de variis, & extraordinariis cognitionibus. Quare infamia nihil aliud eſt, quam diminutio talis ſtatus.

Infamia duplex eſt, Juris, & facti. Juris iterum duplex. Alia ex proprio delicto, cui ex Juris conſtitutione infamia annexa eſt. 1. Crimen lenocinii ante Judicis ſententiam, ſi per conſuetudinem fiat. l. Athletas. § Prætor ait. ff. de his, qui notantur infamia. 2. Crimen ſponſaliorum, vel matrimonii cum duabus. 3. Publici uſurarii. 4. Crimen læſæ Majeſtatis; cui aſſimilatur perſecutio hoſtilis Eccleſiæ Cardinalium, vel præſtitum auxilium. 5. Crimen perjurii promiſſorii. 6. Ignominioſa exauctoratio militis ob crimen commiſſum 7. Qui operas ſuas, ut cum beſtiis pugnaret, locavit. 8 Qui quæſtus cauſa cum homine certat, exceptis pugilibus, qui pro præmio propoſito certant inter ſe. 9. Crimen hæreſis. 10. Sodomiæ per conſuetudinem. 11. Raptores, & in duellum deſcendentes. Alia crimina ſunt, de quibus per ſententiam Judicis infamia incurritur, ut homicidium, adulterium, proditio, crimen falſi, rapinæ, furtum, dolus malus, injuriæ. Et non ſolum, qui de his condemnatus eſt, ſed etiam, qui pactus, ne de tali crimine accuſaretur: *Quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciſcitur*. l. ſeq. ff. eodem. Requiritur tamen Judicis ſententia, condemnantis de turpi pactione. Item accuſator iniquus ſecuta ſententia condemnatoria, & non appellatione tempeſtive facta.

Tortura non reddit hominem infamem, ſed cæſio virgarum, etiamſi ſententia condemnatoria non præmittatur, modo reus crimen confeſſus ſit, aut in eo deprehenſus.

Altera Juris infamia eſt non ex proprio delicto, ſed vel ex delicto parentum; ut V. C. crimen læſæ Majeſtatis. Vel parentum, ſi perſecutores Eccleſiæ Cardinalium fuerint. Vel ex vili conditione; ut hiſtriones obſcœni, & qui cum tali muliere hiſtrionis matrimonium contraxit. Illegitimi etiam non ſimpliciter, ſed in ordine ad effectus Jure expreſſos; cum interim, ſi jura non prohibeant, ad actus legitimos, & munera publica admitti debeant, V. C. ad munus tabellionis, ad jus hæreditatis ex teſtamento, ſi inſtituatur, a carente aſcendentibus, & deſcendentibus. Denique Carnifices, & eorum filii.

2 Hæ omnes infamiæ etiam Jure Canonico receptæ ſunt, juxta Hadrianum Papam cauſa 6. q. 1. *Omnes infames eſſe dicimus, quos leges ſæculi infames appellant*. Niſi ſpeciatim abſtulerint Canones infamiam; ut mulieris intra annum viduitatis ad nuptias tranſeuntis.

3 Infamiam Juris authoritative tollere poteſt Princeps comparatione ſubditi, V. C. Pontifex ab Eccleſiaſticis perſonis, & laicis, ſi Clerici velint fieri.

Infamia facti eſt publica notitia, vel opinio criminis commiſſi, per quod fama, & exiſtimatio hominis, ſpectata perſonæ qualitate, & ſtatu, apud viros prudentes graviter læditur.

4 NB. Licet aliquis de crimine accuſatus ſit, tamen non ideo infamis cenſeri debet, niſi apud viros prudentes, & honeſtos famam ejus læſam eſſe ſciatur, & vanæ voces hominum non ſunt audiendæ.

Clerico probabilibus conjecturis infamato de crimine, quod tamen plene probari non poteſt, indicenda eſt Canonica purgatio, ut juret, ſe delictum non commiſiſſe. Quod ſi crimen grave ſit, interim ſuſpendi debet, donec ſe purgarit.

Ad infamatum de crimine requiritur, ut viri graves, ac prudentes talem de homine exiſtimationem habeant; ſecus, ſi leves. Nam vanæ voces hominum non ſunt audiendæ. l. Decurionum. C. de pœnis.

Crimen infamiæ tale debet eſſe, ut attento ſtatu perſonæ merito vilem illam faciat, ſicut Molina ait: *Si homo ſæcularis in ſimplices fornicationes incidat, vel immoderate juret, vel ſimilia alia crimina habeat, non contrahit infamiam facti*. Intellige civiliter, non quoad Ordines Eccleſiaſticos,

P. Layman P. I.

Infamia facti incurritur ſpectato Jure Canonico ob quodvis mortale notorie perſeverans. Hodie non tam ſtricte ſervatur. Civili autem Jure infames cenſentur filiis, quos patet in teſtamento ſerio increpavit. Si infamia Jure non expreſſa ſit, ſtat penes Judicis arbitrium, & judicium.

Primus effectus infamiæ eſt, non ad dignitates admitti. l. unica. C. de infamibus lib. 10. *Neque famoſis, & notatis, & quos ſcelus, & vita turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis porta patebunt*.

Infamia Juris non tantum repellit a beneficiis, ſed etiam privat quæſitis. Sicut enim miles privatur per contractam infamiam jure militari: l. 2. §. Miles. ff. de his, qui notantur infamia. Ita miles Eccleſiaſticus Jure Eccleſiaſtico. Requiritur tamen ſententia Judicis.

At vero infamia facti repellit quidem a dignitatibus ipſo jure acquirendis, ſed non a quæſitis; cum id nullo jure expreſſum ſit. Quare privatio dignitatis a legitimo Superiore inferenda eſt.

6 NB Electio, vel collatio beneficii, infami facta, ipſo jure irrita eſt in foro externo; ſed in foro conſcientiæ non tenetur reſignare, ſi ſe ad beneficium habilem reddere velit.

7 Secundus effectus infamiæ repellit hominem ab actibus publicis; ut Judicis, Aſſeſſoris, cauſarum Patroni, accuſatoris, teſtis.

8 Effectus infamiæ Juris, & facti inducit irregularitatem. Quia in ſortem Domini vocati debent etiam eſſe immaculati.

9 Tertius inducit Irregularitatem. Excipe, ſi crimen occultum ſit: Quia infamia eſſentialiter conſiſtit in diminutione famæ: Ergo ante publicationem non poteſt incurri.

NB. Ob occultum crimen infamia poteſt pœnitentia deleri; ſed ſi timeat crimen infame publicandum, debet abſtinere a ſuſceptione Ordinum, quia tum reſcinderetur.

10 NB. Crimen publicum infamiæ non tollitur per pœnitentiam; quia talis infamia habet rationem pœnæ ſententialis, quæ a legitimo Magiſtratu in perpetuum lata eſt: Ergo tolli non poteſt, niſi ab eodem Magiſtratu.

Hinc ſequitur, Magiſtratum Eccleſiaſticum non poſſe infamem reſtituere in ordine ad effectus civiles, nec civilis Magiſtratus in ordine ad effectus Eccleſiaſticos. Intellige, ſi infamia civilis Jure Canonico ſpecialiter decreta non ſit, ſed indirecte, quatenus omnes Jure civili infames etiam canonice infames cenſentur.

Infamia facti tollitur per contrarium, id eſt, per conſtantem emendationem: *Non enim debet deſpici in eo, quod fuit, qui jam incipit eſſe, quod non fuit*, dicit S. Gregorius. Ratio: Quia *ceſſante cauſa ceſſat effectus*. C. Cum ceſſante, de Appellat.

Infamia facti non proprie cauſat Irregularitatem. Nam Irregularitas perpetuum eſt impedimentum: Infamia facti autem poteſt tolli per emendationem.

11 Hinc concubinarius notorius poſt emendationem ſine diſpenſatione poteſt celebrare.

Spectato Jure antiquo fidelibus prohibitum erat, audire Miſſam concubinarii notorii: Sed per Extravagantem prius denuntiari eſſe debent.

Apoſtatæ occulti poſſunt admitti ad Sacramentum Ordinis: Quia Apoſtatæ non ſecundum ſe irregulares ſunt, ſed quatenus Infamiam Juris annexam habent.

In Germania publici hæretici, & filii eorum admitti poſſunt ad Ordines; quamvis alias ſecundum communem Sententiam ex C. Presbyteros. d. 50. notoria hæreſis impediat a ſuſceptione Ordinum.

CAPUT V.

De Irregularitatibus ex Natalium defectu.

1 FIlii illegitimi irregulares ſunt in deteſtationem ſceleris, & ob turpitudinis notam, & propter timorem, ne imitentur parentes.

Occulti illegitimi, ſcientes, ſe eſſe illegitimos, debent abſtinere ab ordinibus, niſi gravis cauſa urgeat. Matres ſcientes poſſunt ſuadere Ordines illegitimis neſcientibus.

2 Epiſcopus non poteſt diſpenſare ſuper Irregularitate ex occulto natalium defectu ad ſacros Ordines; niſi bona fide ordinatus fuit neſciens defectum.

3 Nati a parentibus coeuntibus poſt editum votum caſtitatis non ſunt irregulares, niſi certo Canone conſtet.

4 Expoſiti non ſolent promoveri ad ſacros Ordines, quia ſemper ſuſpicio, quod illegitimi ſint. Poſſunt tamen Epiſcopi diſpenſare; quia, licet jure ordi-

ordinario non poſſint in Irregularitate notoria, tamen poſſunt in caſu dubio.

Ordinatus expoſitus ſecure poteſt progredi: Cum enim ordinatus habeat jus quæſitum, melior in dubio eſt conditio poſſidentis.

CAPUT VI.

De Irregularitate ex Bigamia.

1 IRregulares ſunt bigami, qui cum duabus conſummarunt.

2 NB. Id conſtat 1. ad Timoth. 3. *Oportet &c.*

3 Quia myſticæ incarnationis ſignificatio deficit, ideo Bigamia vera eſt, ſi quis cum duabus legitimis uxoribus matrimonium conſummavit.

Bigami interpretativi, qui ſcilicet unam uxorem viduam, vel ab alio corruptam duxerunt, ſunt irregulares. Hilarius Papa in Concil. Romano: *Ne quiſquam ad ſacros Ordines, qui uxorem non virginem duxit, aſpiret.* Ratio: Quia tale matrimonium non gerit perfectam ſimilitudinem Eccleſiæ Chriſti, quæ virgo, &c. Nec refert, ſi vidua vim paſſa, aut vir ignoravit; quia hæc Irregularitas non eſt ex culpa, ſed ex defectu Sacramenti.

NB. Nec refert, ſi vir ante cum pluribus fornicatus ſit; quia omnia tendunt ad mulierem. Quare, ubi reperitur maritalis conjunctio cum virgine, conſiſtit perfecta ſignificatio Sacramenti.

NB. Nec refert, ſi vir uxorem ante matrimonium cognovit. NB. Non ſit irregularis.

4 Bigamus interpretativus eſt, qui ad uxorem adulteram acceſſit: Quia deſinit habere perfectam ſimilitudinem Chriſti cum Eccleſia. Imo, licet uxor vim paſſa ſit, NB. tamen irregularis, & bigamus.

Tertius bigamus interpretativus, vel quaſi eſt, qui vivente, vel mortua uxore aliam duxit, & cognovit, cum qua valide contrahere non potuit ob impedimentum criminis.

5 Aliæ Bigamiæ qualeſcunque interpretativæ non exprimuntur in Jure; ideo non trahunt ſecum Irregularitatem, V. C. Matrimonium ſive cum utraque invalide contractum, ſive cum vidua invalide, non trahit ſecum Irregularitatem; nam Juri non eſt conforme. *Non enim præſtat impedimentum, quod jure non ſortitur effectum.* Reg. 52. in 6. intellige; niſi conſuetudine aliter introductum ſit.

6 Religioſus profeſſus contrahens cum virgine, & conſummans fit irregularis, quia primam fidem Chriſto datam irritam facit; idque ex praxi Eccleſiæ. Tamen diſpenſare poteſt Epiſcopus, vel Prælatus Ordinis.

Clericus in Sacris contrahens cum virgine fit irregularis, licet non vigore Bigamiæ ſimilitudinariæ. Tamen Epiſcopus poſt longam pœnitentiam poteſt reſtituere Clericum.

7 Bigamis Jure communi non poſſunt conferri Ordines minores; quamvis in ſuſceptis ante Bigamiam poſſint, ut laici, ex conſuetudine miniſtrare.

Baptiſmus in bigamo non tollit Irregularitatem. Quia, ut ait S. Ambroſius, *in Baptiſmo culpa dimitti poteſt, lex aboleri non poteſt.* Secundo ait S. Ambroſius: *Quomodo poteſt hortator eſſe viduitatis, qui ipſe conjugia frequentaverit?*

NB. Infamia civilis in Baptiſmo non aboletur; ut defectus natalium, aut luitum Judæi, aut cætera vergis. Hinc non poſſunt tales ad Ordines admitti, niſi ſæcularis Magiſtratus famam reſtituat.

Infamiæ autem facti ortæ ex injuſtis homicidiis, adulteriis, per Baptiſmum tolluntur: Quia per Baptiſma non ſolum tolluntur peccata, ſed etiam morales maculæ. Tamen obligatio ſatisfaciendi non deletur per Baptiſmum, adeo, ut Judæus propter furta, ante Baptiſmum commiſſa, poſt Baptiſmum poſſit puniri. Si vero ſolum in injuriam Dei ceſſit, V. C. Hoſtiam cultro conſcidit, unde ſanguis profluxit, & ille inde converſus ſit, talis homo non eſt aliqua pœna afficiendus.

CAPUT VII.

De Irregularitate ex corporis vitio

1 OMnis defectus corporis, qui vel congruum exercitium Ordinis impedit, vel notabilem deformitatem, aut horrorem affert, Irregularitatem inducit.

Cæci, ſurdi, vel gradiendi, aut ſtandi facultate deſtituti, & cui digitus deeſt ad frangendam Hoſtiam neceſſarius, irregulares ſunt. Surdus tamen ſecreto ſine miniſtro celebrare poteſt. Nanus irregularis; auribus carentes irregulares, niſi capillis tegi poſſint; gibbus valde deformis: Hermaphroditus, ſi ad ſexum magis fœmineum accedat, etiam characteris incapax eſt.

Hermaphroditi Profeſſio nulla inter viros, ſi magis prævaleat ſexus fœmineus.

2 Unius oculi, etiam ſiniſtri, privatio ſine notabili deformitate irregularem non efficit.

Irregulares ſunt leproſi, phrenetici, paralytici, amentes, caduci, epileptici. Si tamen integre convaluerunt, ex Prælati judicio readmitti poſſunt.

3 Leproſus privatim poteſt celebrare; epileptici nunquam: Quia epileptici nunquam perfecte ſani creduntur. Lunatici, ſi intervalla habeant, cum adjuncto ſacerdote celebrare poſſunt; obſeſſus non, nec claudus, niſi baculo utatur.

4 Neque qui ſex digitos in manu habet, neque qui uno digito ex minoribus caret, modo ſine notabili deformitate Cruces formare poſſit, irregularis eſt.

5 Nec irregularis, qui membro occulto ſine propria culpa privatus eſt; ſi autem culpa propria, irregularis. Item, qui ſibi ipſi illicite membra abſcindit, aut ab altero abſcindi jubet, eſt irregularis.

6 Judicium deformitatis ſtat penes Epiſcopum, vel Prælatum exemptum.

CAPUT VIII.

De Irregularitate ex obligatione ſervili.

1 MAncipium ſine licentia domini non poteſt ordinari; item olim liberti, quia obnoxii domino vinculo gratitudinis, adeo ut, ſi contra eos agerent, iterum relaberentur in ſervitutem.

Servus furtive ordinatus debet ſatisfacere domino ſuo. Si tamen per annum ſerviat, ſacerdos liberatur: Intellige; ſi ſerviat in ſpiritualibus.

2 Mancipium ignorante domino non poteſt fieri Religioſus.

Coloni, & ſervi adſcriptitii, qui tam ratione poſſeſſionis, quam perſonaliter obligati ſunt, non poſſunt ordinari ſtante obligatione.

4 Clerici in ſpiritualibus poſſunt eſſe tabelliones in Conſiſtorio, idque ex conſuetudine. Non autem in ſæcularibus: Quia tabellionis officium vile eſt, ideoque indecens perſonis Eccleſiaſticis.

5 Perſonæ Eccleſiaſticæ per conſuetudinem poſſunt eſſe Judices ſæculares, Conſiliarii Principum ſæcularium, ſed non in cauſis criminalibus. Tamen ſecluſa mortis, aut mutilationis ſententia poſſunt, ſi fidei defendendæ cauſa, aut bonum ſpirituale id exigat.

6 Olim Epiſcopi in litibus civilibus, ad oppreſſarum perſonarum judicium poſtulati, ſententiam deciſivam ferebant. Uti Arcadius, & Honorius in l. 9. Cod. Juſtin. de Epiſcoporum audientia: Epiſcopale *judicium ratum ſit omnibus: qui ſe audiri a ſacerdotibus elegerint: eamque illorum judicationi adhibendam eſſe reverentiam jubemus, quam veſtris deferri neceſſe eſt poteſtatibus, a quibus non licet provocare,*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Hic meminiſſe debet Confeſſarius illius tam ſæpe inculcatæ doctrinæ, qua dicitur non habere locum Irregularitatem, quoties opinio vere probabilis ſtat pro parte negativa. Hine ſine ulla perplexitate docere poteſt, nullatenus eſſe Irregulares eos, qui ſuadent Judici, ut Malefactorem occidat, dum jura id exigunt, ſemper cum non ut Conſiliarii deſtinati, ut ipſorum conſilio Judex proferat mortis ſententiam. Item nullatenus Irregulares judicet eos, qui comitantur Malefactorem, ſi cauſa ipſorum mors acceleretur &c. dummodo non comitentur tanquam miniſtri Juſtitiæ. Uno verbo advertat tutiſſime poſſe judicare immunes ab Irregularitate eos omnes, qui quomodolibet concurrunt ad mortem alicujus, ſi non concurrant ut Miniſtri juſtitiæ, vel ut teſtis, Accuſator, Advocatus, Procurator &c. ad cauſæ criminalis probationem.

Ex eodem capite judicare tuto poteſt, non eſſe Irregularem ex bigamia, qui nulliter contraxit cum Vidua, vel Corrupta; adeſt enim opinio vere probabilis in eo caſu excludens Irregularitatem. Idem dicas de Filiis in Hoſpitali expoſitis, qui debent declarari legitimi, ſaltem quoad effectum Irregularitatis excludendæ.

Nullatenus pariter judicet Irregularem illum, cui in infantia, vel ob infirmitatem amputati fuerunt teſticuli. Examinet etiam an veram habeat probabilitatem ea opinio, quæ nec vult Irregulares, qui eos ſibi amputare fecerunt ad vocem conſervandam. Et quidem etiam in tali caſu nunquam ſatis percepi habere locum eam rationem, unde S. Canones voluerunt Irregularem, qui aliquod membrum ſibi facit amputare.

Ne quæſo, poſtea tanta laboret ignorantia Confeſſarius, ut putet eum, cui amputata ſunt virilia &c. debere hujuſmodi vel exſecta, vel in pulverem redacta ſecum deferre, ſi promotus ad Ordines velit celebrare. Sinat craſſiores Vulgi in hoc errare & legat Gloſſam *in can. Eunuchus diſt.* 55.

II. Notet Confeſſarius ex ignorantia non paucia communi, multories titubare Eccleſiaſticos propter timorem Irregularitatis, in denunciandis iis, quos grave aliquod malum velle perpetrare ſciunt. Dum ergo agitur de damno impediendo, quod aliqui facere intendunt, nulla datur Irregularitas, ſi, dum non adeſt aliud medium pro eo impediendo, enunciantur qui volunt malum perpetrare, maxime præmiſſa proteſtatione ſeſe non intendere niſi gravi malo obviare. Immo hanc non eſſe neceſſariam ex plurimorum opinione, jam ſupra adnotavi.

C A P U T IX.

De diſpenſationibus ſuper Irregularitatibus.

1 SOlus Papa poteſt diſpenſare in Irregularitatibus: Quia irregolaritates Jure univerſali Canonico conſtitutæ ſunt, in quo nemo inſerior Summo Pontifice diſpenſat.

2 Raro tamen ſolet in Bigamia, nec in homicidio illicito, niſi occultom ſit. Quod ſi tunc non ad Papam veniri poſſit, tunc Epiſcopus diſpenſare poteſt. Nec in deformitate ſcandaloſa.

3 NB. Si maculoſa deformitas poſt Ordines ſuperveniat, poteſt celebrare, donec ipſi prohibeatur ab Epiſcopo, niſi ſcandalum generet.

Ad arbitrium Epiſcops pertinet judicare de deformitate.

4 NB. Epiſcopi ex commiſſione ipſo jure eis facta poſſunt juxta Tridentinum diſpenſare ſuper Irregularitate proveniente ex delicto occulto, & non famoſo.

5 Excipe homicidium voluntarium, & alia delicta deducta io forum contentioſum.

6 Illegitimorum Irregularitas tollitur per ingreſſum Religionis. C. 1. de filiis Presbyterorum. *Illegitime nati ad ſacros Ordines non promoveantur, niſi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes; Prælationem vero nullatenus habeant.*

7 Prælati Ordinum Mendicantium poſſunt diſpenſare cum ſuis ſuper Irregularitate, excepta Bigamia vera, & interpretativa, & homicidio voluntario. Tamen, ſi occultum, & juſtum ſit, poſſunt diſpenſare propter ſpeciale privilegium Martini V. Item etiam in Bigamia ſimilitudioaria.

Regula in praxi obſervanda.

Multoties Confeſſarius liberare poſſet Pœnitentem ab incommodis petendæ diſpenſationis ſuper Irregularitate ſi præ manibus haberet non incurri Irregularitatem ab eo, qui committit aliquod delictum, cui annexa eſt, ſi ignoret, ſeu non advertat facere delictum prohibitum ab Eccleſia. Si audiat e. g. excommunicatum Ordines ſuſcepiſſe, ſtatim pronunciabit Irregularem. At non ſtatim ita judicet. Interroget, an crediderit ſolum id eſſe contra legem naturalem, vel Divinam, ſeu, an inſuper ſciverit lege Eccleſiaſtica id fuiſſe prohibitum; ſi etenim hoc ignoravit, non eſt Irregularis. Si pariter audiat aliquem delictum commiſiſſe homicidii, vel mutilationis, ſtatim pleno ore pronunciabit Irregularem. Difficiliter quidem Delinquens, maxime ſi ſit Clericus, ignorabit hoc eſſe prohibitum etiam lege Eccleſiaſtica, at fortaſſe in rixa hoc non animadvertit; & cum inadvertentia, & ignorantia eoſdem præſtent effectus, poterit ab Irregularitate excuſari. Pro foro eutem eeterno debebit ſe gerere ut Irregularem, ſi delictum homicidii, vel mutilationis ſit publicum, & id ad evitandum ſcandalum.

Multo faciliorem viam adinveniet exſcuſendi Pœnitentem ab Irregularitate, ſi putet eam non habere locum, quoties etiamſi ſciatur lex Eccleſiæ prohibens, ignoretur tamen aliquid prohibere ſub pœna Irregularitatis. Et quidem hanc opinionem dixi ſupra probabilem, & modo addo mihi tutam videri, quia cum DD. multi velint neceſſe eſſe etiam ſcire pœnam Irregularitatis, jam oritur dubium juris, an cum tali ignorantia locum habeat Irregularitas, & in dubio juris omnino eſſe excludendam, conſtat ex dictis ſupra. Dum ergo agnoſcet Pœnitentem commiſiſſe delictum, cui annexa eſt Irregularites, antequam illum moneat de neceſſitate petendæ diſpenſationis, primo interroget, an ſciverit, vel adverterit, illud etiam lege Eccleſiæ fuiſſe prohibitum. Quod ſi ex hoc motivo non poſſit illum excuſate, interroget deinde, an ſciverit fuiſſe prohibitum ſub Pœna Irregularitatis.

L I B R I II.

T R A C T A T U S I.

De Theologica Fide, et oppositis vitiis.

C A P U T P R I M U M.

Quid ſit Fides?

1 SIgoificat promiſſionem fidelitatis. 2. Exiſtimationem de alterius conſtantia in promiſſis. 3. Conſcientiam, quæ dictat in promiſſis fidem ſervandam. 4. Aſſenſum intellectus, quem præbemus quippiam aſſerenti propter authoritatem ejus. 5. Ipſum objectum, quod certa fide credimus.

2 Penultima nobis ſervit, & eſt Fides *aſſenſus firmus, quem animus præbet alicujus dicta ob authoritatem dicentis.*

3 Fides una eſt humana, altera divina. Divina debet tam ex parte principii, quam objecti eſſe ſupernaturalis. Hinc ſi credam revelatis a Deo propter humana motiva, non eſt Fides divina, ſed humana; quia licet objectum ſit divinum, tamen non eſt principium.

Diſtinctio inter Fidem humanam, & divinam hæc eſt, quod humana non ſemper certum aſſenſum, ſed ſæpe opinativum contineat: Divina aotem ſemper firmum, quamvia obſcurum. Unde Fides divina differt a ſcientia; nam aſſeoſus ſcientiæ ideo firmus, quia ortus eſt ex clara apprehenſione connexionis terminorum: V. C. *Summum bonum eſt amandum; Deus eſt ſummum bonum: Ergo*. Fides autem divina obſcura eſt, neque intuetur veritatem objecti, ſed unica ratio, ſeu motivum credendi eſt teſtimonium ſummæ Veritatis, ſeu authoritas Dei revelantis.

4 Sola Fides divina infallibilem certitudinem habet; quippe Dei authoritati nitens, quæ mentiri non poteſt.

5 Fides divina duplex eſt. Habitualis eſt virtus ſupernaturalis, inclinans intellectum ad aſſentiendum firmiter, & obſcure omnibus a Deo revelatis, quatenus ita revelata ſunt. Fides autem actualis eſt exercitium Fidei.

NB. Fides divina triplicem ordinem ad Deum habet. Credimus Deum ſignificat objectum primarium Fidei: Credimus Deo formalem rationem: Credimus in Deum finem Fidei denotat; quia Fides in intellectu ſita obſcure nobis exhibet Deum, ad quem per Spem, & Charitatem accedere debemus.

C A P U T II.

De objecto, ſeu ſubjecto Fidei.

NB. INtellectualis aſſenſus objectum debet eſſe aliquid complexum, ſcilicet propoſitio: V. C. Deus trinus, & unus eſt. Subjectum autem, de quo aliquid dicitur, eſt incomplexum.

1 Materiale objectum Fidei eſt verbum Dei, ſeu quidquid divinitus viatoribus obſcure revelatum eſt. V. C. Deus eſt, Deus trinus, & unus eſt, Filius Dei homo factus eſt.

Subjectum Fidei primarium, quod attributionis appellatur, id eſt, ad quod reliqua omnia in Fide referuntur, eſt Deus.

2 Verbum Dei tripliciter dividitur: Aliud eſt quod Deus per ſe ipſum, nullo Legato interveniente, revelat. Talis vox erat de cœlo Matth. 3. *Tu es Filius meus dilectus*. Aliud per Legatum, V.C. Prophetas, Patriarchas. 3. Per Apoſtolos.

3 Verbum Dei aliud eſt ſcriptum; aliud non ſcriptum, ſive traditum. Ratio: Quia omnis rite instituta Reſpublica partim ſcripto, partim non ſcripto Jure utitur: Ergo convenit hoc etiam Reipublicæ Chriſtianæ, cum libri poſſint abſumi.

NB. Verbum Dei aliud habet publicam authoritatem, ut Biblia, Traditiones Apoſtolicæ, Canones. Aliud privatim alicui a Deo revelatum.

4 Eccleſiæ definitiones verbum Dei appellari poſſunt. Ratio: Quia Traditio eſt verbum Dei *Qui vos audit, me audit. Si quis Eccleſiam non audierit &c.* Unde ſic argumentor: Omnis ſermo, procedens ex infallibili aſſiſtentia S. Spiritus, eſt verbum Dei revelatum; ſed definitio Eccleſiæ eſt ſermo, &c. Ergo.

NB. S. Gregorius ait: *Sicut S. Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia* (Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe) *venerari me, ac ſuſcipere fateor.*

Diſtinctio eſt inter verbum Dei, & definitiones Eccleſiæ.

NB. Eccleſia non accipit novas revelationes, ſed aſſiſtente Spiritu S. docet, quodnam verbum Dei ſit ſcriptum, vel non ſcriptum, & quod ſuppoſititium: Deinde quis verus ſenſus &c.

NB. Explicite jam creditur, quod olim implicite, V. C. Concilium Nicænum Canonicum eſſe; item quæ Eccleſia ex una revelata, & altera naturali lu-

mine nota Propoſitione deducit, & fidelibus credenda proponit.

NB. Non mirum, quod multus labŏr inſumi debeat in definiendis controverſiis perſcrutando Scripturas; ſiquidem ceſſante jam miraculorum frequentia ordinariis mediis Deus Eccleſiam ſuam gubernat. Nam etiam tempore Apoſtolorum, controverſia Act. 15. orta, utrum Circumciſio, & lex Moyſis ſervanda eſſet a gentibus converſis, *magna* inter Apoſtolos *conquiſitio facta eſt*.

NB. Diſputationes concomitantes ſententiam definitivam Eccleſiæ non ſunt de fide: Sed omnia verba Scripturæ Bibliorum de fide ſunt.

CAPUT III.

De rationibus, ſeu motivis Fidei divinæ.

1 ASſertio I. Ratio formalis ſub qua Fidei divinæ, ſeu formale principium, quo Fidei divinæ aſſenſus nititur, eſt authoritas Dei obſcure revelantis. Ubi duo continentur in objecto formali, Dei veritas, & externa revelatio, Prius illud eſt principale; quippe valor externæ revelationis.

2. Aſſenſus Fidei poſtulat revelantis evidentiam non abſolute, & ſecundum aſſentiam, ſed quatenus Deus loquens eſt: Nec poſtulat evidentiam rei revelatæ claram, & intuitivam; nam ſic oriretur ſcientia: Fides autem eſt argumentum rerum non apparentium. S. Auguſtinus: *Quid eſt Fides, niſi credere, quod non vides?* Ratio: Quia fruſtra aliquis teſtimonio nititur ad veritatem ſibi perſuadendam, quæ ultro apparet, & clare nota eſt.

NB. Fides cum ſcientia humana de eodem objecto cum diverſo reſpectu poteſt conſiſtere, non vero cum ſcientia ſupernaturali.

NB. Evidentia rei revelatæ extrinſeca, & reſpectiva, in ordine ſcilicet ad revelantem, non parit ſcientiam rei revelatæ, ſed poteſt cum obſcura Fide conſiſtere.

3. NB. Fidei aſſenſus licet non objective, tamen ſubjective quoad intellectum requirit etiam alia adminicula, ſcilicet Concionatores, item coram Ethnicis maxime conſenſum tot millium hominum, miracula, vitæ innocentiam, &c.

Notæ Eccleſiæ ſunt conditiones ſine quibus non, non intrinſeca, & formalia principia, ſed ſolum quoad res extrinſecas, & accidentales corroborantes intellectum.

Ad Dei bonitatem, & providentiam ſpectat, veram Fidem majoribus, & urgentioribus ſignis confirmare, quam ulla falſa Religio ornata apparet. Nulla autem eſt Religio tam gravibus &c. Ergo hæc ipſa eſt vera Fides.

Sed objicitur, Dictam ratiocinationem, cujus major, & minor Propoſitio evidens videtur, eſſe demonſtrationem, qua paritur ſcientia de veritate Propoſitionum Fidei, quod ſupra negatum eſt. Reſpondeo: In homine non Atheo, ſed certam Dei perſuaſionem habente, ratiocinatione illa exacte apprahenſa, generari poſſe aſſenſum de veritate Fidei Catholicæ moraliter certum, ſed non proprie evidentem, & ſcientificum; quippe cum talis evidentia, per quam Fides excluditur, naſci debeat non ex principiis extrinſecis, ſed intrinſecis ipſius rei cognitæ, qualis illa: Quod innumeri homines a pluribus ſæculis tanquam oculati teſtes aſſeruerunt, id verum eſt; ſed innumeri homines &c. aſſeruerunt, Romam eſſe, vel fuiſſe: Ergo id verum eſt. Aſſenſus iſte, licet moraliter certus, ac indubitatus, tamen eſt Fidei, non ſcientificus, quatenus habetur de Romæ aliquando exiſtentis veritate, & non præciſe de credibilitate.

NB. Intellectus viatoris ad aſſenſum Fidei divinæ eliciendum in genere cauſæ efficientis indiget auxilio Spiritus Sancti: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater &c.* Joan. 16. Ratio: Aſſenſus divinæ Fidei requirit maximam certitudinem, quam ſecundum ordinariam Dei legem homo non poteſt ſufficienter habere ex formali objecti principio, quæ eſt revelatio Dei, utpote obſcura. V. C Si Gentili dicas, verbum Dei, quod Matthæus ſcripſiſſe dicitur, eſſe divinitus revelatum, non meretur certum aſſenſum, nam non apparet ipſi: Nec extrinſeca motiva per ſe ſufficientia ad perſuadendum ſunt, utpote abſolute fallibilia: Ergo neceſſe, ut adjuvetur intellectus a Spiritu S. gratia.

NB. Licet Fides ſit virtus intellectualis, tamen requirit piam affectionem liberæ voluntatis, moventis intellectum ad aſſenſum; nam certitudo Fidei non provenit ex ſpeculatione objecti, ſed ex determinatione arbitrii liberi.

Requiſita ad convertendos hæreticos ſunt. 1. Inductio ad pœnitentiam. 2. Bonum exemplum. 3. Oſtendere, non in quavis Religione ſalutem, ſed unam eſſe veram Fidem, in qua ſalvi fieri debeant. 4. Propoſitio notarum Eccleſiæ veræ, & Eccleſiæ falſæ abſurditates, & contradictiones. 5. Motio ad implorandam gratiam Spiritus Sancti.

NB. Hæretici ſolum Fide acquiſita externis humanis motivis multa credunt, non ſupernaturali infuſa, nec propter divinam revelationem; hinc inconſtantes, & diſſentientes. Hinc S. Hilarius Lib. 7. de Trinit. *Diſſenſio hæreticorum confirmat Eccleſiæ veritatem.*

NB. Etſi ad ſupernaturalis Fidei aſſenſum requiratur illuſtratio Spiritus Sancti, tamen non eſt ſufficiens argumentum probandæ Fidei, ut Calviniſtæ jactant; nam Sathanas ſæpe transfigurat ſe in Angelum lucis.

Regula in praxi obſervandæ.

Ut bene pueri, aliique practice inſtruantur ad eliciendum actum Fidei, hæc ex dictis ſunt obſervanda. Primo, monendi ſunt, Myſteria, quæ proponuntur credenda, non docuiſſe homines, nec rationem naturalem, qui etenim moveretur ad credendum hominis authoritate, haberet tantum Fidem humanam, vel ſcientiam naturalem, ſi moveretur ex naturali ratione. Secundo, monendi ſunt, Myſteria noſtræ Fidei proponi ab Eccleſia, quam Chriſtus noluit eſſe infallibilem, ſeu Columnam veritatis, & eadem Myſteria fuiſſe poſt Chriſtum ab Apoſtolis propoſita, ſive ab aliis viris piis, & doctis, & omni tempore confirmata fuiſſe miraculis. Vel ſaltem edocendi ſunt Pueri a Parochis, ſe proponere articulos, quos debent credere, quia illos proponunt ut Miniſtri Eccleſiæ, quæ edocta fuit a Chriſto Domino, ita enim fiet, ut ſibi perſuadeant eos edocere veram Jeſu Chriſti Fidem. Demum advertere debent Curatores Animarum, ut plene inſtruantur rudes, quod ea, quæ eis firmiter proponuntur credenda, credere debent, non quia ea proponit Eccleſia, ſed quia quæ proponit Eccleſia, fuerunt a Deo revelata ipſi Eccleſiæ. His addere poſſunt, ut aſſenſum omnino firmum præſtent, Deum infinite ſapientem omnia ſcire, adeoque falli non poſſe, & quia ulterius eſt infinite verax, & bonus, aliter loqui non poteſt, quam ſentiat, ideoque non poteſt fallere. Demum ita edoceant actum Fidei efformare: *Credo Deum eſſe Trinum, & unum, quia ipſe Deus revelavit*; & ita de ſingulis articulis.

CAPUT IV.

Utrum Fides divina diſcurſiva ſit?

1. NB. 1. FIdes divina non eſt diſcurſiva circa
2. omnia objecta ſua: Quia ſic daretur proceſſus in infinitum. Eſto enim, quod, SS. Trinitatem eſſe, diſcurſive credam, quia id divinitus revelatum eſt, tamen ipſam revelationem non poſſum credere propter aliud, ſed immediate ſine diſcurſu. Nec inde ſequitur, quod per ſe evidens, & nota ſit; ſicut principia ex ſcientiis demonſtrativis per ſe nota ſunt ex terminis. Verum in hoc ſimilitudo; Sicut principia ſcientiarum non probantur a priori, ſed per ſe nota acceptantur; ita principia credendorum in Fide divina, quæ ſunt revelatio Dei, non oſtendi debent per aliquod prius, per ſe loquendo, ſed ſupponuntur: Alioquin daretur proceſſus in infinitum.

Per accidens tamen, ſeu reſpectu noſtri revelatio per aliquid, tanquam medium, ſeu motivum, poteſt probari; ut V. C. ſi credas, Evangelium S. Matthæi eſſe verbum Dei, quia Eccleſia, aſſiſtentiam Spiritus Sancti habens, id definit.

3 NB. 2. Credibile eſt, quod omnibus aliis objectis materialibus humanis intellectus aſſentiri poſſe per Fidem ſine diſcurſu formali, V. C. quod Deus eſt, quod Trinus, propter revelationem.

4. NB. 3. Probabiliſſime dicitur. Fidem eſſe poſſe diſcurſivam circa pleraque objecta materialia mediata. Talia ſunt objecta, quod Deus trinus, & unus, quod Filius Dei incarnatus &c. V. C. Credo Verbum Dei incarnatum, Cur? Reſp. afferens rationem a priori: Ideo credo, quia a prima Veritate revelatum eſt. Cur credis, talem revelationem eſſe factam? Non poſſum tum aliam rationem afferre; ſed reſpondeo: Talia ſigna externa mihi propoſita eſſe, ut ſecundum regulas prudentiæ Fidem hanc libera voluntate cum Dei auxilio acceptarim: Et vero Spiritus Sancti illuminantis gratia certiſſime me credere, ut pro hac Fide paratus ſim mortem oppetere.

5. Corollarium. Si homo fidelis ita ratiocinetur; Quidquid Deus veraciſſimus revelavit, id verum eſt; ſed Deus veraciſſimus revelavit, ſe trinum eſſe in Perſonis, unum in Eſſentia: Ergo Deus trinus, & unus eſt. In hoc diſcurſu tum major, tum minor Propoſitio, adeoque etiam Concluſio Fide divina creduntur: Quia, licet major Propoſitio etiam naturali lumine evidens ſit, aſſenſus tamen Fidei non nititur ejus veritate, quatenus natura-

naturaliter cognita, ſed quatenus Fide revelatum eſt, Deum veracem eſſe in dicendo. Quamobrem, cum omnes Propoſitiones unico formali principio, ſcilicet divinæ revelationi, nitantur, conſequens eſt, a Fidei habitu provenire.

Cæterum ſi ex una Propoſitione Fidei, & altera naturaliter tantum evidente Concluſio infertur, ea non ad Fidem infuſam, ſed ad naturalem, & acquiſitum Theologiæ habitum ſpectat: V. C. *Omnis verus homo eſt riſibilis; Chriſtus eſt verus homo; Ergo Chriſtus eſt riſibilis.* Hæc Concluſio per ſe non eſt de Fide. Ratio: Quia non ex ſola Fidei Propoſitione, ſed altera etiam naturaliter nota intrinſece dependet. Secus, ſi Eccleſia definivit: Tunc enim eſſet de Fide Concluſio, quatenus per os Eccleſiæ a Deo revelatur.

6 NB. Actus Fidei omnes ſunt ejuſdem ſpeciei, & diverſitas ſolum eſt materialis, proveniens ex diverſo modo tendendi in objectum, tamen ſub eadem ratione formali. Quemadmodum enim actus Charitatis circa Deum, circa nos, & circa proximum ejuſdem ſpeciei ſunt, propter unicam formalem diligendi rationem, quæ eſt divina bonitas, quamvis modus tendendi in Deum, & in alia objecta diverſus ſit; quia Deum immediate amamus ex charitate propter ſeipſum, nos autem, & proximum propter Deum, ſive in ordine ad Deum. Ita etiam dicendum, omnes actus Fidei ejuſdem eſſe ſpeciei, propter unicam rationem aſſentiendi formalem, quæ eſt prima Veritas revelans; quamvis modus aſſentiendi diverſus ſit. Nam ipſam veraciſſimam Dei revelationem per ſe ipſam, aut propter ſe ipſam credimus: Rem autem revelatam, puta, SS. Trinitatem, Chriſti Incarnationem &c. mediate, ac propter divinam revelationem credimus. Ex quo etiam apparet diſcrimen, cur alius in naturalibus ſtatuatur habitus principiorum, alius vero habitus ſcientificus Concluſionum; quia ſub diverſa ratione formali, ſeu motivo tendunt in objecta ſua. Nam principiis naturaliter evidentibus aſſentitur intellectus propter terminorum incomplexorum perſpectam habitudinem; Concluſionibus vero aſſentitur propter principia, ſeu Propoſitiones præmiſſas. At vero in Fide divina eadem eſt ratio aſſentiendi objectis omnibus, videlicet divina revelatio.

C A P U T V.

De reſolutione Fidei.

1 NB. Fides divina ex parte objecti, ac motivi formalis reſolvitur in authoritatem Dei revelantis. Credo, Deum eſſe incarnatum, Eccleſiæ definientis authoritatem intelligibilem eſſe; quia prima, & ſumma Veritas hæc nobis revelavit. Deum autem veracem nobis revelaſſe, ulterius reſolvi, vel per Fidem probari non poteſt, nec debet; quia principia reſolutionis non probantur, ſed ſupponuntur.

2 Verum in ordine ad nos revelatio divina credibilis, & acceptabilis fit per extrinſeca motiva, inter quæ unum ex præcipuis merito cenſetur authoritas, & conſenſus Eccleſiæ, tot ſæculis, tanto numero hominum clariſſimorum florentis; item miracula &c.

NB. Alii aliis facilius moventur ad Fidem amplectendam tum propter majorem illuſtrationem Spiritus Sancti, tum propter animi ſui ſimplicitatem, quia de oppoſito errore perſuaſionem nullam conceperunt. Qua ratione pueri apud Catholicos; cum ad uſum rationis pervenerunt, acceptant Fidei myſteria, tamquam divinitus revelata, quia natu majores, & prudentes, quos ipſi norunt, ita credere animadvertunt.

C A P U T VI.

De ordine rerum credendarum.

1 Inter credenda abſolute primum eſt, quod Deus ſit. Nec dicas: Hoc naturaliter poteſt cognoſci. Reſp. 1. Poteſt cognoſci naturaliter, quod Deus ſit author naturæ, & effector hujus mundi: Sed hæc cognitio non ſufficit ad ſalutem. Sed requiritur, ut agnoſcamus, Deum eſſe auctorem gratiæ, & gloriæ, quod lumine naturali non aſſequimur, ſed ſupernaturali.

NB. Habitus naturalis ſcientiæ, & infuſus Fidei de Deo, ſi loquamur de materiali objecto, poſſunt ſimul conſiſtere in eodem intellectu.

Nam, qui ſcientiam acquiſitam, ſeu demonſtrationem de Deo habet, is nihilominus pie intellectum inclinare poterit, cum Dei auxilio, ut Fide etiam divina credat, Deum eſſe authorem naturæ, &c.

2 Aſs. II. Inter ſpeciales Articulos Fidei non eſt aliquis ordo ſimpliciter neceſſarius; quia unus Articulus ab altero non dependet, tamquam a formali principio, & motivo; ſed omnes præcipue dependent a veraciſſimi Dei revelatione.

Aſs. III. Convenientior tamen ordo credendi Fidei Articulos eſt ille, qui in Symbolo Apoſtolico continetur. 1. Myſterium SS. Trinitatis. 2. Incarnatio Verbi. 3. Miſſio Spiritus Sancti. 4. Eccleſiæ Catholicæ ſanctitas, & infallibilis authoritas. 5. Septem Sacramenta hominiſque juſtificatio, & glorificatio.

3 Aſs. IV. Pro Hæreticis illæ Fidei Propoſitiones, & Sacræ Scripturæ teſtimonia, quæ ab ipſis bono ſenſu recipiuntur, argumenti loco aſſumi poſſunt ad alia, quæ ipſi negant, utpote non quidem per ſe, ſed ad hominem accommodata. Deinde Hæretici maxime per Traditionem convincendi ſunt. Nam, licet Scripturam urgeant, non tamen ex ea argumentum firmum ducere poſſunt ſine Eccleſiæ Traditione. Unde enim ipſis conſtet, Evangelium Matthæi eſſe Matthæi, & non Nicodemi?

C A P U T VII.

De proponente Fidem.

1 Eccleſiæ Miniſtri, V. C. Parochi, & Epiſcopi ſinguli poſſunt errare in rebus Fidei: Quia nullum extat privilegium non errandi, ſingulis conceſſum. Quamvis omnes Doctores ſimul non poſſint errare, cum populus illis adhærebit, & ſic tota periclitaretur Eccleſia, quod fieri non poteſt.

Pontifex ut privata perſona poteſt incidere in hæreſin, etiam notoriam: Quia non extat privilegium in contrarium. Quare promiſſio a Chriſto S. Petro facta non poteſt extendi ad Pontifices, ut privatas perſonas, ſed ut ad Succeſſores Petri in paſtorali poteſtate docendi.

Ad reliquos Epiſcopos pertinet judicare, num Summus Pontifex ut privata perſona errarit? Ita Concil. V. Romanum ſub Symmacho Papa: *A multis Anteceſſoribus noſtris ſynodaliter decretum, atque firmatum eſt, ut oves Paſtorem ſuum nec reprehendere, niſi a Fide exorbitaverit, præſumant.*

3 NB. Quamdiu Summus Pontifex toleratur ab Eccleſia, Decreta ejus omnem vim habent: Quia id pertinet ad convenientem gubernationem Eccleſiæ. Sicut etiam in alia bene conſtituta Republica tamdiu acta publici Magiſtratus valent, quamdiu in tali munere relinquitur, juxta l. Barbarius. ff. de officio Prætorum.

Aſs. III. Summus Pontifex etiam ſine Concilio in Decretis Fidei univerſalibus, ſeu quæ Eccleſiæ toti proponit, non poteſt errare. Probatur: Quia ſic tota Eccleſia poſſet induci in errorem, quod eſt contra illud Matth. 16. *Portæ inferi &c.* Deinde probatur: Quia Eccleſia reliqua Summo Pontifici, ut membra capiti, adhærere tenetur: Ergo ſi ille falſum proponeret, tota Eccleſia in errorem induceretur.

NB. Interim nihil obſtat, quo minus Summus Pontifex leges condat, quæ ob circumſtantias Eccleſiæ minus expediant; ut ſi in Cenſuris ferendis nimis ſeverus, aut in diſpenſationibus, & indulgentiis nimis facilis ſit: Propterea ejuſmodi Decreta Pontificum, ſi Eccleſiæ minus utilia appareant, a Succeſſoribus quandoque revocantur.

3 Aſs. IV. Summus Pontifex etiam ut publica perſona errare poteſt in dijudicandis particularibus quæſtionibus, quæ plerumque de facto ſunt. Ratio. Quia aſſiſtentia Spiritus Sancti promiſſa eſt Petro, & Succeſſoribus ejus in ordine ad Eccleſiam, ne eam in errorem inducant; cujus rei periculum non eſt in Decretis ad univerſam Eccleſiam non attinentibus.

4 Aſs. V. Decreta generalium Conciliorum approbatorum non poſſunt eſſe falſa: Quia Eccleſia univerſa non poteſt errare. Matth. 16. & 18. Epiſcopi autem ex univerſo orbe cum capite ſuo repræſentant univerſam Eccleſiam; Ergo, quæ in tali Concilio decreta fuerint, errori obnoxia non ſunt.

5 Coroll. 1. Ad Summum Pontificem proprie pertinet, Concilia generalia congregare: Quia ad eum pertinet, qui omnium nationum Epiſcopis cum authoritate imperare poteſt. Hic autem eſt Summus Pontifex. 2. Conſtat ex praxi Eccleſiæ. Sic Lucentius Legatus Romanus in Chalcedonenſi Concilio Act. 1. ait: *Synodum auſus eſt facere*, Dioſcorus Alexandrinus Archiepiſcopus, *ſine auctoritate Apoſtolicæ Sedis, quod nunquam licuit, nunquam factum eſt.*

Concilia omnia Oecumenica Romani Pontificis authoritate concluſa fuerunt: Nicænum a Sylveſtro indictum; Epheſinum a Cæleſtino, qui vices ſuas Cyrillo Ale-

xandrino Epiſcopo congregandi commiſit: Chalcedonenſe conſtat ex Epiſtola Valentiniani, & Martini Imperatorum. Conſtantinopolitanum ex Niceph oro conſtat in Epiſtola ad Damaſum Papam.

NB. Imperatores non ut Judices adſunt Conciliis, ſed ut præſentia ſua cohoneſtent, Synodum defendant, & externa auxilia præſtent; Ita S. Ambroſius. Id agnovit inter alios Conſtantinus Imperator lib. 1. cap. 1. apud Ruffin. ubi ita alloquitur Patres Nicææ congregatos: *Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi; & ideo nos a vobis recte judicamur.*

7 Coroll. 2. Ad Summum Pontificem pertinet etiam definire, quinam libri Canonici, qui apocryphi (NB. Canon eſt id, quod certo numero, aut limitate definitum eſt) habendi ſint. Invenies autem Canonem S. librorum apud Gelaſium Papam. Apocryphi dicuntur, quorum authoritas obſcura, & qui ab Eccleſia in Canonem Scripturarum relati non ſunt.

8 Coroll. 3. Symbolum Fidei ordinare, aut de novo edere ad ſummum Pontificem ſpectat. Ita S. Thomas: *Quia nova editio Symboli neceſſaria eſt ad vitandum errores. Ad illius ergo authoritatem pertinet editio Symboli ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ ſunt Fidei.*

NB. Quadruplex eſt Symolum. I. Apoſtolicum. II. Nicænum. III. Conſtantinopolitanum. IV. Athanaſianum. Cur Symbolum Nicænum (a) publice in Miſſa cantari ſoleat, ratio eſt: quia eſt declarativum Symboli Apoſtolorum (quod occulte legitur in Horis) & quia conditum tempore pacis, Fide jam manifeſtata: At Symbolum Apoſtolicum, tamquam fervente perſecutione conditum, juxta primam ſuam originem quaſi occultatur.

„ (a) Quod in Miſſa canitur Symbolum, Conſtanti-
„ nopolitanum proprie, non Nicænum eſt; quin & po-
„ ſteriora additamenta habet nonnulla, ex quibus Græ-
„ ci in Latinam Eccleſiam invidiam crearunt.

NB. Symbolum Fidei Articulis ſuis conſtat. Articulus autem eſt ſectio, ſive membrum quoddam totius Symboli, continens in ſe peculiarem revelationem a Deo Eccleſiæ factam, ad vitæ æternæ conſecutionem.

Tria requiruntur ad Articulum Fidei ſtricte, & proprie ſumptum. 1. Ut contineat diſtinctam, & propriam credendi difficultatem, quæ per revelantis Dei authoritatem ſuperanda ſit. 2. Ut contineat veritatem Fidei per ſe, & non per accidens revelatam.

NB. Diſtinctio Articulorum Fidei in Symbolo ab aliis eſt, quia per illos directe ordinamur ad beatitudinem conſequendam; alia vero, quæ indirecte ob aliorum intelligentiam revelata ſunt. V. C. Quod Abraham duos filios habuerit &c. non, proprie loquendo, cenſentur Articuli, quamvis reducantur ad Fidei Articulos, quæ æque credi debent; ideo, late loquendo, Articuli, ſeu propoſitiones Fidei non male dicuntur.

NB. Licet pro numero Apoſtolorum duodecim Articuli numerentur, tamen ſecundum numerum rerum credendarum quatuordecim a Doctoribus depinguntur. Septem ad Divinitatem pertinent. Septem incarnati Chriſti opera explicant.

10 Coroll. 4. Ad Summum Pontificem etiam pertinet, hæreſes judicare, & condemnare. Conſtat Aſſertio ex dictis.

CAPUT VIII.

An, & quatenus Fides neceſſaria ſit neceſsitate medii ad ſalutem?

1 FIdes divina ſupernaturalis alia eſt habitualis, quæ ineſt infantibus baptizatis; alia actualis, quæ utentibus ratione competit. Actualis duplex eſt. Alia explicita, alia implicita, per quam ſcilicet Fidei propoſitio non in ſe ſpeciatim (uti in explicita) ſed in aliqua alia, in qua implicite continetur, generatim creditur. V. C. Qui credit, verum eſſe, quidquid Eccleſia credendum tradit, is etiam implicite Myſterium SS. Trinitatis, Incarnationis, &c. credit.

2 Supponendum I. Duobus modis aliquid dici neceſſarium ad ſalutem, neceſſitate medii, & præcepti. Neceſſitas medii eſt, ſine quo homo, etiam ſine culpa ſua, ſalvari non poteſt; uti Baptiſmus in infantibus, & pœnitentia in adultis lapſis. Neceſſitas præcepti eſt, ſine cujus executione homo ſalvari non poteſt, ſi exequendi facultas ſuppetat: Secus, ſi propter ignorantiam, vel aliam impotentiam a præcepto excuſetur.

3 Aſſ. 1. Fides habitualis neceſſarium medium ad ſalutem tam parvulis, quam adultis ſemper fuit. Ratio: Quia anima non eſt accepta Deo, ſupernaturalium bonorum largitori, niſi ſupra naturæ vires elevata, ſecundum intellectum ornata ſit habitu ſupernaturalis cognitionis, aut Fidei; ſecundum voluntatem vero habitu ſupernaturalis amoris.

Aſſ. 2. Actualis, & explicita unius Dei Fides ſupernaturalis neceſſarium medium adultis ratione utentibus fuit. Ita Apoſt. *Sine fide impoſſibile, &c.* Ratio: Deus adultos ſalvare non vult, niſi cum eorum cooperatione, atqui cooperatio hominis ad ſalutem utilis non eſt ſine Fide ſupernaturali, quia ſine ea operatio nullam habet proportionem ad finem beatitudinis ſupernaturalis: Ergo Fides neceſſaria &c.

NB. In uno caſu adultus poteſt vitam æternam conſequi ſine merito ex condigno; ſi nimirum Catechumenus imperfecte pœnitens in phreneſi baptizetur, & poſtea moriatur.

NB. Fides ſupernaturalis non ſolum neceſſaria eſt ex parte principii, ſeu auxilii divini, ſed etiam ex parte objecti; quia non ſatis eſt cognoſcere Deum ut authorem naturæ, ſed etiam ut authorem ſupernaturalium rerum, gratiæ, & gloriæ; cum talis cognitio ſit fundamentum acceſſus ad Deum.

4 Aſſ. 3. Poſt lapſum fides actualis in Chriſtum, ſaltem implicita, in veteri lege fuit medium neceſſarium ad ſalutem omnibus adultis ratione utentibus. Prob. 1. ex S. Script. Joan. 14. *Nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Secundo ratione: quia ſicut in ſtatu naturæ integræ adulti non potuiſſent ſalvari ante lapſum ſine cognitione Dei Creatoris, & Sanctificatoris; ita in ſtatu lapſæ naturæ ſalvari non poſſunt ſine cognitione Chriſti Redemptoris, & Medici humani generis. Vult enim Deus, ut homines quærant Medicum animarum, Chriſtum; at non poſſunt illum invenire ſine fide.

Neceſſitate præcepti debebant habere explicitam, ſaltem confuſam, Fidem de Chriſto Redemptore, ſecundum modum revelationis ipſis factæ.

5 Probabile eſt, Fidem explicitam SS. Trinitatis, &c. non eſſe neceſſarium medium ad ſalutem poſt Evangelii promulgationem: Quia non poteſt ex Scriptura probari.

Nam Gentiles invincibiliter ignorantes Fidem Chriſtianam poſſunt cum auxilio gratiæ divinæ credere Deum authorem ſupernaturalium donorum, in eum ſpem ſuam collocare, & diligere ſuper omnia, & ſic juſtitiam coram Deo conſequi; quamvis non ſine implicita Fide in Chriſtum. Nam *ſicut in Adam &c.* 1. Cor. 15. Secundo: Quia rudes Chriſtiani non explicite credunt Myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis. Deinde quid dicemus de ſurdis, & mutis, quibus baptizatis reliqua Sacramenta miniſtramus?

Contraria Sententia etiam probabilis: Quia *qui non credit in eum, jam judicatus eſt.* Joan. 3. Sed refutatur per hoc, recte inde oſtendi non quidem neceſſitatem medii abſoluti, ſed præcepti iis incumbentis, quibus annuntiatum eſt.

NB. In nova lege requiritur explicita, & diſtincta Fides, ſcilicet eſſe hunc Dei Filium, unum in natura cum Patre, & Spiritu Sancto, diſcretum perſonaliter (a). In veteri tamen lege ſufficiebat Fides confuſa de Chriſto venturo.

„ (a) Adnotanda eſt hic propoſitio LXIV. inter da-
„ mnatas ab Inn. XI. an. 1679. *Abſolutionis capax eſt*
„ *homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fi-*
„ *dei, & etiamſi per negligentiam culpabilem neſciat my-*
„ *ſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri*
„ *Jeſu Chriſti.*

CAPUT IX.

Quæ fides, aut rerum divinarum cognitio neceſſaria ſit neceſſitate, præcepti?

1 ASſert. I. Hominibus impoſitum eſt præceptum a Deo de actu Fidei ſupernaturalis: Nam incumbit ipſis lex naturalis ad finem ſuum tendendi, ad quem creati ſunt a Deo. Initium autem hujus viæ, qua ad Deum ut finem noſtrum tendimus, eſt Fides. Heb. 11. Nam *accedentem ad Deum oportet credere.* Hoc autem præceptum Fidei non eſt in Decalogo, ſed tamquam fundamentum præſupponitur.

Aſſert. 2. Hominibus etiam præceptum de credendo Redemptore Chriſto impoſitum eſt, ſecundum menſuram revelationis, pro temporum, aut perſonarum varietate factæ. Cum enim Chriſtus Caput, Dux, Via, & Medium ad vitam æternam a Patre conſtitutus ſit, convenit, ut hoc Caput, hunc Ducem, &c. cognoſcant.

NB. Judæi obſcurum Redemptorem aliquem credebant, nec opus erat ſpeciatim credere hunc fore Filium Dei (quia hoc nobis clare revelatum) niſi Adamo, Henoch,

Job,

Job, &c. Patriarchis, quibus ſpeciali gratia Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis revelatum fuerat.

2 Aſſert. 3. In lege Evangelica adultis ratione utentibus neceſſaria eſt neceſſitate præcepti actualis, & explicita Fides Articulorum, ſaltem ſecundum ipſorum ſubſtantiam, licet conceptu imperfecto apprehendantur: Quia id exigit profeſſio hominis Chriſtiani, nec non Catechumeni ad Baptiſmum.

NB. Quod ſi qui ſint adeo rudes, ut nullis prædicationibus ob penuriam inſtructorum ex invincibili ignorantia ſolum credant quidquid Eccleſia credat, excuſandi a mortali ſunt, & ſalvandi.

Parochi tenentur tales inſtruere, & ſub Cenſuræ pœna poſſunt cogi.

3 Aſſert. 4. In omni hominum ſtatu neceſſitate præcepti credi, vel cognoſci ea omnia debent, quæ vel fidei exercendæ, vel honeſte vivendi cauſa ad ſalutem requiruntur. Sic olim in veteri lege credi debuit animæ immortalitas, hominem egere gratia, & juſtitia, ſub Moyſe Circumciſio: In lege nova Miſſæ ſacrificium, & ut ſeptem Sacramenta religioſe colantur. Item fideles obligati ſunt, ut ſciant Pater, Ave, Credo, decem Præcepta Decalogi, & S. Eccleſiæ ſi non verbotenus, ſaltem ſecundum ſubſtantiam.

NB. Obligatio memoriter mandandi Pater, Ave, Credo, decem Præcepta, eſt ſolum ſub veniali.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum rudes & indocti admonentur de eliciendo actum Fidei circa exiſtentiam Dei, & circa articulum de Deo ut Remuneratore, excitandi ſunt ad credendum Deum Auctorem Gratiæ, &c. & Datorem præmii æterni; etenim, ut dictum eſt, hujuſmodi per ſe reſpicit Fides, & aliunde rudes quandoque credunt, Deum eſſe ex rebus naturalibus, quæ vident: ſicut etiam multoties in praxi non ſolent ab ipſo expectare, niſi bona naturalia, ſcilicet ubertatem fructuum &c.

II. Pœnitens ignorans articulum vel de Dei exiſtentia, vel de Deo Remuneratore, nullatenus eſt capax abſolutionis: etenim iſta explicite credenda eſt in omnium ſententia de neceſſitate medii ad juſtificationem, unde etiamſi quis ea inculpabiliter ignoraret, non eſſet capax acquirendi Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ.

III. Si Pœnitens ignoret Myſteria Trinitatis, & Incarnationis, obſervandum diligenter eſt, an ea ignoraverit vincibiliter, vel invincibiliter. Si vincibiliter, utpote cum ſemper fuerit in ſtatu peccati gravis, non addiſcendo ea, ad quæ ſub gravi tenebatur, cogendus eſt ad repetendas omnes anteactas Confeſſiones. Si vero invincibiliter, tunc Confeſſarius non cogere debet Pœnitentem ad repetendas præteritas Confeſſiones, cum enim probabile ſit, notitiam prædictorum Myſteriorum non eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem, valde etiam probabile eſt, ſi aliud non obſtet, præteritas Confeſſiones fuiſſe validas, adeoque non eſſe repetendas. Antequam tamen iterum abſolvat, debet Confeſſarius Pœnitentem circa præfata Myſteria inſtruere; etenim dum agitur de Sacramento conficiendo, ſequi debemus opiniones tutiores, & contrarium damnavit Innocentius XI. in prima propoſitione; & proinde, ne exponat periculo nullitatis Sacramentum, ſi forte notitia Trinitatis, & Incarnationis ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, debet pœnitentem de iis, antequam abſolvat, inſtruere. Hic etiam adnotare oportet Innocentium XI. ſub n. 64. ſequentem damnaſſe propoſitionem: *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. Chriſti.*

IV. Si Pœnitens ignoret culpabiliter ea, quæ tenebatur ſcire neceſſitate præcepti, tunc, ſi cum tali ignorantia alias confeſſus eſt, debet iterum eadem peccata confiteri, & dolere de ignorantia graviter culpabili, cum propoſito addiſcendi ea, ad quæ tenetur; neque enim valide, & licite confeſſus eſt ſua peccata, cum ratione talis ignorantiæ eſſet in ſtatu peccati mortalis. Si vero inculpabiliter ignoraverit, quia e. g. numquam advertit ſe neſcire ea, ad quæ ſcienda ſub gravi tenebatur, tunc ſi habeat verum propoſitum addiſcendi, poteſt abſolvi antequam inſtruatur, etenim ſine notitia eorum, quæ tenemur ſcire neceſſitate præcepti, poſſumus conſequi Gratiam virtute Sacramenti. Cæterum, ſi Pœnitens bis, aut ter admonitus de obligatione addiſcendi ea, quæ tenetur ſcire neceſſitate præcepti, negligat huic obligationi ſatisfacere, non eſt abſolvendus, donec prædicta ſciat, quia dedit juſtum motivum ſuſpicandi de veritate ſui propoſiti; & quia valde neceſſarium eſt, ut ex dilatione abſolutionis moveatur ad cogitandum quam grave malum ſit ignorantia, qua laborat.

V. In caſu, quo Confeſſarius inſtruere deberet Pœnitentem conſtitutum in articulo mortis, omnino curet inſtruere circa Myſteria neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, & ab ipſo actum Fidei explicitum de iiſdem Myſteriis exigat. Non opus eſt deinde, ut defatigetur Infirmus ea memoriter addiſcendo, ſed excitandus eſt ad actum doloris de præterita negligentia, tum in iis addiſcendis, ſicut in addiſcendis, ad quæ tenebatur neceſſitate præcepti, & ad propoſitum emendationis, & poſtea auditis, quantum fieri poteſt, aliis peccatis, non eſt differenda abſolutio.

VI. Curare debet doctus Confeſſarius, Pœnitentes plene inſtrui de obligationibus ſui ſtatus, ut illis poſſint ſatisfacere, & ſi iiti, poſtquam fuerunt admoniti, ſint negligentes in iis addiſcendis, debent arceri a Sacramentis, uſque dum a ſe repellant ignorantiam. Id autem maxime advertere debet in audiendis Confeſſionibus aliorum Confeſſariorum. Solet non raro accidere quod aliqui poſtquam fuerunt approbati, vel adepti aliquod Beneficium, parum, ſeu nihil ſtudeant morali Theologiæ, adeoque paulatim obliviſcantur eorum, quibus jam ſtuduerunt, cum maxima plure pendeant a Legibus poſitivis. Hinc videmus quandoque Rectores Animarum maxima laborare ignorantia in propriæ, aliarumque Animarum, perniciem. Serio igitur, & graviter admonendi ſunt; & ſi ſtudio, quod neglexerunt, iterum incumbere nolint, utpote impares ad ſatisfaciendum ſuo muneri; non ſunt capaces Sacramentalis abſolutionis.

VII. Cum ex ſupradictis videmus unumquemque Fidelem plura ſcire debere ſub gravi culpa, ſequitur, Confeſſarium teneri non rero interrogare Pœnitentem de Doctrina Chriſtiana; cum enim interrogare teneatur de peccatis, quæ prudenter timere poteſt commiſiſſe Pœnitentem, pluries interrogare tenebitur de Doctrina Chriſtiana, ut cognoſcat, an Pœnitens ejuſdem habeat ignorantiam graviter culpabilem. Quamvis autem, ordinarie loquendo, de ea non ſint interrogandæ Perſonæ frequenter ad Confeſſionem accedentes, literis vacantes, honeſte educatæ, ſicut etiam Nobiles; nihilominus quoad duo ultima genera perſonarum hujuſmodi regula non eſt univerſaliter vera. Poteſt igitur accidere, quod vir alias honeſte educatus, ſeu Nobilis poſt adoleſcentiam diu ſe cœno vitiorum inquinaverit; ac proinde ratione peccatorum, quæ mentem excæcant, & deſidiæ in legendo ſanctos libros, oblitus ſit eorum, quæ didicit in pueritia.

Curet autem Confeſſarius interrogare Pœnitentes de doctrina Chriſtiana, quoad fieri poteſt, clare, breviter, & diſtincte, ne nimis terreantur. Exempli gratia, ſi interrogetur ruſticus quæ Perſona fuerit Incarnata, fortaſſe ſeu primam, ſeu tertiam reſpondebit: ſed ſi iterum interrogetur, an Pater, ſeu Filius carnem aſſumpſerit, facile reſpondebit Filium. Alia exempla ſupra dedi de eo, qui ignoraret articulum *Communionis Sanctorum* ſub his vocibus, quem tamen ſciret, ſi alio modo interrogetur.

CAPUT X.

Quo tempore præceptum Fidei divinæ obliget?

1 NB. DUo ſunt præcepta Fidei ſecundum actum internum. Unum affirmativum, ut credamus myſteria Fidei a Deo revelata. Alterum negativum, ut non diſſentiamus Fidei myſteriis, nec de eorum veritate dubitemus.

2. Aſſ. 1. Negativum non diſſentiendi, nec dubitandi de Articulis Fidei, poſtquam ſufficienter propoſiti nobis ſunt, obligat. 2. Affirmativum exercendi internum actum non omni tempore obligat, ſed in certis caſibus. 1. Quamprimum homini propoſita ſunt Fidei myſteria, tenetur ſtatim aſſentiri: Quia hoc Jure naturali pertinet ad officium viatoris, ut, dum in via eſt, ad propoſitum ſibi finem tendat; id autem præſtare non poteſt, niſi finem ſuum, qui Deus, ac beatitudo eſt, & quæ ad hunc finem conſequendum neceſſaria ſunt, cognoſcat, & credat.

Tunc myſteria Fidei alicui ſufficienter propoſita cenſentur, quando ex notis propoſitis adeo apparet credibilitas, ut ſecundum regulas prudentiæ moveri debeat ad Fidem acceptandam. Regulæ prudentiæ ſunt mirabilis ordo machinæ mundi, & dependentia ab aliquo ſuperiore gubernatore, item perſuaſio tot millium hominum prudentium. Accedit longe ſecurius eſſe Fidem hanc, quod Deus ſit, acceptare, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit, ne, ſi non acceptetur, nihil muneris, ſed pœnam potius ab eo homo conſequatur.

NB. Turcæ, & Hæretici, cum de noſtra Religione audiunt, & dubitare incipiunt, tenentur ponderare, atque utrimque ponderatis tenentur ob notas, quibus noſtram Deus ornavit, acceptare, etiamſi eorum Secta eis veriſimilis videatur.

Secundo: Exercitium Fidei obligat in extremis; tunc enim homo magis tentatur contra fidem: Idcirco tentatio illa contrario actu Fidei ſuperanda eſt. (a)

„ (a) Tertio obligantur Fideles aliquoties in vita
„ actus fidei, ſpei &c. elicere, & ſæpius quam in ſingulis
„ quinquenniis, alias incurreretur in propoſitionem VI.
„ inter damnatas ab Inn. XI. an. 1679. *Probabile eſt,*
„ *ne ſingulis quidem rigoroſe, quinquenniis per ſe obliga-*
„ *re præceptum charitatis erga Deum.*

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quando præceptum Fidei obligat per ſe, tunc non exercere Fidei actum, eſt ſpeciale peccatum contra Fidei Virtutem, cujus præceptum non obſervatur: quando vero obligat per accidens, cum non obliget niſi ratione alterius virtutis, quæ non poteſt ſine Fidei actu exerceri, ejus omiſſio non eſt ſpeciale peccatum, ſed ſolum peccatur adverſus Virtutem, ad cujus actum quis tenebatur. Hinc ſi quis, dum tenebatur ad eliciendum actum Charitatis, omiſit actum Fidei, qui ad actum charitatis prærequiritur, ſufficit ſi in confeſſione ſe accuſet de omiſſione actus Charitatis. Hæc ſi non obſervet Confeſſarius, non poteſt rectum judicium facere de ſuo pœnitente.

II. In praxi non niſi rariſſime peccant Fideles contra præceptum de eliciendis actibus Fidei, vel quia non fuerunt inſtructi de tali obligatione, vel quia illius obliviſcuntur, vel quia de facto ſæpius actus Fidei internos eliciunt. Quis enim eſt, qui dum recipit ſacramenta, dum Miſſam audit &c. Fidei actum non exerceat, quamvis multoties ad illum non attendat?

CAPUT XI.

De præcepto externæ Fidei confeſſionis.

1 ASſert. I. nullo caſu licet externa voce, aut ſigno Fidem negare. Eſt ſententia Chriſti Domini apud Matth. 10. *Qui me negaverit &c.* Nam eſt præceptum negativum, V. C. *Ne Fidem veram abneges.* Præcepta autem negativa, utpote Juris naturalis, ſemper obligant.

Quod ſi ficto animo neges, & tamen interne maneas conſtans. Reſp. Licet ſecundum Sanchez vere non fias hæreticus, tamen in re graviſſima mentiris. Quare Chriſtus Luc. 9. *Qui me erubuerit coram hominibus, &c.*

2 Fidem exterius fateri non eſt ſemper neceſſarium, ſed licitum interdum diſſimulare, & tacere. Ratio: Quia præceptum de confeſſione Fidei eſt affirmativum, quod non obligat ſecundum omne tempus, ſed in

certis

certis caſibus, ſeu concurrentibus debitis circumſtantiis obligat, ſi neceſſe videatur ad cultum Dei, aut ſpiritualem utilitatem proximi, aot ad propriam ſalutem tuendam. V. C. Si ex tua taciturnitate ſequitur contemptus Religionis Catholicæ, proximorum ſcandalum, teneris Fidem fateri; & ſi ex tua confeſſione augmentum Religionis, aut cultus divini conſequitur, teneris etiam cum periculo vitæ.

NB. Sine neceſſitate, ant utilitate Fidem apud hæreticos fateri temerarium eſt.

3 NB. Simulare, quod non eſt, non licet, quia eſt mendacium intrinſece malum; diſſimulare vero, quod eſt, ſive veritatem, & ob id verbis, aliisve ſignis ambiguis uti, quandoque licitum eſt, ſi ſcilicet non tenearis roganti reſpondere. V. C. Si vilis homo rationem Fidei a te poſcat, ſi neges, te Catholicum eſſe, peccabis graviter: At, ſi taceas, aut dicas, *quid ad te?* non peccas. Si vero Magiſtratus, aut perſona publica te interroget, tunc peccas, ſi non fatearis. Ratio: Quia talis diſſimulatio cum ſcandalo, & Catholicæ Religionis detrimento juncta eſſe ſolet.

NB. Si ficto animo dicas, te eſſe Turcam, aut Hæreticum, aut alio ſigno alienam Religionem ſimules, peccabis ob circumſtantiam occurrentem.

4 Probabile eſt, non eſſe peccatum mortale ob gravem cauſam, V. C. mortem evitandam, aut juſtam ab hoſte victoriam reportandam uti veſtibus Gentilium. Ratio: Quia tales veſtes per ſe, ac directe non ſunt proteſtativæ falſæ Religionis, ſed res ſunt per ſe indifferentes. Ita etiam ſacerdos iter faciens per terras hæreticorum inſtar laici incedens non peccat, quia non tenetur ſtatum ſuum veſtibus oſtendere. Eſtque magna diſtinctio inter verba, & veſtes: Nam verba per ſe ſubordinata ſunt conceptibus ad rem ſignificandam; at veſtes per ſe ſunt ordinatæ ad tegendum.

Nota: Non licet occultis Catholicis ſumere cœnam cum hæreticis: Quia per circumſtantias perſonarum, loci, &c. determinatur ad ſignificandum cultum Religionis hæreticæ.

5 Licet vero comeſtio carnis ſecundum ſe ſit indifferens, tamen ſpectatis circumſtantiis, V. C. ſi in loco hæretico diceretur tibi die Veneris: *Qui Evangelicus eſt, ſive Papæ inimicus, comedat carnes*; peccabis, ſi non proteſteris, dicendo, hoc non debere eſſe ſignum explorandæ Religionis, cum multi etiam Catholici licentiam habeant. Quid ſi irridereris non comedendo? Si non gravius periculum, quam hoc, tibi immineat, teneris abſtinere.

NB. Si ſine ſcandalo audias Concionem hæreticam, ut errores hæretici Miniſtri notes ad confutationem, permittendo hominibus falſam perſuaſionem, te hæreticum eſſe, non peccabis.

6 Quod vero a publico hæretico Magiſtratu cogaris ad hæreticam Concionem, cum id directe tendat ad coactionem ad hæreſin graviſſimam, peccabis, ſi pareas; ut conſtat ex Pauli V. Pontificis Epiſtola ad Anglos.

Ex Decretis Pontificum tenentur beneficiandi, Parochi, graduandi, facere profeſſionem Fidei.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum nomen Chriſtiani, Papiſtæ &c. aſſumitur *ut nomen Religionis*, non licet explicite negare ſe eſſe Chriſtianum, ſeu Papiſtam: etenim qui negat ſe eſſe Papiſtam &c. negat ſe adhærere Fidei Eccleſiæ Romanæ. Hinc neque licitum eſt affirmare ſe eſſe Turcam, Calviniſtam &c. quia hoc idem eſt ac dicere, ſe negare Fidem Catholicam. Dixi, ſi aſſumatur *ut nomen Religionis*, nam ſi quis e. g. tempore belli interrogaretur a Turca an ſit Chriſtianus, non eſſet proprie inquirere de ipſius Fide, ſed potius an ſit Turcarum hoſtis; unde tunc negare ſe eſſe Chriſtianum, non eſſet negare Fidem Chriſtianam.

II. Non licet Chriſtiano, occulte degenti apud Idololatras, thus adolere Idolo, ne detegatur; cum etenim talis actus ſit de ſe primo inſtitutus ad ſignificandum cultum Religioſum, qui talia ageret, ſignificaret externe illud Idolum dignum eſſe cultu, quod eſt idem ac externe factis profiteri falſam religionem, & externe negare Fidem Chriſtianam; cum non poſſit externe approbari falſa religio, quin ſimul religio vera ipſi contraria reprobetur.

III. Non licet Catholico ad ſe occultandum uti veſtibus Infidelium per ſe primo inſtitutis ad proteſtationem falſæ religionis, ut eſt veſtis Summi Sacerdotis apud Judæos, & quædam veſtes habentes depictas Imagines Mahumethi, vel alicujus Idoli apud Turcas, & Gentiles. Ratio eſt, quia, licet uſus talium veſtium de ſua natura eſſet actio indifferens, attamen cum de ſe primo inſtitutæ ſint ad falſam fidem proteſtandam, idem eſſet ſe talibus veſtibus induere, ac factis profiteri illam religionem. Ad eum modum quo, licet Cœna Calviniſtica ſit de ſe actio indifferens, attamen non licet Catholicis illi intereſſe, utpote per ſe primo inſtitutæ a Calviniſtis ad proteſtandam ſuam Sectam, & non eſſe Chriſtum realiter præſentem in Euchariſtia.

Dumtaxat ergo licitum erit Chriſtiano deferre in ipſorum regionibus veſtes Infidelium, quæ ſolummodo ſunt propriæ illius nationis, & non ſunt falſæ religionis indicativæ. Secundo licitum erit ob honeſtam cauſam deferre veſtes Infidelium, quibus diſcernuntur homines unius ſectæ ab alia, ut ſunt Tobalia apud Turcas, quæ deferunt Exploratores Chriſtianorum, & alii, qui ſe volunt in eorum terris occultare. Ratio eſt; quia ſicut licitum eſt ob honeſtam cauſam uti verbis æquivocis, licet non in vero ſenſu ſumantur ab audientibus, dummodo ea proferens intendat proferre juxta verum ſignificationem, ita poterit quis uti ob honeſtam cauſam veſtibus Infidelium ob finem ipſorum primarium, qui eſt tegere corpus, relicta quacumque alia ſignificatione. Addendum quod licet ratione ipſarum veſtium diſtinguatur e. g. Turca a Chriſtiano, non tamen ullo pacto eaſdem veſtes uſurpantur ad proteſtandam falſam Mahumeti religionem, ſed ad diſtinguendos ſubditos Magni Turcæ ab aliis: Ad eum modum, quo geſtantes Romæ pileum flavum diſtinguuntur a Chriſtianis; at geſtatio illius pilei non eſt ſignum proteſtativum Judaiſmi: ſi hoc enim eſſet, non poſſent Pontifices præcipere Judæis, ut illud ſignum geſtarent.

IV. Licitum eſt Catholico curioſitatis gratia ingredi Templum Hæreticorum, & Synagogas Judæorum, dummodo eorum cæremoniis, vel precibus peculiaribus illius ſectæ nullatenus communicet. Ratio eſt, quia de ſe hujuſmodi ingreſſus non eſt proteſtatio falſæ religionis, dum enim Judæi vident Catholicum ſuam Synagogam intrare, & Hæretici ſuum templum, interpretantur id facere, ut de eorum ritibus certiores fiant. Id tamen verificatur quando hujuſmodi ingreſſus non eſt frequens; nam tunc, qui ita ſe gereret, ſe periculo perverſionis committeret, ſcandalum præberet, & glorioſiores redderet Hæreticos, ſive Judæos. Advertendum etiam eſt ne Principes hæretici cogant Catholicos adire Templa, & audire conciones hæreticorum in honorem ſuæ falſæ religionis; id enim, ultra periculum perverſionis, & ſcandali, non eſſet ſine plauſu, honore, & incremento hæreſis; quod eſt intrinſece malum. Hinc Paulus V. in Bulla edita anno 1606. definivit, Catholicos non poſſe præfatis Principibus obtemperare.

V. In gravi neceſſitate licitum eſt Catholico, ut ſe occultet apud hæreticos, veſci carnibus diebus ab Eccleſia prohibitis, quia Eccleſiæ præcepta non obligant cum gravi incommodo; & aliunde de ſe eſus carnium non eſt proteſtatio falſæ religionis; cum etiam inter Fideles, abſque eo quod arguantur erroris in Fide, quandoque comedantur e guloſis diebus prohibitis. Nec refert, comeſtionem carnium uſurpari apud hæreticos in ſignum adeptæ libertatis a jugo Eccleſiæ Romanæ; remoto etenim ſcandalo, & veræ religionis contemptu, talis comeſtio de ſe primo eſt ordinata ad naturæ ſuſtentationem, qua ratione dicit *S. Th. in 4. d. 38. q. 2. a. 4. q. 3. ad 3.* licitum eſſe veſci Idolothyto, quando id ſit neceſſarium ad ſui ſuſtentationem, & non adſit religionis contemptus. Verum in praxi puto difficillime licere Catholicis veſci carnibus diebus prohibitis coram hæreticis, quando id cum eis præſtent hæretici in proteſtationem ſuæ Sectæ, ſicut enim nequam licet intereſſe Cœnæ Calviniſticæ, quia quamvis comeſtio de ſe primo ordinata ſit in ſuſtentationem naturæ, attamen præfata Cœna a Calviniſtis ordinata per ſe primo eſt ad proteſtationem ſui erroris; idem dicendum eſt de eſu carnium in præfatis circumſtantiis.

VI. Ultima regula ſit, non poſſe dari externam Fidei negationem, quæ non ſit peccatum mortale. Ratio eſt, quia ideo dictum eſt nunquam licitum eſſe externe Fidem negare, quia id eſſet taliter mentiri, ut externe diceretur falſum eſſe id, quod Deus revelavit, quod in quacumque materia dicatur, non eſt ſine gravi irreverentia contra Deum Primam Veritatem.

CAPUT XII.

De Infidelitate, ejuſque ſpeciebus.

1 DUplex eſt infidelitas; Una materialis, quæ non eſt peccatum, utpote ſi infidelis de Fide nihil unquam audivit. De hoc Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, &c.* aut licet audivit, tamen poſt diligentem conſiderationem non deprehendit ſufficientia argumenta.

Altera infidelitas eſt formalis, cujus tres ſunt ſpecies. Aut enim infidelitas adverſatur Fidei ſusceptæ in typo, aut figura, & eſt *Judaiſmus*. Vel adverſatur Fidei cum veritate ſusceptæ, eſtque *Apoſtaſia*, & *Hæreſis*, quæ ita differunt, quod illa Fidei veritates univerſim, hæc ex parte abjiciat. Vel infidelitas adverſatur Fidei non ſusceptæ, & eſt *Paganiſmus*.

2 Infidelitas ſuperat omnia peccata, quæ ad mores pertinent. Nam directe impedit remiſſionem peccatorum. Hinc illud Domini Joan. 8. *Si non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.*

3 Inter infidelitatem mere negativam, & omninò inculpatam, & inter formalem media eſt, quæ Fidei privative opponitur, & non eſt aliud, quam ignorantia in rebus Fidei culpabilis, ſed non pertinax: V. C. Si Catholicus ex vincibili ignorantia opinionem aliquam Fidei repugnantem teneat, paratus tamen eam mutare, ſi ſciret, contra Eccleſiæ ſenſum eſſe.

Aliud vero eſt in hæretico, qui, poſtquam de falſitate hæreſis ſuæ ſuſpicari cœpit, eam non deſerit. Quia prior retinet fidem habitualem, & regulam, per quam credenda a non credendis deprehendere poteſt, quæ eſt infallibilis Eccleſiæ authoritas. At poſterior, qui a communione Eccleſiæ alienus in falſa Religionis profeſſione perſiſtit, idque per craſſam ignorantiam, contumax eſt.

Nota tamen: Si qui inter hæreticos, aut infideles omnino nihil, vel non niſi obſcura quædam, & abominanda audiant, V. C. Papam eſſe Antichriſtum &c. fieri poteſt, ut tales invincibili ignorantia laborantes

Fi-

Fidei in Baptiſmo habitum infuſum retineant; quippe qui non niſi per actum Fidei ſupernaturali formaliter oppoſitum excluditur.

Deinde eas Fidei veritates, quas nobiſcum communes retinent, V. C. de SS. Trinitate, Incarnatione, credere poſſunt cum Dei auxilio, & ſalvari. Ita Sanchez.

CAPUT XIII.

De Hæreſi.

1 HÆreſis eſt *error contra aliquam Fidei veritatem cum pertinacia junctus in eo, qui Fidem ſuſcepit*. Quod additur: *Qui Fidem ſuſcepit*; eſt ratione Catechumeni, qui, licet eſſentialiter non differat ab hæreticis, ſi pertinax ſit contra Fidem; ſicut Æthiops non eſſentialiter differt ab aliis hominibus qui Æthiopes non ſunt: Tamen inchoative, & non completive, ſive formaliter membrum Eccleſiæ eſt: Idcirco ſi talis a Fide recedit, pœnis hæreticorum non ligatur.

2 Pertinacia in eo conſiſtit, quod quis, ſciens ſuam Sententiam eſſe contra Eccleſiæ authoritatem, nihilominus eam teneat, idque culpabiliter.

Si vero aliquis craſſe ignorans, ob tædium inquirendi, Catholicam Eccleſiam non profitetur, licet peccet, tamen non proprie hæreticus eſt: Quia eſt paratus, & recte affectus erga Eccleſiam, & alioquin Catholicus. Aliud eſt de Lutheranis V. C. qui veram Eccleſiam agnoſcere intermittentes ſuam Fidem falſam pertinaciter defendunt; hi enim ſunt hæretici, quia oppugnant veram Eccleſiam.

3 Parochi poſſunt abſolvere ab hæreſi materiali, prærequiſita profeſſione Fidei, & uti hac forma: *Abſolvo te a vinculo Excommunicationis, & ſpeciatim ob hæreſin, ſi incurriſti; in quantum poſſum &c.* Si tamen conſuetudo loci ſit, ut etiam materiales ad privilegiatos Confeſſarios mittantur, aut ad Commiſſarios, ſervanda eſt.

4 NB. Reformantes debent prius inſtruere hæreticos, & non dare ſchedam Confeſſionis, niſi profiteantur, ſerio ſe paratos eſſe mori in Catholica Fide.

5 Dubitans deliberate de Articulo Fidei eſt hæreticus; quia non habet ſe mere negative, ſed judicat, incertum eſſe. Excipe illos, qui inter hæreticos nati ſunt; his enim licet dubitare, donec perfecte inſtruantur. Ratio: Quia dubitatio talis non eſt juncta cum contumacia.

6 Qui diſſentit divinæ revelationi privatim ſibi factæ pertinaciter, is quidem ad hæreticos pertinet; tamen proprie non eſt hæreticus, nec pœnis ſubjectus. Ratio: Quia hæreticus proprie dicitur, qui in dogmatibus Fidei ab Eccleſia contumaciter recedit; at hoc hic non fit.

7 Nec proprie hæreticus eſt, qui negat Propoſitionem Theologicam, quæ ex una Propoſitione naturaliter nota, & altera de Fide per evidentem illationem ſequitur, dummodo ingenio adeo hebes ſit, ut illationis neceſſitatem non percipiat. V. C. *Omnis homo eſt riſibilis; Chriſtus eſt homo: Ergo.*

CAPUT XIV.

De Excommunicatione Hæreticorum.

1 HÆretici formales, ſi hæreſim externo actu prodant, aut alia actione mortaliter mala, Excommunicationem incurrunt Papæ reſervatam. Excipe pure mentales hæreticos: Et illi a quovis expoſito Confeſſario abſolvi poſſunt.

2 Nec, qui hæreſim, quam animo conceptam gerit, in ſomno profert, Excommunicationem incurrit: nam diſcrimen eſt inter homicidium, & ſimilia peccata, quæ opere externo conſummantur, & hæreſim, cujus malitia animo perficitur. Ratio eſt: Quia hæreſis in intellectu eſſentialiter conſiſtit, & perficitur: Homicidium autem in externo opere conſiſtit; ideoque verum eſt peccatum externum homicidii, tametſi fiat ab ebrio, qui tunc nihil advertit, ſive intelligit, modo prius adverterit, cum cauſam præbuit, ob quam indirecte, atque imputative ipſi voluntarium cenſetur.

NB. *Mortaliter mala* dixi; nam ſi conſilii cauſa manifeſtata fuit, Excommunicationem non inducit.

Reſolutio 1. Si quis fovens occultam hæreſim abſtineat a Miſſa, nec genu flectat, Excommunicationem hæreſis incurrit, niſi ejus omiſſio oblivioni, aut juſtæ excuſationi probabiliter adſcribi poſſit; licet ex animo hæretico proficiſcatur.

Reſol. 2. Qui carnes comedit die prohibito, ſi ſit occultus hæreticus, ſi ſine proteſtatione contraria fiat, incurrit Excommunicationem. Quia ſicut Excommunicationem incurrit, qui propoſitum percutiendi Clericum ſufficienter exequitur; ita qui hæreſim animo conſummatam ſufficienter ſignificat: Secus, ſi inſufficienter.

5 Credentes hæreſes, V. C. Lutheri, vera eſſe dogmata Fidei, licet neſciant, qualia ſint, Excommunicationem Bullæ incurrunt; quia ſpeciatim mentio fit eorum in Bulla.

Tertio: Excommunicationem Bullæ incurrunt receptores, fautores, defenſores, intellige, hæreticorum, quatenus hæretici ſunt, ut hæreſim ſuam docere, defendere, & diffundere poſſint: Ita Judices, ſi non capiant hæreticos.

Uxorem, aut patrem fovere, occultare, ne veniant in manus Inquiſitorum, non meretur Excommunicationem: Quia perſona tam conjuncta alicui quaſi eadem cum ipſo reputatur, quam non defendere valde difficile eſt. Ita Simanca (a).

„ (a) Excipe tamen, niſi Pater, maritus ſint hæ-
„ retici dogmatizantes; tunc enim tenentur illos de-
„ nunciare propter bonum publicum Religionis.

NB. Non incurritur Excommunicatio ab hæretici fautore, receptore, defenſore, niſi malus effectus ſequatur, ut ſcilicet hæreticus ob tale ipſi auxilium præſtitum manus Judicis evadat, aut hæreſim magis diffundat. Cum enim in Canonibus Eccleſiaſticis contrafaciens alicui rei principaliter excommunicetur, acceſſorie autem mandans, conſulens, aut faciens; tunc hi Excommunicationem non contrahunt, niſi ſecuto effectu, ſecundum receptam Doctorum Sententiam: Atqui in Bulla principaliter excommunicantur hæretici, acceſſorie vero, & ſecundum extenſionem eorum fautores &c. Ergo iſti non incurrunt Excommunicationem, niſi ex favore, ſive auxilio malus effectus ſequatur.

CAPUT XV.

De Excommunicatione Lectorum hæreticorum librorum.

1 ASſertio. Excommunicationem Bullæ, ubi recepta eſt (nam juxta Becanum in Germania non eſt recepta, nec Index) incurrunt lectores librorum hæreticorum, plus quam paginam legentes, etiam in voluminibus. Non autem legens in libro Catholico hæreſes inſertas pravo licet affectu; quia lege Canonica non punitur affectus, ſed factum. Idem dicendum, ſi in libro hac Bullæ excommunicatione non comprehenſo legas adjecta ſcholia, ſeu annotationes Auctoris hæretici.

2 NB. Niſi ſcholia aut commentarii tam copioſi eſſent, ut liber cenſeretur hæreticus. Nec qui Catholicum librum legit, licet contineat hæreſes.

3 Nec qui epiſtolam, aut Concionem necdum in formam redactam legit: Quia verba pœnalis legis ſtricte accipienda ſunt.

4 Nec qui legunt Hiſtoricos, aut Poetas, Juridicos, aut Medicos, non ex profeſſo tractantes hæreſes, licet mixtas hæreſes contineant, quia in his Septentrionalibus partibus hæc Bullaris Conſtitutio non recepta eſt. Nec Regula VIII. Indicis librorum ad nos Germanos pertinet, quia non ſunt hic Inquiſitores.

NB. Nec incurrunt, qui non ſcienter legunt, licet craſſe. Nam quotieſcunque lex pœnalis ſcientiam requirit, excuſat ignorantia etiam craſſa. Sufficit autem ſola curioſitas.

Quod ſi vir doctus quærat locum in libro hæretico ad confutandum, non peccat: Quia lex naturalis charitatis erga proximum vincere debet legem Eccleſiaſticam. Quam cauſam eſſe arbitror, cur in quibuſdam Provinciis lectio librorum hæreticorum non tanta ſeveritate prohibita cenſeatur; quia ad confines hæreticos convincendos neceſſarium putatur, eorum libros legiſſe.

5 Excommunicationem incurrunt, qui legunt Proœmium in notabili quantitate; quia ſummam totius libri continet.

6 Audientes legere libros hæreticorum excommunicantur: Quia quod quis per alium &c. Hæc enim fuit mens Summorum Pontificum; alioquin cuilibet in fraudem legis agere perquam facile eſſet.

NB. Sua-

NB. Suadentes legere, modo ipſi non attendant, licet peccent, tamen non excommunicantur, niſi malignus effectus hæreſis ſequeretur.

7 NB. Retinentes libros, tempore notabili, excommunicantur.

8 Libri in Indice prohibiti, licet nullum errorem contineant, tamen non legendi ſunt: Quia damnato authore in genere Religionis, damnata cenſentur omnia ejus ſcripta de Religione.

Nota diſcrimen inter libros prohibitos. Primæ claſſis habent annexam Excommunicationem reſervatam: Secundæ non reſervatam (reg. 7. obſcœni, reg 8. magici, ſed non contrahitur Excommunicatio, licet mortale peccatum) reg. 4. prohibentur Biblia. Sed non recepta in Germania.

9 Laudabiliter libri hæretici comburuntur. Teſtatur id Clemens Lib. 1. Apoſt. Conſt. cap. 7. Ita libri Arrii, Neſtorii combuſti. Etiam libri impuri. Act. 19. *Multi ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Fuerunt hi libri magici.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si aliquis ſe accuſat in Sacramento Pœnitentiæ de aliqua hæreſi, ſeu blaſphemia hæreticali, primo interrogandus eſt, an in eam inciderit ex ignorantia inculpabili, vel etiam craſſa, & ſupina; nam tunc non ſubjacet pœnis latis contra hæreticos. Si vero non excuſetur ratione ignorantiæ, interrogandus eſt, an vere crediderit hæreſim, de qua ſe accuſat, & crediderit, an externe protulerit; nam ſi dumtaxat interne fuit hæreticus, poteſt a quocumque abſolvi. Quod ſi crediderit, & etiam externe protulit, quamvis nullo præſente, iterum interrogandus eſt, an ſciverit adeſſe excommunicationem reſervatam latam contra hæreticos. Si neſcivit, adhuc poteſt a quocumque abſolvi, nam cenſura non ligat ignorantem eamdem cenſuram, ut habetur *cap. Ut Animarum de Conſt. in 6.* Si vero non ignoraverit Cenſuram, non poteſt niſi de licentia Summi Pontificie abſolvi. Quod ſi non credidit hæreſim, ſive blaſphemiam hæreticalem, quam externe protulit, tunc denuo interrogandus eſt, an illam protulerit coram aliis; & ſi alter non adfuit, poteſt a ſimplici Confeſſario abſolvi; neque enim eſt obnoxius pœnis hæreticorum, qui etiam non habet hæreſim internam. Si vero protulit coram aliis non poteſt abſolvi a ſimplici Confeſſario, propter primum Caſum reſervatum in noſtra Diœceſi.

II. In peccato hæreſis nulla datur parvitas materiæ; in quacumque enim re, quæ alias parvi momenti reputaretur, non credere Deo revelanti, ut facit hæreticus, eſt illi facere gravem injuriam. An vero detur parvitas materiæ in lectione libri Hæreticorum; & quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum eo, qui legit, ſeu retinet hujuſmodi libros, & quoſcumque alios libros prohibitos, dixi in tractatu de Cenſuris.

CAPUT XVI.

De Apoſtatis.

1 TRiplex eſt Apoſtaſia. Prima a Fide, altera ab obedientia, tertia ab Ordine ſacro, vel Religione.

Apoſtaſia a Religione eſt criminoſa, & mortifera receſſio a Religioſi Ordinis ſine licentia Prælati inſtituto, ſine revertendi propoſito. Non eſt Apoſtata, qui ad laxiorem tranſit, licet peccet, & teneatur redire, tamen excommunicatur. Si revertendi animum retineat, fugitivus cenſendus eſt. Apoſtata, licet Habitum retineat, verus tamen Apoſtata eſt, & qui recipit talem, excommunicatur.

Apoſtaſia a ſacro Ordine eſt, cum quis a perfectiore ſtatu Clericali in majoribus Ordinibus (nam in Minoribus poteſt, dimiſſo beneficio) ad ſtatum conjugii, aut laicæ converſationis dimiſſo Habitu propria temeritate ſe transfert. Talis ipſo jure infamis, &, ſi monitus non ſe correxerit, deponendus eſt.

2 Apoſtaſia *ab obedientia*, ſi late accipitur, eſt in omni mortali. Stricte; cum quis ſe opponit juſtis præceptis Superioris. Cujus præcipua ſpecies eſt Schiſma, de quo infra Tract. 3. C. 11.

3 Apoſtaſia a Fide in toto differt ab Hæreſi, quod Hæreticus non omnino abneget Articulos Fidei: At Apoſtata a Fide eſt, qui Chriſtum, & Fidem, quam ſuſcepit, penitus abnegat.

4 Hinc omnes pœnæ Hæreticorum etiam in Apoſtatas cadunt, non autem econtra. Apoſtaſiæ ad Paganiſmum, ad Judaiſmum, vel Atheiſmum, ſpecies diſtinctæ ſunt, & ideo in Confeſſione manifeſtandæ.

Pœnæ Apoſtatarum ſunt. I. Excommunicatio in Bulla reſervata. II. Irregularitas. III. Juris infamia, extendens ſe ad filios uſque ad ſecundam generationem ex linea paterna, materna vero ad primam. Sed ad hanc pœnam requiritur ſententia Judicis declaratoria. IV. Confiſcatio omnium bonorum a die criminis commiſſi. C. cum ſecundum, de Hæret. in 6. *Bona hæreticorum ipſo jure decernimus confiſcata.* V. Si per annum in Excommunicatione perſiſtant, ſiunt inteſtabiles, & inepti ad hæreditatem adeundam. Requiritur tamen ſententia Judicis. Sicut donationes, & aliæ alienationes factæ a criminoſis confiſcationibus poſſunt reſcindi, & revocari. VI. Privatio patriæ poteſtatis in liberos, & mancipia, etiam ante ſententiam. Verum hæ pœnæ non habent locum in Germania apud Lutheranos propter fœdus initum, tacite permittente, & conſentiente Summo Pontifice, ut liberos ſuos in patria poteſtate retineant, aliiſque juribus, & immunitatibus civilibus, non item Eccleſiaſticis una cum Catholicis gaudeant. VII. Privatio Eccleſiaſticorum beneficiorum, ac dignitatum ipſo jure incurritur.

NB. Civilis pœna Hæreticorum eſt mortis ſupplicium, ſi abjurare nolint. Ratio: Quia Hæreſis eſt crimen perturbans Reipublicæ pacem non minus; quam furtum, & homicidium.

CAPUT XVII.

De Communicatione Chriſtianorum cum Infidelibus, puta, Judæis, ac Paganis.

1 COmmunicatio cum infidelibus Judæis, ne dignitas Religionis Catholicæ conſervetur, prohibetur Jure Canonico in pœnam ſpiritualem propter periculum perverſionis.

Quod ſi non formaliter, ut ſocii, conveniant, ſed per accidens, & præter intentionem, non prohibetur.

Operas tamen locare Judæis licet, modo non ſit aſſidua converſatio; ſed non licet ſubeſſe, ut iiſdem ſerviatur: Nec nutricem agere, niſi in neceſſitate, ſepoſita cohabitatione, & familiaritate.

Azymos comedens cum Judæo, & frequenter convivens, peccat mortaliter: Quia finis ab Eccleſia intentus graviter læditur. Secus, ſi ſemel proprios cibos abſque ſcandalo.

Neceſſitas excuſat comedentem cum Judæo cibos non diſcretos, aut Medicum accerſentem; item, ſi velis illos convertere.

2 Infideles bello non ſunt directe coercendi ad Fidem. Probatur: Quia poteſtas Principum ſæcularium ſolum ſe extendit ad finem temporalem, non autem ad ea, quæ ſupernaturalis ordinis ſunt. Indirecte autem poteſt fieri. 1. Negando illis jus habitationis in regno Chriſtiani Principis, niſi velint converti. 2. Imponendo illis majora tributa (modo intra limites juſtitiæ) donec fiant Chriſtiani. Nec Eccleſiaſtici Prælati poſſunt procedere contra Infideles pœnis Eccleſiaſticis; uti habetur 1. Cor. 5. Aliud eſt de Hæreticis, qui ſunt ſubjecti juriſdictioni Eccleſiæ.

3 Nec ſæculares Principes poſſunt propter idololatriam non injurioſam aliis Paganos exteros invadere. Ratio: Quia ad omnem punitionem, & vindictam juſtam requiritur juriſdictio, aut illata injuria: Ergo, ubi utrumque deeſt, ut ponimus, juſta punitio inferri non poteſt.

Cæterum propter peccata, quæ injuriam continent, licitum eſt, quandoque Infideles bello perſequi. 1. Si impiis ſuis ritibus (rapiendo) innocentes iniquo damno afficiant. 2. Si Chriſtianam Fidem contumeliis proſcindant, aut Chriſtianos pervertere conentur. 3. Si Chriſtianis prædicatoribus, cum ex Dei voluntate, atque imperio mittuntur, aditum in regiones ſuas pateſacere, vel ſuis ſubditis liberam poteſtatem audiendi concedere recuſent: Juſtæ hæ erunt cauſæ belli. Vide Becanum Cap. 13. q. 4. Concl. 3.

4 Ritus Gentilium, & Hæreticorum non ſunt tolerandi, niſi neceſſarium judicetur ad majus malum evitandum. Tit. 3. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita.*

5 Judæorum tamen ritus antiqui poſſunt permitti, non ut novas Synagogas ædificent, nec libros novos edant, quibus Chriſtiana Fides impugnatur. Nam tali immunitate Judæos convenit gaudere; quia ritus tales Evangelicam veritatem figura adumbrant, eidemque teſtimonium præbent.

Coroll. Judæorum cauſæ civiles debent apud Judicem Chriſtianum ſecundum legem Moyſis (V. C. ut filius excludat filiam ab hæreditate patris) decidi. Si autem caſus lege Moſaica deciſus non eſt, vel ſi Judæus cum Chriſtiano litiget, tunc controverſia decidi debet ſecundum Jus Cæſareum, ſeu commune regni.

6 Judæis, & Infidelibus non debet permitti, ut de novo acquirant dominium, aut juriſdictionem in fideles: Quia id cederet in ſcandalum, & periculum Fidei.

NB. 1. Infideles dominio juriſdictionis in ſubditos non ideo privantur, quod ſubditi Fidem Chriſti amplexi ſunt. Quia dominium, & prælatio Jure humano, & gentium introducta ſunt: Diſtinctio autem fidelium, & infidelium provenit ex jure divino. Jus autem divinum, quod eſt ex gratia, non tollit jus humanum, quod eſt ex naturali ratione.

7 NB. 2. Eccleſia, & Principes Chriſtiani poſſunt infideles ſibi ſubditos privare dominio in ſervos ſuos, ſi hi Chriſtiani fiant. Id conſtat ex praxi Eccleſiæ, quæ ſtatuit, ut ſervi Judæorum tum vernaculi, tum empti ad ſervitutem liberi fiant, ſi Chriſtiani fiant: Si autem empti ſint ad mercationem, teneatur eos dominus intra tres menſes venum exponere, ut a Chriſtianis emi poſſint. Ratio: Quia Princeps Reipublicæ poteſt ſubditos ſuos privare dominio non tantum rerum, ſed & perſonarum, ſi ad bonum publicum neceſſarium eſſe videatur. Adde: Si ſervi infidelium etiam non ſubjectorum Chriſtianis Principibus periculum perverſionis patiantur, poſſunt a dominio dominorum ſuorum Eccleſiaſtica poteſtate abſolvi. Tunc enim indirecte tantum exerceetur juriſdictio in ipſos Infideles, quatenus id neceſſarium eſt ad tuendum finem Eccleſiaſticæ poteſtatis a Deo conceſſæ.

TRACTATUS II.

De Spe.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Spes.

1 NOtandum primo, duas eſſe potentias hominis, quæ ſupernaturalibus donis, ac virtutibus ornari, ac perfici poſſunt, ut Deo gratus fiat: Inter Theologicas virtutes unica Fides intellectum ornat, duæ reliquæ Spes, & Charitas voluntatem. Ratio: Quia viator abſoluta cognitione non poteſt complecti Deum, ſicut eſt, ſed ſolum cognoſcere cum analogia ad creaturas, teſte Apoſt. 1. Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*. Amore autem voluntatis in Deum tendere poſſumus non tantum cum ordine ad nos, quatenus ſcilicet nobis bona promittit, ac largitur (qui eſt amor concupiſcentiæ ſuapte natura imperfectus) ſed Deum abſolute amare poſſumus, quatenus in ſe bonus, & perfectus eſt, qui eſt amor amicitiæ. Quod Apoſtolus citato loco expreſſit: *Charitas nunquam excidit*; quia eadem manet in via, & patria. Sicut etiam inter homines etiam abſentes, de quibus nunquam audivimus, propter eorum virtutes poſſumus amare; ita &c.

2 Notandum ſecundo, quod habitus Spei Theologicæ duobus modis conſiderari poſſit. Primo, adæquate in ordine ad omnes actus ab ipſo procedentes. Sic pro materiali objecto habet omne bonum, quod ſupernaturali lumine nobis divinitus provenire cognoſcimus; eujuſmodi inprimis eſt ipſe Deus ut ſupernaturalis finis, & beatitudo noſtra: Tum vero media ſupernaturalia ad ſuum finem conducentia: Denique bona temporalia, & naturalia. Horum enim authorem Deum eſſe, ſupernaturali Fide credimus: Ergo etiam ab eo per ſupernaturalem Spei actum deſideramus, exſpectamus, & tanquam a Deo provenientibus delectamur.

Secundo, poteſt habitus Spei conſiderari in ordine ad unum tantum primarium ejus actum, qui eſt exſpectatio certa beatitudinis æternæ per media divinitus ordinata. Ita communiter a Scholaſticis definitur, & eodem ſenſu ait S. Thomas: Quod Spes, uti & Fides, evacuetur in patria; tamen probabiliter dicitur, quod Spes ſecundum ſubſtantiam maneat in altera vita quoad quoſdam actus, ſcilicet quoad amorem, & delectationem de beatitudine, item deſiderium corporis glorioſi.

3 Notandum tertio, inter Fidem, & Spem magnam eſſe analogiam. 1. Quia ambæ ſecundum ſe præciſe carent perfectione ſimpliciter dicta, cum non exerceant actus potentiæ optimos; quandoquidem feruntur in Deum non ſecundum ſe, ſed cum ordine ad creaturam. 2. Sicut Fides in viatore tantum locum habet; ita Spes ſecundum primarium ſuum actum: Quare utraque circa objectum non apparens verſatur. 3. Sicut Fides duplex objectum habet, materiale, & formale; ita & Spes. Objectum materiale Fidei continet omnia bona revelata a Deo; objectum materiale Spei omnia bona, quæ nobis a Deo proveniunt, quorum primum eſt ipſe Deus. Formale Fidei eſt ſumma Dei in revelando veritas; formale Spei ſecundum generalitatem ſuam, ſeu in ordine ad omnes actus ſuos, eſt ſumma Dei bonitas, ac benignitas.

4 Si Spem conſideremus, ut eſt exſpectatio certa beatitudinis ex Dei gratia, &c. major adhuc analogia inter Spem, ac Fidem cernitur. Nam ſicut materiale objectum Fidei adæquatum ſunt omnia a Deo revelata cum ordine ad ipſum Deum, qui eſt præcipuum revelatum; ita Spei objectum materiale ſunt omnia a Deo nobis promiſſa cum ordine ad ipſum Deum, tanquam præcipuum promiſſum. Deinde ſicut formale Fidei objectum, ſeu motivum credendi eſt ſumma Dei veracitas, qui nec falli, nec fallere poteſt; ita Spei formale, ſeu motivum eſt ſumma Dei promittentis fidelitas.

5 At vero ſi Spes conſideretur ſecundum primarium actum in viatore, quæ eſt exſpectatio certa beatitudinis æternæ, ſic formale objectum Spei eſt fidelitas Dei omnipotentis in promiſſo auxilio.

Quod ſi objicias: Deus auxilians non poteſt eſſe objectum formale Spei, cum auxilium divinum ſit medium a Deo ordinatum, quod non poteſt eſſe ratio formalis, ſeu motivum; nam finis intentione prior eſt, quam media.

Reſp. Bonum abſolute amare, illud deſiderare, exſpectare, ſunt actus diverſi propter formalem rationem, ſeu motivum tendendi in objectum. Nam bonum amamus amore concupiſcentiæ, quatenus nobis abſolute conveniens eſt; deſideramus vero, quatenus abſens eſt. Exſpectamus autem bonum, quod arduum eſt, aſſecuturos nos propter mediorum efficacitatem: Quamvis enim media non ſint ratio formalis, ſeu motivum amandi, ſunt tamen ratio formalis, propter quam finem, ſeu bonum arduum nos aſſecuturos ſperamus. Sic etiam in humanis amamus rem abſolute, quia nobis conveniens eſt; deſideramus, quia abſens eſt; intendimus, quia poſſibilis eſt acquiſitu per media; exſpectamus autem, quatenus arduum bonum eſt, tamen ſuperabile, & re ipſa acquirendum propter mediorum efficacitatem.

Etenim rationes illæ formales actuum voluntatis proveniunt ab antecedente judicio intellectus: Et illi actus, ſcilicet delectatio, exſpectatio, accidentaliter differunt, quia convenientes ſunt ſecundum ſubſtantiam actus.

Definitio Spei ſtricta.

6 *Eſt exſpectatio certa beatitudinis ex Dei gratia, & noſtris meritis*. Cum dicitur *Exſpectatio*, notandum, hos actus ſibi invicem ſubordinatos eſſe: Nam amor latius patet deſiderio: amamus tam abſentia, quam præſentia; deſideramus tantum abſentia. Deſiderium latius, quam intentio, & exſpectatio; deſideramus enim etiam impoſſibilia, non intendimus: Ita reus longiorem vitam deſiderat, quam tamen deſperat. Aliud vero deſiderium eſt efficax boni abſentis, quod, quatenus per media acquiſitu judicatur poſſibile, dicitur intentio; quatenus vero arduum, & tamen acquiſitu poſſibile, dicitur exſpectatio, &c.

Beatitudinis, in clara Dei viſione conſiſtentis: Deus enim eſt objectum Spei materiale *quod*, comprehenſio *quo*.

Certa: Quia fundatur in infallibili Dei promiſſione, & illa infallibilitas, licet proprie ad intellectum pertineat, ideoque Fidei propria affectio ſit, tamen voluntati convenit per participationem, & aliud non eſt, quam firmitas, & conſtantia voluntatis adhærentis, & proſequentis bonum. Pſalm. 72. *Mihi adhærere Deo bonum eſt, &c.*

7 *Ex Dei gratia, & noſtris meritis*. Spes omnis circa bonum arduum verſatur, Theologica circa beatitudinem ſupernaturalem; igitur non noſtris viribus, ſed ex Dei gratia aſſequendam.

8 Gratia Dei præcedit, utpote principalior, quæ per merita Chriſti nobis communicatur. Hinc aliquo modo nobis confidere poſſumus in noſtris bonis operibus, quatenus ex gratia Dei proficiſcuntur, ideoque & ipſa Dei dona ſunt, & media miſericorditer ordinata ad vitam æternam; ſiquidem id magis exaltat miſericordiam Dei, & Chriſti merita, quod eorum virtute conſequamur, ut & ipſi ſalutem noſtram

mini-

miniſterialiter operemur, & vita æterna atiam ſit merces. 2. Tim. 2. Unda conſequens aſt, quod Spei certitudo non ſit abſoluta, ſed conditionata. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi &c.* Nemo vero certus eſt, ſe aſſa in gratia Dei; quod ſapienter Deus inſtituit, quia utilis timor iſte humilitatem continuam ſervat, nec non majorem ſolicitudinem parit, ſerviendi Deo.

9 Hinc ſequitur, judicium hoc hæreticorum: *Certo credo me ſalvandum*; non eſſe actum Fidei, ſed inanem præſumptionem moralem. Tum certitudinem moralem ſalutis, & perſeverantiæ homo habere poteſt, quando circa ipſum ſingularem providentiam, gubernationem Dei, ac ſpiritalia beneficia tanquam ſigna prædeſtinationis advertit; tum vero nullius mortalis peccati ſibi conſcius firmius Deo etiam impoſterum ſerviendi propoſitum in ſe experitur.

Regula in praxi obſervanda.

I. Ut homo rudis excitetur ad actum Spei eliciendum, debet edoceri, Deum non ſolum eſſe fidelem in obſervandis ſuis promiſſis, & miſericordem, adeoque velle dare nobis ſaltem auxilia ſufficientia ad aſſequendam ſalutem; ſed etiam eſſa Omnipotentem, & per conſequens poſſe eam nobis conferra. Inſuper eſt edocendus, prædicta auxilia nobis Chriſtum Dominum promeruiſſe, quibus tamen addenda eſt noſtra cooperatio, cum Vita Æterna ſit merces noſtrorum bonorum operum, quæ Dei ſupernaturali auxilio adimplemus. Poſtquam vero ita fuerit inſtructus, Rector animarum ipſum ita edoceat actum Spei afformare: *Spero auxilio mihi collato ex meritis Chriſti, ac meorum bonorum operum cooperatione, me conſequuturum Vitam Æternam, quia Deus eſt Fidelis, Miſericors, & Omnipotens.*

II. Edoceat ſecundo, quod quamvis actus Spei oriatur ex amore concupiſcentiæ, ſive proprii ſpiritualis intereſſe, non tamen ſiſtendum eſt, tanquam in Fine ultimo, in Deo, ut bono nobis; talis enim actus eſſet peccaminoſus, quia perverteremus rationem Finis ultimi omnium noſtrorum operationum, qui eſt Deus ipſe independenter a quocumque noſtro intereſſe. Quamvis igitur adſit præceptum ſperandi Vitam Æternam, dum tamen ipſam inquirimus, & ſperamus, non debemus ulteriorem finem excludere, ſed debemus ultimo referre in ipſum Deum, & ipſius Gloriam, ac proinde ultimo eamdem beatitudinem inquirere, ut majori libertate poſſimus ipſum Deum amare, glorificare &c. Hanc tamen relationem noſtræ Beatitudinis in ipſum Deum, licet optimum ſit eſſe actualem, ſufficit tamen ſi ſit habitualis, non excludendo ipſam relationem in Deum, ut ultimum finem, in quam ex natura ſua tendunt omnes ſupernaturales operationes.

III. Denique hic habeat locum fere omnes illæ regulæ, quas in ſuperiori quæſtione adnotavimus, agentes de præcepto Fidei, ſcilicet tunc ſpeciali peccato infringi præceptum Spei quando obligat per ſe, non vero quando obliget per accidens; raro peccari contra hujuſmodi præceptum; vel quia rudes tempus, quo obligat, ignorant; vel quia ſæpe eliciuntur hujuſmodi actus, dum oramus: & animadvertendum quoque, quod dum dicimus præceptum Spei *per accidens* obligare, ſufficit actus virtualis illius, ut diximus in tertio quæſito capitis tertii ſuperioris quæſtionis de actu Fidei.

CAPUT II.

De peccatis contra Spem.

1 PEccata contra Spem alia conſiſtunt in commiſſione, & alia in omiſſione. Illa repugnant præcepto affirmativo ſperandi in Deum, quod aliquando ideo impoſitum nobis eſt. Prob. Nam omnis actus neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medii eſt etiam neceſſarius neceſſitate præcepti divini; ſed actus Spei eſt neceſſarius adultis neceſſitate medii; Ergo. Major eſt clara. Minor ſumitur ex Apoſt. Heb. 10. & 11.

Præceptum Spei affirmativum obligat. 1. Quamprimum homini rationis uſum aſſecuto Deus, & beatitudo, tanquam finis, ad quem bonis actibus tendere debet, ſufficienter propoſitus eſt: Tunc moram longiorem trahere non debet, quin ad hunc finem per actum Spei feratur. 2. Cum quis in periculo deſperandi eſt, a quo eripi non poſſe videatur, niſi animum contrario actu Spei confirmet (*a*).

„ (*a*) Sæpius etiam eliciendos eſſe actus ſpei, ita „ ſupra admonuimus, cum de fide ageretur; quid„ quid enim de actibus fidei dictum eſt, valet etiam „ pro actibus aliarum duarum virtutum Theologica„ rum.

2 Circa peccata commiſſionis contra Spem notandum. Sicuti in moralibus virtutibus uni duo vitia opponuntur, unum ſecundum exceſſum, & alterum ſecundum defectum: V. C. liberalitati prodigalitas, & avaritia; ſic etiam Spei ſecundum exceſſum adverſatur præſumptio duobus modis. 1. Si beatitudo ex ſuis viribus ſperetur. 2. Si ſine operibus pœnitantiæ, aut propriis meritis cœleſtem gloriam conſequi velis; quia Deus ſecundum ordinatiſſimum decretum ſuum non remittit peccata, niſi pœnitentibus, nec dat mercedem, niſi operantibus; atqui huic divinæ ordinationi opponit ſe homo: Ergo. Idem dic de priori. Hinc peccata in Spiritum Sanctum dicuntur, quia aditum Spiritus Sancti præcludunt, idcirco irremiſſibilia non abſolute, ſed quia raro remiſſio eorum obtinetur.

Secundum defectum Spei opponitur deſperatio, cum quis deſperat, ſe vitam æternam conſecuturum eſſe, aut remiſſionem peccatorum, ideoque omnem conatum excludit.

3 NB. 1. Licet ſex ſint peccata in Spiritum Sanctum; tamen odium Dei etiam refertur ad ea, quia directe opponitur Charitati Dei, per quam remiſſio peccatorum fit. Sed ideo reliquis non fuit annumerandum, quia graviſſimum ſcelus eſt, quaſi menſura aliorum peccatorum, ut in ſpecificam aliorum peccatorum communionem venire non ſoleat.

Charitas eſt perfectiſſimus amor.

4 NB. 2. Fides ordine generationis antecedit Spem, tanquam fundamentum. Hinc amiſſa Fide etiam Spes amittitur, non autem e contra; ut patet in homine deſperato.

5 NB. 3. Licet peccata præſumptionis, & deſperationis ex indeliberatione actus venialia ſint, tamen ex parte materiæ ſemper ſunt mortalia; ſicut odium Dei, blaſphemia, & ſimilia, quæ alicui attributo Dei ſecundum pravum voluntatis affectum, & interdum etiam ſecundum erroneum intellectus judicium adverſantur. Nam hujuſmodi peccata aliquando cum hæreſi juncta ſunt, V. C. fiducia Lutheranorum, qui ſine cooperatione, & meritis ſalvari poſſe exiſtimant.

Regula in praxi obſervanda.

I. Qui incidit in peccatum deſperationis, vel præſumptionis, ſi non excuſetur a gravi culpa ex defectu deliberationis, non eſt excuſandus ex parvitate materiæ; deſperans etenim de ſua ſalute injuriam facit Dei Miſericordiæ, & Omnipotentiæ, & qui præſumit, injuriam facit ſaltem Juſtitiæ Dei Vindicativæ, unde tales injuriæ, quæ immediate reſpiciunt Divina Attributa, non poſſunt leves exiſtimari.

II. Si aliquis conjungat peccatum deſperationis cum hæreſi, tunc non poteſt a ſimplici Confeſſario abſolvi, niſi hæreſis fuerit mera interna, vel ſi fuit externa, niſi peccans ignoraverit cenſuram latam in Bulla Cœnæ contra hæreticos, ut alias dictum eſt.

TRACTATUS III.

De Charitate.

CAPUT PRIMUM:

Quid ſit Charitas.

1 CHaritas non eſt aliud, quam excellentiſſimus amor, & inter omnes virtutes excellentiſſima, quia verſatur circa perfectiſſimum objectum, & quidem perfectiore modo, quam aliæ virtutes, vel eſt forma reliquarum virtutum. Nam virtus hominis eſt, quæ operationes ejus ordinat, ac dirigit, ut convenienter fiant ad finem ſuum. Finis autem ultimus hominis, conſiderati non præciſe ſecundum vires naturæ, ſed ſecundum dona gratiæ, eſt æterna beatitudo, & conjunctio cum Deo; ad hanc autem promerendam, & conſequendam viatoris opera congruentem proportionem non habent ſine Charitate, per quam ſolam uniuntur Deo.

Hinc etiam Angeli ex ſapientiſſima Dei ordinatione (uti & homines) ſola naturali converſione ad Deum beatitudinem mereri non potuerunt, ſed converſione Charitatis, quæ eſt per gratiam.

2 NB. Nullum opus hominis juſti ex probabiliori Sententia eſt meritorium vitæ æternæ, & augmenti juſtitiæ in hac vita, niſi vel eliciatur a Charitate, vel ab eadem imperetur, atque in Deum ut finem ultimum ſupernaturalem referatur, ſive id fiat per præſentem Charitatis actum (quod eſt actualiter referri) ſive per præteritum Charitatis actum, quod eſt virtute referri. V. C. Si propoſuiſti pecuniam pauperibus propter Deum erogare, & poſtea oblata occaſione vi illius propoſiti eroges, tametſi nihil tunc de Deo cogites, opus hoc eleemoſynæ virtute in Deum refertur, atque a Charitate imperatur. Ratio: Nam ita ſapientiſſimus Deus ordinavit, ut finem vitæ æternæ homo viator non mereretur, niſi per motum liberæ voluntatis proportionatum, ſcilicet quo fertur in ultimum finem, ſummumque bonum per modum unionis, atque amicitiæ; atqui iſte motus pro-

pioprius eſt actus Charitatis: Ergo *meritum vitæ æternæ primo pertinet ad Charitatem, ſecundario vero ad alias virtutes, ſecundum quod earum actus a Charitate imperantur.*

Ideo autem Charitas eſt forma aliarum virtutum, quia licet per ſe rationem virtutis habeant, ſine Charitate tamen ſteriles ſunt ad promerendam vitam æternam, utpote a qua diriguntur ad finem ſupernaturalem. Hinc explicantur verba Scripturæ, cur omnia a Chriſto requirantur, ut in nomine ejus fiant, vel propter juſtum ad ipſius gloriam.

NB. Gratia ſanctificans, & habitus Charitatis realiter quidem idem ſunt, non tamen ratione. Dicitur enim gratia in ordine ad ſubjectum, quod ſanctificat; Charitas autem in ordine ad operationes, ad quas animam, & voluntatem expeditam reddit. Sive exiſtimes cum D. Thoma, eſſe qualitates diſtinctas: Quia gratia bene afficit animam ſecundum ſe; Charitas vero afficit voluntatem ad operationem.

3 Ideo virtutibus naturalibus non meremur vitam æternam; quia non eſt proportio.

4 Coroll. t. Licet nullus actus plene rationalis, ac deliberatus in individuo indifferens ſit ſecundum rationem bonitatis, & malitiæ; tamen ſunt in homine juſto, & peccatore indifferentes ſecundum meritum, ac demeritum vitæ æternæ, ſi ſcilicet homo opera bona virtutum exerceat ſine ulla actuali præſenti, ſeu præterita, & virtualiter manente Charitatis relatione in Deum.

NB. Opera virtutum moralium ex motivo tantum honeſtatis præſtita ob quandam congruitatem ſecundum beneplacitum Dei mereri poſſunt temporalem aliquam proſperitatem. Quomodo legimus, in veteri Teſtamento Deum ſæpe renumeraſſe opera virtutum, etiam a peccatoribus præſtita.

5 Coroll. 2. Non ſufficit homini juſto ad promerendum ſingulis actionibus bonis augmentum gratiæ, ac gloriæ, quod principio anni, menſis, diei (licet laudabile) totum ſe Deo ex Charitate offerat, cum propoſito omnia ad gloriam ipſius operandi; ſed neceſſe eſt, ut propoſitum hoc efficax ſit, & vera cauſa operum ſubſequentium. V. C. Aliquis proponit peregrinari ad honorem Dei; quaſcunque deinde in via actiones, aut labores exercet, meritoria ipſi ſunt apud Deum, ſi fiant ex vi propoſiti illius nunquam revocati. Ideo ſuadendum eſt omnibus, ut initio actionis cujuſque mentem in Deum elevent, cujus amore, & in cujus gloriam operaturi ſunt, V. C. Verſ. dicendo, *Deus in adjutorium, &c. Gloria Patri &c.*

CAPUT II.

De præceptis Charitatis.

1 DUo ſunt præcepta Charitatis. 1. De Deo. 2. De proximo diligendo. Deus ſuper omnia omnibus facultatibus, intelligendi, appetendi, ſentiendi, & movendi diligendus eſt, ita ut nihil ſit in intellectu, voluntate, ſenſu, externa operatione, quod non Deo ſubjiciatur, ſive in Deum referatur.

2 Charitas eſt in præcepto, quia finis. Finis autem eſt magis debitus, quam media, ſcilicet aliæ virtutes, quæ omnes debitæ ſunt.

3 NB. Quando jubemur Deum in omnibus diligere, intelligi id debet ſecundum majorem æſtimationem, non autem ſecundum majorem amoris intenſionem. Sicut enim fieri ſolet, ut quis catulum tenerius amet, quam proprium filium, tamen non firmius, aut magis æſtimative; quia ſi vel filius, vel catulus amittendus eſſet, utique canis relinqueretur: Ita etiam fieri poteſt, ut aliquis ſine culpa tenerius amet uxorem, quam Creatorem ſuum, non tamen firmius, ſi animo paratus ſit magis deſerere creaturam, quam cum Deo amicitiam diſſolvere. Matt. 10. *Qui amat &c.*

4 Diligere Deum principaliter propter præmium eſt amor mercenarius.

5 Præceptum dilectionis Dei in hac vita ſecundum perfectionem ſimpliciter dictam non poteſt impleri; poteſt tamen ita perfecte impleri, ſicut ad viatorem pertinet. Prior prob. Quia perfectio amoris ſimpliciter dicta conſiſtit in continua, & actuali unione voluntatis cum Deo, quæ in hac vita fieri non poteſt propter inſitam naturæ infirmitatem: In cœlis autem fit propter continuam præſentiam Dei per claram viſionem. Poſter. prob. 1. Joan. 2. *Qui ſervat verbum ejus, vere in hoc Charitas Dei perfecta eſt.*

Quæſtio: Quando obliget?

6 REſp. Præceptum negativum de non odiendo Deo ſemper obligat. Affirmativum certis temporibus.

t. Quamprimum homo uſum rationis adeptus, Deum, tanquam ultimum finem ſupernaturalem, per Fidem ſufficienter propoſitum ſibi habet, tunc obligatus eſt, ne longiorem moram trahat, quin eum voluntate acceptet, & omnia opera ſua in eum referat: Quia ad ſtatum viatoris pertinet, ut ad finem ſuum, qui Deus eſt, ſe convertat, eum rebus omnibus creatis præferendo; cum alioquin juſtitiam nec conſequi, nec per bona opera gratiæ, & gloriæ augmentum mereri poſſit. Officium autem hoc proprie pertinet ad parentes, & Parochos, proponendo illi, ut cogitet, a quo creatus ſit, & cur in hoc mundo vivat, nimirum ut Deo ſerviat, & ad ipſum omnibus ſuis operibus tendat. 2. Cum periculum impendit, ne in odium Dei labatur. 3. Cum tenetur conteri. Nam cum actus contritionis ſit dolor de offenſa Dei ſuper omnia dilecti, actum Charitatis neceſſario includit.

7 Diligere proximum debemus, ſicut nos ipſos, non ſecundum æqualitatem, ſed ſecundum ſimilitudinem, quæ in eo conſiſtit, ut, ſicut nos ipſos, ita & proximum noſtrum amemus, ac deſideremus illi ea omnia, quæ ad amicitiam, unionemve cum Deo, ac beatitudinem æternam pertinent, vel conducunt.

8 Et hæc duo præcepta continentur virtute in Decalogo, tanquam principia in ſuis Concluſionibus. Nec neceſſe eſt ſpecialiter numerari in Decalogo; quia ſunt principia practica, quæ omnibus ſtatim innoteſcunt, vel naturaliter, vel per fidem.

Regula in praxi obſervanda.

Cum amor Charitatis feratur in Deum ex affectu amicitiæ, adeoque ames Deum propter Deum, ſive propter ipſius infinitam bonitatem ſuper omnia amabilem, independenter a quocumque noſtro intereſſe, ſequitur quod qui vult aliquem excitare ad habendum proprie actum charitatis, non debet illi proponere Deum ut Creatorem, Redemptorem &c. hic enim amor, quamvis bonus ſit, reſpicit noſtrum intereſſe. Debet igitur proponere Deum ſumme amabilem independenter a quocumque beneficio nobis collato, quia eſt infinite Bonus; & in praxi illum edoceat, quod ſi vult actum Charitatis elicere, ita debet illum efformare: *Amo Deum, quia eſt ſumme bonus &c.*

CAPUT III.

De ordine Charitatis.

1 DIligere eſt alicui bonum velle: Ideo ad duo attendendum eſt, ut Charitatis ordinem reperiamus, videlicet ad perſonam, quæ diligitur, & ad rem, quæ in illa diligitur, vel illi deſideratur. Quod ad primum horum attinet, quatuor ex Charitate nobis diligenda ſunt. 1. Deus. 2. Nos ipſi. 3. Proximus. 4. Corpus hominis.

Ordo autem iſte provenit ex diverſo modo ſortiendi formalem rationem dilectionis, quæ eſt divina bonitas. Hinc 1. Deus tanquam fons omnis boni amandus eſt præ aliis. reliqua ordine, quo magis ad participationem bonitatis divinæ accedunt; & hinc homo ſe prius amat, quia identitas, ſeu unitas prior eſt, quam conjunctio.

Seipſum enim quiſque diligit, quia divinorum bonorum particeps eſſe poteſt; proximum vero, quia comparticeps.

Quod ad alterum: Tria ſunt bonorum genera, quæ vel nobis, vel alteri velle poſſumus. Primum continet bona ſpiritualia, gloriam, gratiam, & virtutes; Secundum bona corporalia, vitam, & ſanitatem corporis: Tertium bona externa, famam, honorem, ac divitias.

Concluſio. Ordo diligendi ex Charitate ita obſervandus eſt, ut quiſque primo omnium diligat Deum. 2. Se ipſum ſecundum bona ſpiritualia. 3. Proximum ſecundum bona ſpiritualia. 4. Se ipſum ſecundum bona corporis. 5. Proximum ſecundum bona corporis: Deinde ſe ipſum, ac proximum ſecundum externa bona.

2 Coroll. 1. Nuſquam Charitatem Dei cujuſcumque boni aſſequendi cauſa licet abjicere. *Quid enim prodeſt homini &c.* Matth. 18. Dilectio ſui ipſius ponitur tanquam regula dilectionis proximi. *Diliges &c*

Reg-

Regula autem prior, & potior eſt, quam regulatum, ait S. Thomas. Quo ſenſu intelligi debet illud: *Charitas incipit a ſe ipſo.*

Quod attinet ad Moyſen: *Dimitte illis hanc noxam, &c.* Dicta hæc ſunt per exaggerationem ex magna confidentia erga Deum: Vellem, niſi Dei voluntati repugnaret.

3 Coroll. 2. Proximo exiſtenti in neceſſitate ſpirituali extrema teneor ſuccurrere cum certo periculo propriæ vitæ; dummodo ſpes æque certa proximum juvandi affulgeat. 1. Joan. 3. *Et nos debemus animas pro fratribus ponere.* Sic teneor infantem, ſi alius non poſſit vocari, baptizare etiam cum periculo vitæ meæ. Item in peſte, ſi nullus ſacerdos adſit.

NB. Parochi non tantum tenentur ſuccurrere in extrema, ſed etiam neceſſitate gravi, quia veri paſtores ſunt; niſi de conſenſu Ordinarii conſtituant idoneos, aut reſignent.

Cavere tamen debet Parochus, ſi ſolus ſit, ut non tempore peſtis uni non graviter indigenti conſulere intendat, ſi plures alii ex ipſius morte gravius damnum ſpirituale ſint paſſuri. Quare, ſi ſolus ſit, non facile miniſtrare debet cum vitæ ſuæ periculo Sacramenta, quæ non admodum neceſſaria ſunt, vel ſecundum ſe, ut extrema Unctio, vel reſpectu perſonarum, quarum bonum ſtatum Parochus probabiliter cognitum habet, quia nuper earum Confeſſiones exceperat.

C A S U S.

SI obſtetrix per 40. annos in nomine diaboli baptizaſſet infantes, relictis illis poſtea abſque rebaptizatione conditionata, & abſque modo rebaptizandi propter diſperſos hinc inde, & propter periculum extremi ſupplicii ſe prodere nolit. Confeſſarius tali mulieri explicare debet gravitatem peccati, & damnum ſpirituale: Si mulier pactum cum dæmone renuntiet, & ſe emendet, abſolvenda eſt. Ad ſatisfaciendum pro damno illato non eſt urgenda, ſi propter infirmitatem abhorret a periculo vitæ. Nam licet ſpeculative probabiliſſimum ſit, quod mulier ſe prodere teneatur, tamen ſpirituale damnum non tam certum eſt, quam corporale mulieris; quia poterunt iſti non baptizati conteri *(a)*.

„ *(a)* Sed quæſtio adhuc urgeri poſſet, quid di„ cendum, ſi plures ex iis, qui ſic baptizati ſunt, „ adhuc eſſent infantes incapaces contritionis, & pro„ babile eſſet, num morerentur, antequam perveni„ rent ad annum diſcretionis, & obſtetrici nulla alia „ ſupereſſet via, ut iſtis ſubveniret, niſi ſe prode„ ret cum periculo vitæ ſuæ. Quid tunc?

4 Coroll. 3. Ordinarie licitum non eſt, vitam propriam poſtponere alienæ: Quia quiſque ſecundum ordinem Charitatis ſe magis diligere debet, quam alium. Nihilominus tamen laudabile eſt ex motivo honeſtatis, V. C. tempore peſtis amico ſervire in æquali periculo mortis. Contrarium tamen tenet Navarrus, dicens: Nullam honeſtatem inveniri in eo, ſi ordo Charitatis poſtulet, ut vitam propriam præponam vitæ proximi. Dixi: *Ordinarie non eſt licitum*. Nam pro ſalute perſonæ publicæ, ex qua multum pendent Reipublicæ commoda, non ſolum licet, ſed aliquando neceſſarium eſt. Nam bonum, quanto univerſalius eſt, tanto dignius: Quare ſicut pars una corporis ſe exponit periculo pro toto corpore; ita & in Politicis.

Deinde ad impediendam ſpiritualem æternam damnationem injuſti aggreſſoris, cum illum occidere jure poſſis, potius permittere mortem propriam corporalem, abundantioris Charitatis opus eſt.

5 Coroll. 4. Vitam hominis innocentis præferre debemus vitæ nocentis. Sic Molina ait, occidendum eſſe latronem, V. C. ut ex manibus ejus homo innocens liberetur. Prov. 24. Sed excipe 1. Si vitam innocentis liberare non poſſis abſque propriæ vitæ diſcrimine. 2. Si pugnis aſſuetus non ſis. 3. Si Martyr malit mortem pro Chriſto potius oppetere, quam liberari.

Coroll. 5. Ea dilectione, quam comitatur gaudium in bono alieno poſſeſſo, item honor, cultus, reverentia, ii magis diligendi ſunt, qui meliores, Deoque ſimiliores exiſtunt. Ob eandemque rationem parentes magis, quam filii, & uxor, magiſque benefactores, quam ii, quibus benefecimus: Quia majorem illi cum Deo communi omnium parente, ac benefactore ſimilitudinem gerunt? Ea vero dilectione, qua deſideramus alteri bonum nondum poſſeſſum, & quam comitatur miſericordia, ii magis diligendi ſunt, qui nobis conjunctiores exiſtunt.

Coroll. 6. Qui nobis conjunctiores ſunt, ii aliis præferri debent ſecundum ea bona, in quibus conjunctio, vel amicitia fundatur; quia communicatio bonorum eſt fundamentum amicitiæ, ac Charitatis. Quare in bonis pertinentibus ad naturam, & vitam corporis illi præ aliis diligendi, qui nobis ſanguine juncti ſunt. Primo, uxor: Quia una caro. Secundo, filii: Quia illis plus parentes obligati ſunt naturali Jure. 2. Cor. 12. Tertio, parentes, magis pater, quam mater; quia ille excellentiorem principii rationem obtinet. Imo in caſu extremo potius parenti, quam filiis, aut uxori ſuccurrendum eſt; quia debitum erga illos tum antiquius, tum nobilius eſt, ſiquidem ipſi nobis exiſtendi cauſa, & principium fuerunt: Quare æquitas poſtulat, ut in extrema neceſſitate ab interitu illos liberando tantumdem eis rependamus. Idque etiam reverentia poſtulat; unde potius patri infideli, quam extraneo fideli ſuccurrendum eſt. Quarto, fratribus, ſororibus. 1. ad Tim. 5. *Si quis ſuorum &c.* Adde; quod inſigni benefactori, & fratribus ſpiritualibus potius, quam conſanguineo non ita propinquo ſubvenire debeamus: Quia bona ſpiritualia, in quibus ſpiritualis ſocietas fundatur, aliquo modo dependent a temporalibus, tanquam ſubſervientibus.

Coroll. 7. In rebus pertinentibus ad civilem communicationem concives noſtri, in bellicis commilitones aliis præferri debent. In ſpiritualibus vero auxiliis eorum major habenda eſt ratio, qui nobis ſecundum ſpiritum filii, patres, vel fratres ſunt. Ita patres, & fratres carnales in ſpiritualibus præferendi ſunt aliis: Quia carnalis conjunctio aliarum conjunctionum baſis eſt.

Coroll. 8. Secundum ea bona, quæ in præcepto non ſunt, nihil alienum a ratione eſt, proximum ſibi ipſi anteponere, V. C. beneficium, dignitatem, &c. a ſe rejicere, ut alteri obveniat; item Religionis ingreſſum differre ob alterius ſeu ſpiritualem, ſeu corporalem utilitatem.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ex doctrina ſupra firmata ſuccurrendum eſſe proximo *in* extrema ſpirituali neceſſitate conſtituto, ſequitur, ab unoquoque etiam cum periculo vitæ defendendum eſſe dormientem, quem certo ſciremus eſſe in peccato mortali: baptizandum infantem, cui mors immineret; Obſtetricem, etiam cum periculo vitæ amittendæ, debere detegere ſuum crimen, ſi aliquos pueros invalide baptizaverit; non ſolum Parochos, ſed & quemcumque Confeſſarium cum eodem gravi periculo excipere confeſſionem moribundi, a quo fuit vocatus, ſi, eo quod ſit ruſticus, & ignarus, difficillimum illi ſit actum contritionis elicere. Et ratio eſt, quia ſupradicti verſantur in extrema ſpirituali neceſſitate, quibus proinde eſt ſuccurrendum, etiamſi foret amittenda Vita corporalis.

II. Cum major ſit obligatio illorum, qui tenentur alteri ſuccurrere ex officio, vel ſtipendio, ac proinde ex dictis teneantur ſuccurrere proximo etiam in gravi neceſſitate ſpirituali conſtituto, ſequitur, Parochos etiam cum periculo ſuæ vitæ teneri miniſtrare Sacramenta neceſſaria ſuis ovibus, quamvis nonniſi in gravi verſentur neceſſitate. Hinc debent adulto, peſte, vel alio morbo contagioſo laboranti, quo moraliter certum eſt inficiendum etiam ipſum Parochum, Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare; quamvis enim adultus poſſit ſibi actu contritionis providere, adhuc tamen, cum valde difficile ſit actum contritionis elicere juſtificantem, non ſequitur non eſſe in gravi neceſſitate, cui proinde teneatur ſuccurrere Parochus cum periculo ſuæ vitæ &c.

C A P U T IV.

De Dilectione peccatorum, & inimicorum.

1 ASſert. 1. Inimici, & peccatores diligendi ſunt, quatenus proximi ſunt, & ejuſdem naturæ conſortes, & æternæ beatitudinis capaces. Matth. 5. *Diligite inimicos.* Peccatum in illis odiſſe convenit, idque per emendationem tollere, aut optare, ut a Magiſtratu puniatur, dolere, ſi illis proſpere ſuccedat. Gal. 5. *Utinam abſcindantur, qui vos conturbant.* Siquidem Reipublicæ intereſt, ut mali puniantur, quia hoc utile eſt peccatoribus, ut emendentur, & deſiſtant. Nec obſtat periculum, quod relegati ad hæreticos tranſeant; ſiquidem malum ejuſmodi permitti debet majoris mali vitandi cauſa.

Aſſ. 2. Ex Charitate tenemur inimicis noſtris præſtare generalia beneficia, id eſt, quæ communiter omnibus ejuſdem ſtatus hominibus præſtare ſolemus; non ſpecialia. Generalia: Quia, ſi pro tota Communitate ores, eleemoſynam in omnes diſtribuas, omnes in vicinia invites &c. nefas eſt ſolum inimicum a tali bene-

fici-

neſcio excludere. Ratio: Quia talis excluſio vindictæ cupiditatem indicat, quæ privato interdicta eſt. Dixi: *Privato*, qui nullum puniendi jus habet; nam parens, Prælatus, poteſt correctionis cauſa. Non ſpecialia: V. C. Inimicum ægrotum inviſere, hoſpitio ſuſcipere, ſalutare per ſe non teneris; quia præceptum affirmativum de ſpeciali exhibenda dilectione non niſi in caſu neceſſitatis obligat. *Si eſurieris &c.* Rom. 12. Quamvis homo ſemper debeat eſſe paratus in neceſſitate ſubvenire.

Dixi: *Per ſe*. Quia ob accidentarias circumſtantias aliter fieri convenit. 1. Si ratione ſcandali ſubtrahendo illa ſpecialia ſigna amoris illum magis concites. 2. Si ſalutatione tua illum facile conciliabis: Si tamen ita affectus ſit, ut per talia ſigna deterior fiat inimicus, intermittenda ſunt. 3. Si te ſalutet. 4. Si tunc odium tuum non alio modo deponere potes, quam ſigna amoris ſpecialia oſtendendo. Hæc de præcepto. Interim Chriſtianæ opus perfectionis eſt, etiam ſpecialia ſigna amoris exhibere.

3 Aſſert. 3. Si ab initio fuiſti offenſus, ex animo debes dimittere; quia odium perſonæ per ſe malum eſt. Dixi: *Ex anima*. Nam ex phantaſia, aut memoria depellere valde difficile eſt.

Deinde actionem injuriarum civilem inſtituere poteſt læſus non ex vindicta, ſed amore publicæ juſtitiæ, ut ſibi ſatisfiat, &c. Criminalem inſtituere periculoſum; cum vix inveniantur, qui eam ſincere ſpectent, & non etiam propriæ vindictæ cupiditatem explere velint.

NB. Pater poteſt filium contra voluntatem ducentem indignam ex juſta vindicta excludere ad tempus ex domo, & ſuis prohibere colloquium cum ipſa: Modo pœna illa non excedat menſuram delicti.

Regula in praxi obſervanda.

Cum ex dictis debeamus amare inimicos, ac illis ſaltem ſigna generalia exhibere benevolentiæ, ſequitur, nullatenus eſſe abſolvendum, qui hujuſmodi nollet inimico præſtare, quamvis diceret, ſe nullatenus illum odio habere. Quod ſi ignoretur quis cœperit injuriare, adeoque non facile ſit alicui perſuadere, ut primus alterum ſalutet, alloquatur &c. tunc cogendus eſt uterque ad ſe mutuo ſalutandum &c., & ſi ita ſe gererent Confeſſarii, non diu foverentur apertæ inimicitiæ inter aliquas familias, & perſonas cum magno aliorum ſcandalo &c.

C A P U T V.

De actibus Charitatis.

1 ACtus Charitatis internus eſt *Dilectio*; qua alteri bonum beatitudinis, vel alterius conducentis ad illud volumus. Hinc interno reſpondet externus, ac veluti executio ejus, quæ dicitur *Beneficentia*. De utroque 1. Joan. 3. *Non diligamus verbo &c.* Hos actus conſequuntur alii. 2. Gaudium fructus Spiritus. Gaudium eſt quies animi in bono præſente, ac poſſeſſo. Dupliciter autem gaudere poſſumus de Deo. 1. De divinis bonis, quatenus in ipſo ſunt. 2. De Deo, quatenus nobis præſens, ac unitus &c.

2 Sed hoc gaudium in hac vita imperfectum eſt; ſiquidem viator finem ſuum, ac beatitudinis bonum nondum poſſidet. Taceo de mixta triſtitia propter peccata. Gaudium de proximo verſatur circa bona, quibus ad cæleſtem beatitudinem promoveri poteſt...

Pax eſt *Tranquillitas ordinis*. Conſiſtit in eo, ut voluntas noſtra divinæ bonitati adhæreat, ad eamque reliquas interiores appetitiones, tanquam Regina, ac motrix aliarum facultatum accommodet: Deinde, ut eadem voluntas cum proximi voluntate in iis, quæ ad finem beatitudinis pertinent, conſentiat. Pax enim hæc in hac vita imperfecta eſt; quippe cum multæ diverſæ opiniones, & contrarietates inter homines occurrant, quæ rectæ voluntati adverſantur; ſicuti in diſputationibus, licet etiam ſpeculativis.

C A P U T VI.

De Miſericordia, & Eleemoſyna corporali.

1 MIſericordia (Charitati valde affinis) eſt *alienæ miſeriæ in corde noſtro compaſſio, qua utique, ſi poſſumus, ſubvenire compellimur*. Illi ſecundum exceſſum opponitur nimia Indulgentia; ſecundum defectum Crudelitas.

2 Ad actum Miſericordiæ tria requiruntur. 1. Ut ſit de aliena miſeria, æſtimata ut propria; quippe cum hanc unionem amor amicitiæ pariat, Hinc infirmi ſenes, ac ſapientes maxime proni ſunt ad miſericordiam, utpote experti. 2. Ut miſeria ſit aliquo modo neceſſaria; qui enim ſponte miſer (excipe Martyres) V. C. dives ob amentiam, robuſtus ob pigritiam, miſericordia dignus non eſt. 3. Ut malum æſtimetur aliquo modo contra dignitatem patientis, & hominem non eſſe meritum: Hinc ſæpe non miſericordes ſumus. Externus actus duplex eſt; nam quia homo anima, & corpore conſtat, etiam eleemoſyna una eſt ſpiritualis, altera corporalis.

3 Eleemoſyna eſt *opus, quo datur aliquid indigenti ex commiſeratione propter Deum*. NB. *Propter Deum*; quia a Charitate Dei imperatur. De corporali eleemoſyna extat præceptum 1. ad Tim. cap. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe, facile tribuere*; idque reſpectu omnium indigentium, etiam infidelium. NB. Magiſtratus reprehendi non poteſt expellens peregrinos; quia pauperes domeſtici præferendi ſunt, ſi utriſque ſatisfieri non poſſit. 2. Quia peregrini inferunt morbos. 3. Quia poſſunt ſani, & fortes laborare; ideo tales robuſti mendici arcendi ſunt, juxta cit. C. de mendicantibus validis. lib. 11.

4 Præceptum eſt affirmativum, ideo non ſemper obligat. Obligatio autem eleemoſynæ oritur ex duplici capite. Primo. Ex parte dantis, ſi habeat bona ſuperflua tam naturæ, quam perſonæ. Secundo. Ex parte accipientis, ſi in neceſſitate poſitus ſit, quæ triplex eſt: Una extrema, ſi vita periclitetur. Altera gravis, cui niſi ſuccurras, ægre ſe ſuſtentabit. Tertia communis, qualis eſt, qui mendicat oſtiatim.

Primo. De neceſſariis naturæ non extat præceptum. Quia quiſque ſuam, ſuorumque vitam poteſt, & debet alienæ anteponere.

Secundo. De neceſſariis perſonæ facienda eſt homini extremam neceſſitatem naturæ patienti eleemoſyna; quia ordo Charitatis poſtulat, per ſe loquendo, ut pluris faciamus proximi vitam, quam dignitatem propriam. Dico; *Per ſe loquendo*. Quia nemo tenetur pro ſervanda vita pauperis ſtatu ſuo excidere, ſi majus id damnum videatur, quam illius mors. Nemo etiam tenetur pretioſam medicinam emere pauperi ægro, cum nec ipſe, ſi pecuniam haberet, emeret.

Tertio. Cum modico, & vix æſtimabili detrimento ſtatus tenemur proximo ſuccurrere in gravi neceſſitate.

Quarto. In communem neceſſitatem pauperum opes ſuas cum notabili ſtatus detrimento profundere, V. C. ut dignitatem Doctoris ſuſtinere non poſſit, non licet, niſi quis velit ad perfectiorem paupertatis Evangelicæ ſtatum tranſire, ſecundum conſilium Chriſti. Matth. 19.

Neceſſaria perſonæ ſunt ad alendos filios, familiam, ad convivia, ac donationes honeſtas; unde non ita frequenter judicandum eſt, homines ſæculares plura in bonis ſuis habere, quam ad ſtatum eorum neceſſarium ſit (a).

„ Cavenda eſt tamen hic propoſitio 12. inter da-
„ mnatas ab Innocent. XI. ann. 1679. *Vix in ſæ-*
„ *cularibus invenies etiam in Regibus ſuperfluum*
„ *ſtatui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſy-*
„ *nam, quando tenetur tantum ex ſuperfluis ſta-*
„ *tui*.

5 Ex ſuperfluis naturæ, ac perſonæ danda eſt eleemoſyna pauperi in gravi neceſſitate, ſi duæ conditiones adſint. 1. Si ſcias; nam non teneris inquirere. 2. Si nemo alius adſit, qui ſubveniat. Si enim alii opem laturi ſint, non cenſetur gravis neceſſitas.

Ita Advocatus tenetur patrocinari pauperi, etiam in gravi neceſſitate, ſi nemo alius patrocinetur; ut ſi putetur injuſte criminaliter damnandus ad triremes, vel ad flagellationem publicam.

Ex bonis ſuperfluis tam naturæ, quam perſonæ largienda eſt eleemoſyna communem inopiam patientibus. (etiam ex bonis non ſuperfluis, tamen non abſolute neceſſariis ſubveniendum eſt extreme laboranti). Ratio: Quia Charitas quemlibet obligat ad ſubveniendum proximo, in quavis miſeria conſtituto, ſi facile tolli poſſit; ad divites facile &c. Ergo. Hæc enim Dei providentia eſt, ut divites per opera miſericordiæ, & pauperes per patientiam vitam æternam mereantur.

Veniale eſt, divitem auxilium negare communiter pauperi: Mortale ſi omnibus neget; quia nimis inordinato divitiarum amore affectus cenſetur, juxta Matth. 6. *Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ*.

(a) P. Layman P. I.

6 NB. Si venditione poſſit ſublevari pauper, non teneris ad eleemoſynas. Sic Tob. 5. de Gabelo (a).

„ (a) Non facile admitterem hanc ſententiam; „ non enim tantummodo debemus dare eleemoſynam, „ ut ſubleveinus miſeriam pauperum, quo certe in „ caſu per venditionem, ſeu emptionem ſatisfieret; „ ſed tenemur ad ſatisfaciendum præcepto toties in „ ſacra ſcriptura inculcato, præſertim in parabola di- „ vitis, & Lazari mendici.

7 De illicite acquiſitis, reſtitutioni obnoxiis, pauperibus faciendæ, V. C. quorum dominus ignoratur, tunc erogari quidem debent; ſed hoc non eſt opus miſericordiæ, ſed juſtitiæ. Et in illis diſtributionibus eſt ſervandus ordo Charitatis.

De illicite acquiſitis, non reſtitutioni obnoxiis, uti V. C. ſunt turpia lucra meretricum, & hiſtrionum, licet poſſint dari eleemoſynæ; ſed oblationes de iis ab Altari repellendæ ſunt ob ſcandalum, ne Eccleſia videatur approbare ejuſmodi lucra, partim ad imitationem veteris legis. Deut. 23.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum omnino conſtet dari præceptum obligans ſub gravi de eleemoſyne elargienda, debet Confeſſarius, qui divitis confeſſionem excipit, caute illum admonere de hujuſmodi obligatione; ipſumque edocere non ſatisfieri ab ipſo huic præcepto, per hoc quod ſuperflua proprii ſtatus impendat vel in conſtruendis domibus, vel in pluribus famulis alendis &c. affirmando ita ab ipſo ſublevari pauperum miſerias. Ite, inquam, agendo, non ſatisfacit præcepto de eleemoſyna elargienda, quod importat dare aliquid gratis, & liberali donatione. Quod vero tribuitur famulis, domorum conſtructoribus &c. tribuitur ex obligatione juſtitiæ. Recte tamen ſe gerit, ſi bene valentibus, qui poſſunt ſuis laboribus ſibi neceſſaria comparare, nil in eleemoſynem tribuat; potius enim id eſſet ipſorum ignaviam fovere.

II. Cum omnes ex ſuperfluis proprio ſtatui teneantur eleemoſynas quaſdam facere, ſequitur non eſſe tutos in conſcientiæ etiamſi omnia ſuperflua velint in alios pios uſus erogare. Hinc male ſe gerunt illi Eccleſiaſtici, qui in puncto mortis, timentes defeciſſe obligationi pie impendendi ea, quæ ex proprio beneficio ipſis ſupererant, fundant Capellanias &c. & nil pauperibus relinquunt; tenebantur enim aliquam partem redituum beneficii, qui proprio ſtatui erant ſuperflui, pauperibus elargiri. Quæ vero pars a Divitibus ex ſuperfluis proprio ſtatui ſit in eleemoſynam eroganda, non tam facile eſt aſſignare. Communior videtur illa opinio, quæ obligat Epiſcopum habentem ſuperflua, ad tribuendam pauperibus quartem partem annui reditus beneficii, alios vero Eccleſiaſticos ad quintem, vel ſextam partem, dummodo aliud, quod ſuperfluum eſt congruæ ſuſtentationi, erogent vel in Dei cultum, vel in uſus pios. Quoad Laicos habentes ſuperflua proprio ſtatui, ſunt qui putant ab ipſis ſatisfieri obligationi de eleemoſyna elargienda, ſi pauperibus diſtribuant quinquageſimam partem annui reditus, cæteris reſervatis ad altiorem ſtatum adipiſcendum. Talis opinio, meo videri, nimis favet Divitibus; unde conſulerem, ut liberaliores eſſent erga pauperes, ne verificetur facilius eſſe Camelum tranſire per foramen acus, quam ipſos intrare in Regnum Cœlorum.

III. Ultimo notet prudens, & doctus Confeſſarius, quod dum dicitur ex ſuperfluis impendi poſſe in alios uſus, quam in eleemoſynas, hoc intelligendum eſt, dum non ſit neceſſitas ſubveniendi gravibus pauperum neceſſitatibus. Quis enim non videt, quam Deo diſpliceret fundam Eccleſias, Beneficia, ornamenta Altaribus &c. ſuppeditare, dum interim pauperes graviter indigentes in ſuis miſeriis tabeſcerent? *Bon. diſp. 3. qu. 4. de Car. p. 6. num. 9.*

CAPUT VII.

De Correctione fraterna.

1 Correctio fraterna eſt actus Miſericordiæ ſpiritualis, quo per convenientem ſermonem proximum a malo peccati ad bonum honeſtatis convertere nitimur, ſecundum Pſal. 149. *Corripiet me juſtus &c.*

2 De Correctione fraterna habemus præceptum Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus &c.* id eſt, Chriſtianus quilibet, quia præbet tibi cauſam indignationis juſtam, peccans te vidente, & ſciente.

NB. Aliter corripiendus inferior, prius increpando, poſtea hortando illum manſuete. Aliter æqualis, amice commonendus. Superior ſimiliter rogandus eſt, juxta Apoſt. 1. Tim. 5. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem.* Quod limita: Niſi ſuperior ſit infirmorum laqueus, & ſcandalum in rebus Fidei exiſtat, tunc publice a ſubdito redarguendus erit.

(Corripe eum) Præceptum eſt, non ſemper, ſed certis circumſtantiis obligans. 1. Si ſcias peccatum fratris; alias non debes inquirere, niſi Superior ſis. 2. Si non credas, fratrem jam emendaſſe delictum. Peccatum mere præteritum, ſi non ſubſit reincidendi periculum, non cadit ſub præceptum; quia nec ipſi peccanti ſtatim incumbit præceptum pœnitendi. 3. Si nemo adſit alius idoneus, qui emendaturus exiſtimetur. 4. Si ſpes fructus ex correptione effulgeat, Nam finis ejus eſt emendatio proximi, quæ ſi deſperatur, medium correptionis fruſtra adhibetur. 5. Si occaſio opportuna adſit.

3 Eſt mortale in gravi, cum quis commode poteſt tollere ſpiritualem miſeriam proximi per correptionem, & non faciat. Excipe: Niſi quis ex puſillanimitate exiſtimet ſe minus idoneum ad emendandum proximum.

Venialia ſub veniali ſunt corripienda. Probatur: Quia lex Charitatis poſtulat, ut quodvis malum proximi etiam exiguum impediamus, vel tollamus, ſi commode fieri poteſt.

Rara tamen eſt obligatio hæc, niſi in Superioribus: Imo in Prælatis Religioſis mortalis eſt, ſi per conniventiam vigor diſciplinæ religioſæ exinde minuatur.

Si quis alium volens corripere eodem peccato contaminatus eſt, debet prius ſuam culpam fateri, & poſtea corripere, non ſuperbe objurgando, ſed congemiſcendo (b).

„ (b) Id tamen de conſilio eſt, non de præ- „ cepto; nam & Reus alicujus delicti etiam antequam „ delictum ſuum expiaverit, debet alium corripere in „ idem peccatum labentem, ſi fructum ſperaverit; „ quod vix tamen in praxi ſuccedit.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum præceptum correctionis obliget de ſe ſub mortali, debet prudens Confeſſarius advertere, ne Pœnitentes huic muneri deficiant, ſub prætextu quod ad ipſos non attinet corrigere eos, qui non ſunt ipſorum ſubditi, Domeſtici &c. ſi enim peccatum ſit grave, & detur probabilis ſpes emendationis, tenetur unuſquiſque quærere opportunitatem temporis, ut proximum a ſpirituali ſublevet miſeria, alias difficile excuſabitur a gravi culpa, ut patet ex dictis.

II. Si aliquis non conſtitutus ſit e Superioribus ſpeculator actionum proximi, non poteſt propria authoritate alienos defectus inquirere, etiamſi ſibi proponat pro fine illos corrigere; nam ex hujuſmodi inquiſitione facta a particularibus perſonis pax Reipublicæ, & Communitatis turbatur. Hinc patet, quam male ſe gerant illi, qui ſola curioſitate moti, die, noctuque vigilant, ut ſcire valeant, quo aliquis eat, ubi commoretur, ſi domos ſuſpectas frequentet &c. Imo admonent Doctores ipſos Superiores, quibus licet adhibere etiam Zelatores ejuſdem, ne modis extraordinariis propriis Subditis inſidientur.

III. Si Superior manifeſtari præcipiat crimen occultum, quando prius præmittenda eſt fraterna ſecreta correctio, quam diximus cadere ſub præcepto, tunc non eſt ei parendum, ſed prius facienda eſt fraterna correctio, quæ ſi non proſit, tunc crimen deferendum eſt Superiori. Audiatur S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 5. *ad* 5. ubi ſic habet, *Prælato non eſt obediendum contra præceptum Domini, ſecundum illud Actor. 5. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Et ideo, quando Prælatus præcipit, ut ſibi dicatur, quod quis ſciverit corrigendum, intelligendum eſt præceptum ſane, ſalvo ordine correctionis fraternæ, ſive præceptum fiat communiter ad omnes, ſive ad aliquem ſpecialiter. Sed ſi Prælatus expreſſe præciperet contra hunc ordinem a Domino inſtitutum, & ipſe peccaret præcipiens, & ei obediens, quaſi contra præceptum Domini agens.* Si igitur aliquis a Superiore interrogetur de peccato occulto, quod cedit in damnum ſolius Delinquentis, ſi nondum ſecreto illum correxerit, poteſt reſpondere ſe neſcire, quia ita reſpondendo, reſpondet ad mentem interrogantis, cum præſumatur interrogare de peccato, quod dicere teneatur.

IV. Bene notet Confeſſarius multos deficere in adimplendo præcepto de fraterna correctione, quia non ſibi certo videtur delinquens emendandus, vel emendandus ſtatim; quapropter monere debet ſuum pœnitentem obligare hoc præceptum, dum eſt probabilis ſpes emendationis; vel dum ſperatur correctio aliquando profutura. Alii ceſſant a correctione, quia vident delinquentem aſſe perturbandum, ſed neque hoc motivum excuſat a correctione, quoties fructus ſperetur. Alii peritee credunt, hoc præceptum urgere, quando ſciunt, aliquem deliquiſſe, cum tamen Charitas expoſcat etiam corrigendum illum, qui eſt in periculo peccandi, vel quia e. g. habet malos ſocios, vel quia nimis familiariter incipit cum mulieribus agere &c. Moneat inſuper Confeſſarius quoſdam Zeli nimis ferventis, ut ad proximum corrigendum opportunum tempus expectent.

CAPUT VIII.

De odio Dei, & proximi.

1 Odium directe oppoſitum eſt amori. Sicut amor eſt duplex, benevolentiæ, & concupiſcentiæ; ita etiam odium duplex. Unum dicitur *perſonæ*, alias *odium inimicitiæ*, quo perſonæ, quæ nobis diſplicet, abſolute ipſi malum volumus. Alterum, odium *abominationis*, ſeu *qualitatis*, quo perſonam averſamur non ſecundum ſe ipſam, ſed ſecundum malum ipſi adjacens.

2 Aſſert. 1. Fieri poteſt, ut homo Deum odio habeat. Ratio: Quia licet Deus ſecundum ſe nullo modo ſit diſplicibilis, tamen extrinſece in effectibus propter punitionem, aut præceptum apprehendi poteſt in Deo malum, ratione cujus alicui diſpliceat, & ipſi malum optetur. Eſt omnium graviſſimum peccatum. Prob. Quia optimo opponitur peſſimum; ſed odium inimi-

inimicitiæ erga Deum directe opponitur amicitiæ divinæ, in qua maxima perfectio hominis viatoris conſiſtit: Ergo. In aliis mortalibus peccatis eſt interpretativum, ſeu virtuale odium Dei propter averſionem a Deo, & converſionem ad creaturas.

3 Odium proximi ex parte operantis eſt graviſſimum peccatum, eo quod directe adverſetur Charitati proximi: Ex parte nocumenti gravius eſt, V. C. adulterium, homicidium &c.

4 Odium Dei, & proximi non eſt ex ſeptem Capitalibus; quia non eſt tale, ex quo, ut fonte, alia oriuntur, ſed potius, in quod reliqua terminantur. Eſtque contra naturam, eo quod deſtruat naturalem amorem boni.

Deum odiſſe ut vindicem peccatorum eſt odium abominationis. Abſolute vero, & ſecundum ſe execrari eſt odium inimicitiæ graviſſimum. Similiter ſe habet odium proximi.

Diſcrimen eſt inter odium Dei, & proximi, quod odium Dei, ſi deliberate fiat, ſemper ſit mortale, utpote malum quodcunque, deſtruens bonitatem ejus. Odium vero proximi ex levitate materiæ ſit veniale, puta, ſi ex diſplicentia aliqua perſonæ exiguum malum optes.

5 Diſcrimen ſecundum: Odium abominationis erga Deum intrinſece malum, & mortale eſt. At odium abominationis erga proximum interdum culpa vacat, interdum laudabile. Prius prob. Quia Deus propter infinitam bonitatem non poteſt eſſe abominabilis. Poſterius prob. Quia odium abominationis erga proximum non ſemper adverſatur Charitati, ſed interdum fundatur in amore Charitatis Dei, ac proximi, ſi ejuſmodi odium debito ordine inſtituatur, & ex virtute Charitatis procedat. Conſiſtit autem ordo in eo, ut minus malum proximo evenire inefficaci voluntate, ſeu ſimplici optemus, quo majus malum, ſeu noſtrum, ſeu alienum evitetur. Contra vero, ſi majus malum; V. C. corporis mortem proximo deſideremus, ut nos a minori V. C. fortunarum damno liberemur, odium hoc malum eſt; quippe Charitatis ordini repugnans.

6 Dico 1. Maledictio eſt actus odii non elicitus, ſed imperatus, elicitive ad intellectum pertinens. Imprecatio vero, quæ eſt expreſſio voluntatis averſæ ab alio, pertinet ad voluntatem.

7 Dico 2. Maledicere latroni, ut juſtificetur ex odio abominationis, non quidem optando, quatenus malum abſolute, ſed quatenus bonum, licitum eſt, quia per illud majora mala impediuntur. Loquor autem de maledictione ſimplici; nam maledicere peccatoribus per modum cauſalitatis, ſeu imperii efficacis, iiſdemque malum inferre, ad eos ſolum pertinet, qui jus habent noxios puniendi.

NB. Diabolo non eſt maledicendum ſecundum naturam, ſed ſecundum culpam. Eccl.21.

Dico 3 Proximo ſine juſta cauſa maledicere Charitati repugnat, & ad peccatum odii pertinet; interdum vero juſtitiæ adverſatur, & ad contumeliam ſpectat. Quæ omnia in Confeſſione exacte perpendenda ſunt. Nam in faciem maledicere duplex peccatum eſt, contra Charitatem, & Juſtitiam. Eſt mortale ſi gravitas materiæ, & deliberatio accedat. Interdum ſine contumelia V. C. abſenti, & ſine honoris læſione maledicitur, eſtque unum; interdum in faciem ſine animo, quaſi id evenire optet. Eſtque tanto gravior contumelia (ſi fiat erga parentes, &c.) Exod. 21. quanto excellentior perſona.

Denique interdum ex impatientia ſuperior inferiori maledicit, eſtque veniale: V. C. Auferat te Diabolus; ſed non ex animo ut id eveniat. (*a*) Sed ſi quis ſe ipſum diabolo devoveat, mortale eſt ob fœditatem, horrorem, ac perverſitatem rei.

„ (*a*) Plures tamen Doctores neque ex rigidioribus
„ cenſent nunquam a Chriſtiano maledictionem illam
„ proferri: *auferat* te *Diabolus*, quantumvis ſine animo
„ perlatam, abſque gravi peccato propter horrorem,
„ quem auribus Chriſtianis verba iſta inferunt.

Regula in praxi obſervanda.

Dum quis ſe accuſat in Confeſſione ſe odiſſe Proximum, primo interrogandus eſt a Confeſſario de malo proximo exoptato; nam ex hoc capite odium, ut vidimus, poteſt eſſe peccatum leve. Secundo, ſi credat Confeſſarius non omnia odia interna eſſe ejuſdem ſpeciei, interrogare debet Pœnitentem de ſpecie mali, quod exoptavit; nam tunc aliud eſſet ſpecie peccatum exoptaſſe malum privans bonis fortunæ, aliud ſi privet bonis famæ, ſeu vitæ. Tertio, interrogandus de Perſona, cui malum exoptavit; nam ſi illam tenebatur proſequi peculiari virtute, duplex commiſit peccatum.

P. Laym. P. 1.

CAPUT IX.

De Acedia.

1 ACedia eſt triſtitia de bono divino, a nobis participando, quod propter obtinendi, vel conſervandi difficultatem nobis malum videtur, & idcirco animus in teporem, & ignaviam cadit. Nam licet quis neque bonum in Deo per ſe, nec per participationem odiſſe, nec de eo triſtari poſſit; tamen quatenus ejus acquiſitio cum corporis labore conjuncta eſt, carniſque oblectationem impedit, concipi triſtitia poteſt per accidens.

2 Quapropter Acedia non eſt aliud, quam triſtitia animi de gratia Dei acquirenda, vel conſervanda, ſeu de gloria cœleſti obtinenda per actiones noſtras cum labore junctas. Eſt ex genere ſuo mortale; quia Charitati Dei repugnat. Si voluntas languide reſiſtat, veniale.

Eſt inter vitia capitalia; quia ex eo, tanquam tædio, de ſpiritualibus oritur horror, & converſio ad creaturarum amorem, & illicitas delicias.

Præterea adhærent Acediæ triſtitiæ noxiæ, quæ virtutibus ſingulis adverſantur; ſcilicet, ſi quis triſtetur, quod orare debeat, &c. Verum hujuſmodi acediæ diverſa peccata non ſunt ab iis, quæ opponuntur virtutibus, de quarum bono aliquis triſtatur. Idcirco tali Acedia nunquam peccatur, niſi cum virtutes ſub præceptum cadunt.

NB. Expellitur Acedia non fugiendo, ſed reſiſtendo, atque opus ſalutis fortiter aggrediendo propter ſuavitatem virtutum.

Regula in praxi obſervanda.

I. Debet conari quantum poteſt Confeſſarius, ut Acedioſus aſſueſcat Meditationi bonorum ſpiritualium, & lectioni Sacrorum librorum; ut enim obſervat S. *Th.* 2. 2. *q.* 35. *a.* 1. *ad* 4. quanto magis de iis cogitatur, tanto magis gratioſa redduntur, & ex hoc ceſſat Acedia. Suadeat illi orationis exercitium, ac mente revolvere Myſteria vitæ, & mortis Chriſti, ſi etiam aliquantiſper agnoverit quanto amore, & ſtudio Salvator noſtram ſalutem quæſierit; pudebit utique ſuæ oſcitantiæ, & negligentiæ in acquirendis bonis ſpiritualibus. Animadvertere item faciat Acedioſo, *non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, ut ait Apoſtolus *ad Rom.* 8. potuiſſe Deum velle, ut per inexplicabilia tormenta Beatitudinem aſſequeremur, in quo etiam caſu nonniſi ſumma Miſericordem, & Benignum ſeſe oſtendiſſet; at nihilominus tam erga nos bonum eſſe, ut facile poſſimus eſſe Beatos, ſi excuſſa ſocordia aliquid laboris pati voluerimus pro eodem Deo aſſequendo. In memoriam demum revocet, quantum doloris experiatur in puncto mortis Acedioſus, dum conſiderat, quod tempus non erit amplius; & interim propter tanti temporis abuſum, ſolum ſibi ſupereſſe ſuppliciorum æternitatem: *Ardendum ergo modo igne Charitatis, ne ardeamus igne, quo arſuri ſunt Dæmones*, ait S. Auguſt. *Serm.* 234. *de Diverſ.*

CAPUT X.

De Invidia.

1 INvidia dicta a nimis videndo, ſive intuendo in proſperitatem alterius.

Definitur Invidia triſtitia de bono alieno, quatenus id malum invidentis æſtimatur, tanquam propriam ipſius excellentiam imminuens. Proprium vitium puſillanimorum.

Eſt ex genere ſuo mortale: Quia opponitur Charitati, cujus actio eſt gaudere de proſperitate proximi.

2 NB. Tres ſunt affectiones triſtitiæ. Prima eſt indignatio, ſive Nemeſis, per quam bona temporalia impiis, & indignis obvenire triſtamur. Eſt triſtitia vitioſa, ſi conſiderentur bona, vel prout abſolute proximi ſunt, vel ex ordinatiſſima Dei voluntate propter certum finem indignis obveniant. Nam tenemur gaudere ſic de proximi bonis, & Dei voluntati nos conformare, Pſal.36.

Si autem triſteris, prout indigno humana poteſtate contra juſtitiam diſtributivam obveniunt, vel prout abutitur, eſt laudabilis triſtitia.

Altera eſt æmulatio, ſeu zelus, qua triſtamur de bono proximi, non quia ipſius, ſed quia nos eo caremus. Hæc ſi verſetur circa bona animi, laudabilis eſt; etiam circa temporalia, ſi æmulanti convenientia ſint. V. C. Si opifex triſtetur, cum videt alios ſibi ſimiles ex opificio familiam alere, ſe non alere. Vitioſa eſt æmulatio, ſi ruſticus triſtetur, cum videt Nobiles emere Caſtra, ſibi talia deeſſe,

Diſtinctio eſt Invidiæ ab æmulatione: Nam per Invidiam triſtatur homo de bonis proximi non abſolute (id enim ad odium pertinet) ſed cum ordine ad invidentem, qui ea re ſe ſuperari exiſtimat. Per æmulationem vero non triſtatur homo de bonis proximi, ſed de ſua penuria, quam comparando eum alterius abundantia magis advertit.

Tertia affectio Invidiæ eſt, cum triſtamur de bono proximi, quia occaſionem putatur accepturus nobis, aut aliis nocendi. Quæ triſtitia bona eſt, ſi non temere, ſed prudenter timeamus: Secus, ſi temere.

3 NB. Velle, & nolle, amare, & odiſſe, lætari, ac triſtari, non ſunt actus contrarii, niſi circa idem objectum ſub eadem ratione formali verſentur. V. C. De morbo patris potes triſtari, quatenus malum perſonæ eſt, uti & de morte; ſed lætari de hæreditate, quia Dei voluntas eſt, cui te conformare debes. Vide has duas voluntates in Chriſto Domino. Luc. 22. Matth. 26. Joan. 12.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum Invidia ſit Superbiæ fœtus, ex nimio etenim amore propriæ excellentiæ oritur triſtitia alienæ felicitatis, ob quam nos minui timemus: hinc Confeſſarius ſi invidiæ radices velit expellere removeat a ſuo Pœnitente ſuperbiam. Hoc etiam facere poteſt demonſtrando ab invidia plus depeti, quam a quibuſcumque aliorum bonis, cum pudeat nobilem, & excelſum animum hoc viliſſimo vitio inquinari. Deſcendat deinde ad invidiæ crimen explicandum. Demonſtret, ipſum proprium Diaboli eſſe, nam e Paradiſo hominem exturbavit, quia ferre non poterat hominem eſſe ad infinitam dignitatem promovendum; quapropter ait Sapiens: *Invidia Diaboli mors intravit in orbem Terrarum*. *Sap.* 2. Conſiderare faciat, invidum quaſi dolere de Divina Bonitate, cum videatur nolle omnes reſpicere, ſed ſolummodo ſeipſum; item videtur optare deſtructionem illius ſocietatis, quam habent fideles inter ſeipſos, quatenus ſunt unius Dei Patris, & unius Matris Eccleſiæ Filii. Si enim omnes, ut ex eodem Patre, ac eadem Matre veluti primogeniti conſiderarentur, nullatenus diſpliceret quæcumque ipſorum felicitas. Oſtendere etiam poterit, bona temporalia aliis non eſſe invidenda, utpote quæ non poſſint hominem facere felicem, immo occaſio eſſe poſſint æternæ damnationis: a Chriſtiano ſolummodo æterna exoptanda, & quærenda.

Dicat demum, virtutes, quæ in aliis videntur, eſſe nobis debere incitamenta ad eas aſſequendas, non invidiæ irritamentum. Rurſus gaudendum eſſe, quia ſi non poſſumus habere temporalia, quæ videmus in proximis, divina favente Gratia, poſſumus acquirere Spiritualia, quæ in ipſis conſpicimus; atque ita aliquando cum ipſis eſſe Cives Sanctorum, & Dei Domeſtici.

II. Quando Pœnitens ſe accuſat de peccato Invidiæ, advertere debent Confeſſarii, multoties nullum committere peccatum, neque enim ægre ferunt Proximum aliquod bonum habere, ſed dumtaxat & ipſi eadem bona deſiderarent. Pariter eſt conſiderandum id, de quo tanquam de peccato Invidus ſe accuſant, eſſe peccatum odii, quia nollent Proximum aliquibus bonis frui, eo quia inter ipſos fuerint inimicitiæ &c. Quod ſi reſpondeant ſe ægre ferre in proximo bonum, quia ea ratione vident ſe minoris æſtimari &c. tunc proprie peccant peccato Invidiæ, ut ſuo loco dictum eſt.

CAPUT XI.

De Diſcordia, Contentione, & Schiſmate.

1 Diſcordia eſt diſſenſio voluntatum circa bonum, quod ex Charitate velle debemus: Si circa malum, laudabilis eſt diſſenſio. *Quod velle debemus*: Non enim peccatum Diſcordiæ eſt diſſentire, ac diſcordare in bono, ſi in eo concordare obligati non ſimus. V. C. Si ſocium rogantem, ut cum illo ingrediaris Religionem, ſequi recuſes, non peccas diſcordando.

Adde: Etiam ex inculpata ignorantia oritur diſſenſio voluntatum, dum unus hoc, alius aliud medium ad honorem *Dei*, vel proximi ſalutem convenientius probabili ratione judicat. Qualis diſſenſio erat inter Paulum, & Barnabam. Act. 15.

2 Contentio eſt *impugnatio veritatis, cum confidentia clamoris*. NB. Veritas dupliciter poteſt impugnari. 1. Intentione formali, cum quis agnitam veritatem impugnat. 2. Intentione virtuali, non curans, ſive doctrina vera ſit, ſive falſa. Eademque eſt ratio de eo, qui veritatem oppugnat, per culpabilem ignorantiam exiſtimans, eſſe falſitatem. Sic hæretici facere ſolent. Loquimur autem de oppugnatione, quæ ſerio fit. Nam ſi exercitii cauſa ad explorandam alterius doctrinam fit, laudabilis eſt.

Contentio, ſeu veritatis impugnatio ex genere ſuo eſt mortale, oppoſitum Paci, & Charitati, per quam tenemur proximo conſentire in bonis ipſi neceſſariis. Veritas autem ſæpe neceſſaria eſt proximo ad animæ ſalutem: Ergo eam contentioſe tollere velle eſt peccatum oppoſitum Paci, &c. Hinc Galat. 5. Additur: *Cum confidentia clamoris*: Quia clamor aggravat.

3. NB. Oppugnatio falſitatis cum clamore ob ſcandalum poteſt eſſe mortale. Quapropter diſputatio de rebus Fidei ſæpe vitioſa eſt. 1. Ex parte diſputantis, ſi non ſatis doctus, qualem Apoſtolus requirit ad Tit. 1. Et prohibetur laicis ſub pœna ferendæ Excommunicationis. Sed hæc in caſu neceſſitatis non habet locum, ſi laicus ſit: Et deinde in Germania inter laicos privatim diſputare moris eſt.

Ex parte eorum, coram quibus diſputatur. Nam ſæpe indocti auditores magis vim objectionum penetrant, quam ut intelligant earum ſolutionem: Quare Concionatores indocti habent ſibi cavere.

Ex parte eorum, quibuſcum diſputatur, V. C. pertinacibus hæreticis, apud quos nullus fructus ſperandus eſt. Melius ad confirmandos converſos fit, ut in Concionibus eorum mendacia falſitatis oſtendantur.

Denique addo ex D. Thoma: Cum bonum ex integra cauſa, malum autem ex quovis defectu ſit, conſequens eſt, ut bonæ, ac laudabilis Contentionis talis deſcriptio ſit: *Impugnatio falſitatis, cum debito acrimoniæ modo, congruo loco, tempore, &c. inſtituta*.

4 Schiſmatis peccatum committitur, cum quis ſe ſegregat ab unitate Eccleſiæ, prout ea eſt corpus myſticum ex diverſorum ſtatuum fidelibus tamquam membris inter ſe, & cum uno capite Chriſto, ejuſque in terris Vicario connexis. De quo Rom. 12.

Duplex eſt modus Schiſmatis. 1. Si quis ſe ſeparat a capite Eccleſiæ, Pontifice, qua tali, nolens obedientiam Sedi Apoſtolicæ præbere. Nam ſi contra hunc Pontificem ut privatam perſonam ſit rebellis, aut quia probabiliter putat, non eſſe caput Eccleſiæ, non eſt Schiſmaticus. 2. Si quis ſe ſeparat a reliquis membris Eccleſiæ in cultu Religionis, oratione, Sacramentis, &c. & ſeorſim agit, quaſi Eccleſiæ membrum non ſit.

5 Duplex iterum Schiſma, purum, & junctum cum hæreſi. Purum ex ſola voluntatis malitia renuit obedientiam; idque vel ſola intentione, vel operis executione. Sufficit indirecta intentio ſe ſubtrahendi ab obedientia. V. C. Si Epiſcopi convocent Synodum generalem ſine authoritate Papæ.

Diſcrimen inter Hæreſim, & Schiſma eſt, quod illa interna mente perficiatur, & exterius ſolum ſignificetur, ideoque requiritur error intellectus pertinax: At Schiſma externo opere conſummatur, ideoque ſufficit ad id voluntarium indirectum, & imputativum; ſicut ad homicidium &c.

Schiſma cum Hæreſi requirit negationem, Summum Pontificem eſſe verum Caput Eccleſiæ.

6 Coroll. Schiſma occultum non eſt verum Schiſma. At occultus hæreticus eſt vere hæreticus; quia congregatio Eccleſiæ eſt per Fidem, adeoque, ubi ea deeſt, deficit membrum.

NB. Qui ſeparat ſe a ſuo Epiſcopo, vel particulari aliqua Eccleſia, nihilominus intendens, ac palam proteſtans, ſe manere in communione Eccleſiæ univerſalis, & ſub obedientia Papæ, is proprie non eſt Schiſmaticus.

Pœnæ Schiſmaticorum ſunt *Excommunicatio Bullaris*, quæ tamen non eſt extenſa ad fautores. Item Inhabilitas ad beneficia, quæ etiam poſt pœnitentiam non tollitur, niſi per diſpenſationem.

CAPUT XII.

De Bello.

1 Differt bellum a rixa, & ſeditione. Quia bellum eſt multitudinis contra extraneos: Seditio eſt multitudinis contra multitudinem in eadem Republica: Rixa eſt paucorum contra paucos, vel ſingulos. NB. Bellum, & rixa proprie actualem pugnam ſignificant; ſeditio etiam præparationem animorum ad pugnam.

Rixa eſt *contradictio verborum orta plerumque ex ira, & procedens uſque ad verbera*. Eſt ex genere ſuo mortale. Et veniale vel propter vehementiam paſſionis, vel ex levitate; ut in pueris.

2 Bellum aliud eſt juſtum, aliud injuſtum.

3 Juſtum duplex eſt, defenſivum, & offenſivum. Defenſivum eſt, quo vis per injuriam illata repellitur, quod non ſolum publica, ſed etiam privata authoritate cuivis omni jure permiſſum eſt; in leg. 3. ff. de juſt. & jur. Bellum offenſivum eſt, in quo vis infertur, injuriæ vindicandæ cauſa. Ad ejus honeſtatem requiruntur tres conditiones: Legitima authoritas, cau-

ſa ju-

ſa juſta, & recta intentio, ut non ex odio, nec privatæ vindictæ cupiditate, ſed amore juſtitiæ ſuſcipiatur.

4 Aſſert. 1. Bellum offenſivum non niſi publica authoritate Principis, vel Magiſtratus ſuperiorem nullum agnoſcentia geri debet. Eſt communis ex S. Auguſtino: *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli authoritas penes Principes ſit.*

Prob. Diſcrimen eſt inter Magiſtratus, quod illi ſuperiorem nullum agnoſcant (ut Imperator, Reges, & Reſpublicæ liberæ Venetorum, Genuenſium, & Helvetiorum) hi bellum offenſivum, & defenſivum gerere poſſunt. Nam omnis Reſpublica ita debet eſſe comparata, ut ſibi ſufficiat ad publicum ſtatum, & quietem ſervandam. Alii Magiſtratus ſunt inferiores (Duces, Civitates Imperii) hi non poſſunt offenſivum (licet defenſivum) bellum gerere ſine licentia ſuperioris Magiſtratus, qui *gladium portat*. Rom. 13. Hinc l. Hoſtes ff. de Captivis, & poſtliminio reverſis, prædones appellantur, qui ſine authoritate Imperatoris bellum offenſivum ſuſcipiunt. Excipe: Si ſupremus Magiſtratus negligat illatas injurias vindicare; tunc enim neceſſitas licentiam dat, ne improbitas impunita majores animos faciat.

NB. Prohibitæ etiam ſunt confœderationes, & conventicula, quæ ſine authoritate Imperatoria fiunt, l. denuntiamus, C. de his, qui ad Eccleſiam, &c. præterquam ad neceſſariam defenſionem contra iniquos.

5 Aſſert. 2. Generalis juſta belli offenſivi cauſa eſt *accepta injuria*. Idque Jure gentium pro defectu proprii Judicis, ac vindicis. Idcirco ipſe princeps, qui, vel cujus ſubditi injuriam paſſi ſunt, judicandi, & vindicandi ſceleris poteſtatem Jure naturali conſequitur.

NB. Præmonitio tamen requiritur a læſorum Principe, ut coerceat ſubditos, & cogat ad damnum compenſandum. Si autem non faciat, tunc contra ipſum quoque bellum moveri poteſt. Sed requiritur injuria gravis: Alias mortaliter Conſiliarii, & Principes peccabunt propter tot hominum cædes; niſi ſit in Eccleſiæ, & Fidei Catholicæ augmentum (*a*).

„ (*a*) Non ſic ait Layman; ſed vult, ut Principes „ antequam moveant bellum ad ulciſcendam inju„ riam acceptam videant, an illud in detrimentum Ec„ cleſiæ vel fidei ceſſurum ſit, & ſi hujus pericu„ lum imminere norint, ab illo etiam alias juſto ab„ ſtineant.

Aſſert. 3. Particulares cauſæ juſti belli ſunt hæ. 1. Ut ſubditi rebelles ad obedientiam redigantur. 2. Ut recuperetur Provincia, Civitas debita, ſi multum interſit boni communis. 3. Ad vindicandam gravem contumeliam principi illatam. 2. Reg. 10. 4 Ut ultio ſumatur de gente, quæ hoſti injuſtum bellum gerenti auxilium præbet. 2. Reg. 8 5. Ut repellantur ii, qui injuſte prohibent, ne nocentes puniantur. Jud. 20. 6. Ut puniantur violatores fœderis initi cum Principe non ſine gravi injuria illius. 4. Reg 3. 7. Ut impetrentur ea, quæ Jure gentium permiſſa ſunt, & per injuriam denegantur, V. C. tranſitus ſine mora, & ſine nocumento ex una regiona in aliam; ut habetur cap. ult. 23. q. 2. Eoque ſenſu Cæſar dixit: *Arma tenenti omnia dat, qui juſta negat*. 8. Ut ſociis auxilium juſtum afferatur: Quod ſi vero ab hoſtibus infeſtentur auxiliarii, tunc & ipſi jus acquirunt per ſe bellum inferendi adverſariis. 9 Si populi ſubjecti idololatriæ, aut hæretici ſint, alioſque in diſſenſionem (etiam vicini Regis ſubditos) trahant.

NB. Si bellum juſtum eſt formaliter reſpectu Principis, licet informatio Conſiliariorum falſa, tamen Princeps non habet cauſam ſuſpicandi de falſitate, practice judicium ſuum conformare poterit informantium allegationibus.

Aſſert. 4. Perſpecta juſta belli cauſa, parti adverſæ ea prius inſinuari debet, antequam bellum inſtituatur: Quod ſi parata ſit ſatisfacere, acceptari debet juxta Deut. 20. Ratio: *Quia bellare non voluntatis, ſed neceſſitatis eſt*. c. noli, 23. q. 1. propter ingentia mala, quæ bello conjuncta eſſe ſolent.

Etiam poſt mutuum conflictum, quando jam aliqui ex hoſtibus ceciderunt, ſi adverſarius condignam ſatisfactionem offerat, acceptari debet ex charitate, videlicet ſi injuſta ablata reſtituat, belli expenſas, & æſtimationem periculi, authores illatæ injuriæ, tradat.

6 NB. 1. Infideles adſciſcere licet in belli ſocietatem, per ſe loquendo; tamen per accidens, & ratione ſcandali illicitum eſt.

. *P. Layman P. I.*

7 NB. 2. Etſi capti in bello juſto ſpectato rigore juſtitiæ occidi poſſint, tamen lex charitatis poſtulat, ut Dux belli habita ratione communis boni in clementiam declinet, & multitudini parcat, excepto, ſi de peculiari crimine, vel perduellionis, vel læſæ Majeſtatis damnati, vel convicti ſint, aut ſi id opus ſit ad ſtabiliendam ſecuritatem contra valde pertinaces.

8 Aſſert. 5. Subditi, qui de belli juſtitia dubitant, Principi ita jubenti merito parent; idemque dicendum de milite conductitio. Ratio: Quia *in dubio quiſque obedire debet Principi, vel Superiori ſuo*. C. quid culpatur. 23. q. 1. Simile ratione ſi carnifex de juſtitia dubitet, tamen juſte latam ſententiam a Judice exequitur; quandoquidem ad ipſum non pertinet diſcutere.

Aſſert. 6. Milites extranei, & voluntarii vocati ad bellum, de cujus juſtitia dubitant, ut in neutram partem prudenter aſſentiantur, militare plerumque non poſſunt. Ratio: Quia nulla cogente neceſſitate obediendi exponunt ſe periculo graviſſimæ injuriæ inferendæ. Dico: *Plerumque*; Etſi enim cauſa bellandi ſpeculative quidem dubia videatur, præſumptio tamen ſit, Principem cum Conſiliariis, examinata prius diligenter cauſa, bona fide ad bellum procedere, poſſunt militare, nam debent habere indicia ad judicandum in tam gravi re (*b*).

„ (*b*) Hanc quæſtionem agitans Benedictus XIV. „ Inſtit. Eccleſ. num. 101. §. 18. cenſet non commiſ„ ſurum grave, illum qui alieno Principi admilitat „ neſciens, an juſtum ſive injuſtum bellum gerat, ne„ que teneri prius ſe certiorem de juſtitia reddere, cum „ id privato ſit impoſſibile: unde debet præſumere „ eum juſte bellum gerere.

Milites, parati ſequi indifferenter ad bellum quemcunque, ſive juſte, ſive injuſte bellantem, non debent abſolvi, niſi propoſitum corrigant.

9 Quicunque in juſto bello pugnant, progredi poſſunt ſecundum juſtum mandatum, & voluntatem Ducis ſui expreſſam, vel tacitam, ad agrorum vaſtationem, pagorum everſionem, hoſtium ſpoliationem, nocentium cædem. Ratio: Quia ſunt executores juſtæ ſententiæ, & vindictæ, quam ſupremus Princeps in hoſtes decernit. Quod ſi Dux conſulto nolit, aut prohibeat, tunc peccant contra juſtitiam, ſi damna inferant; ſi ſolum prohibeat, ut diſciplina conſervetur, plerumque non niſi venialiter, niſi ſe in grave periculum conjiciant.

Nota: Si ſolum bellum inſtituatur defenſionis cauſa, tunc ea ſolum agere fas eſt, quæ ad præſtandam pacem, & ſecuritatem ab hoſtibus neceſſaria ſunt. Si vero ad perſequendam injuriam materialem, V. C. recuperandam civitatem, quæ jure Principi debetur, ſed ab altero per invincibilem ignorantiam alieni juris poſſidetur, tunc ea ſolum agere licet, quæ ad occupandam civitatem neceſſaria videntur, &, quatenus fieri poteſt, cum minimo hoſtium damno, & ſine condemnatione ad expenſas: *Quandoquidem nec in judicio pars, quæ cauſa cadit, ad expenſas alteri parti præſtandas condemnari ſolet, niſi litigando in dolo, vel culpa fuerit*; ut notat Molina. Si vero bellum inſtituatur ad vindicandam injuriam formalem, tunc juſtitiæ vindicativæ modum ſervare oportet, ut injuriæ quantitatem pœna non excedat. V. C. Pago deſtructo ab hoſte, non expedit totum regnum invadere, niſi hoſtes ſatisfacere recuſent, & diu continuent.

10 In bello licet inſidiis uti, modo abſit mendacium; cum enim in bello ſit hoſtibus nocere, fas etiam erit occultando ipſis conſilia efficere, ut decepti nocumentum patiantur. Vide Juſ. 8.

NB. Simulare in bello ſe eſſe ſocium hoſtis eſt peccatum; ſed propter invincibilem ignorantiam, quia milites recte ſe agere exiſtimant, excuſantur. At vero in promiſſionibus, & pactis per ſimulationem aliquid dicere, aut facere, injurioſum eſt.

11 Dico 1. Innocentes per ſe occidi non poſſunt in bello, V. C. infantes, etiam Turcarum, & Hæreticorum, Clerici, ſimplices, ruſticani, idque ſecundum Juris præſumptionem, donec contrarium oſtendatur. Per accidens vero, ſi bellum geri, & ab hoſtibus victoria obtineri non poſſit, niſi occiſis innocentibus, licitum eſt, quando id ratio communis boni ita exigit.

Quod innocentes in veteri lege Deut. 20. occiſi ſint in bello, id ex ſpeciali Dei mandato factum eſt.

12 Dico 2. Quod attinet ad ſpoliationem bonorum, ſi innocentes ſint pars Reipublicæ delinquentis, faseſt omnes ſpoliare, mulieres, ac infantes in captivitatem ducere. Intellige: Si infideles ſint; ſecus, ſi Chriſtiani: Nam Chriſtiani a Chriſtianis capti, ſervi eorum non efficiuntur ob diuturnam conſuetudinem vim legis obtinentem, ſed interdum pecunia., tanquam in præmium victori oblata, redimi ſolent.

Porro ad hoc, quod tota Communitas deliquiſſe cenſeatur, neceſſe eſt, ut major, vel potior ejus pars, quæ alioquin ad decernendum aliquid Communitati ſufficeret, delictum aliquod fieri, V. C. proditionis, apoſtaſiæ, decrevit; ita etiam innocentes bonis ſpoliari poſſunt, &c.

13 NB. 1. Querelæ hoſtium ſubditorum propter vexationes, & ſpoliationes militum non ſunt curandæ, ſi milites in expreſſo, vel tacito conſenſu Ducis procedant, & alio modo debita vindicta ſumi, & ſatisfactio impetrari non poſſit.

Atque huc ſpectant literæ repreſſaliarum, quibus princeps ſubditis, aut militibus ſuis injuſtum damnum paſſis poteſtatem dat invadendi terram eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi etiam bona innocentum uſque ad compenſationem damni: Sed quia hæ repreſſaliæ ſpecies ſunt belli, ideo ſine gravi neceſſitate non concedendæ, cum ſint periculoſæ, & occaſionem præbeant rapinarum. Quod ſi repreſſaliæ contra Eccleſiaſticas perſonas concedantur, id ſub pœna Excommunicationis, ipſo jure lata, prohibitum eſt.

NB. 2. Per accidens poſſunt naves, & alia peregrinis, & Clericis ad neceſſitatem belli auferri, ne hoſtes utantur; tamen poſt bellum reſtitui debent.

NB. 3. Subditi innocentes rebellium Principum in odium Principis & vindictæ ſpoliantur, exceptis iis, qui, quantum in ipſis erat, reſtiterunt rebelli, & adhæſerunt juſtum bellum gerenti.

Dico 1. Fas eſt, ſi injuria hoſtium id mereatur, totam civitatem in prædam dare, licet graviſſima crimina juncta ſint, ſtupra, cædes innocentum; per accidens non peccat Dux belli, permittens talia, quando aliter nec pertinacia hoſtium frangi, nec pax alio modo obtineri poteſt.

14 Dico 2. Mobilia ab hoſtibus accepta Jure gentium capientium fiunt. Et conſtat ex l. ſi quid bello, ff. de captivis. *Quæ ex hoſtibus capimus, jure gentium ſtatim noſtra fiunt, adeo quidem, ut & liberi homines* (non Chriſtiani) *in ſervitutem noſtram deducantur.* Excipe: Niſi alicubi mos ſit, ut ſpolia ad Ducem afferantur, qui pro meritis diſtribuat. Nec juſta ſpolia computari debent in compenſationem debiti principalis, quod juſte bellans ab hoſte jure exigere poteſt.

Dico 3. Mobilia ablata ab hoſtibus, quæ hoſtes ante ab aliis injuſte ceperant, ſecundum Jus Cæſareum ſunt capientium, neque priſtinis dominis reſtituenda, poſtquam in locum tutum deportata fuerunt. Ratio id poſtulat communis boni per conſuetudinem introducti, tum ad militum animos excitandos, tum ad innumeras lites tollendas. Sed excipe, quæ poſtliminii jure gaudent; ut currus, naves onerariæ commeatuum.

Dico 4. Immobilia, quæ occupantur quatenus juſtam damni compenſationem, vel pro injuria ſatisfactionem non excedunt, pertinent ad Principem: Si vero ab hoſte, cui erepta ſunt, injuſte poſſeſſa fuerant, priſtinis dominis reſtituenda erunt.

15 Dico 1. Fides publica a Magiſtratu data quibuſcunque hoſtibus publicis, etiam infidelibus, atque hæreticis, omnimodo ſervanda eſt. Ex S. Auguſt. Epiſtola 205. ad Bonifacium. *Fides, quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt, contra quem bellum geritur.* Prob. Quia fœdera publica gentium Jure introducta ſunt, idque propter neceſſitatem, quia alias nulla pax, aut ſocietas inter humanum genus conſiſtere poſſet.

Intelliguntur autem hæc, dummodo fœdus ex objecto malum non ſit, conſequenter nec obligatorium.

Neque vero tergiverſationi locus eſt, quod pars altera ad fœdus ineundum per vim injuſtam adacta ſit. Cum enim paciſcentes ſuperiorem Judicem non habeant, qui cauſa cognita ipſis jus dicat, quælibet pars poſſet dicere, ſibi vim injuſtam illatam eſſe, ac proinde fœdus a ſe reſcindi poſſe. At vero, ſi privatus alteri privato, vim injuſtam inferenti, promiſſionem faciat metu adactus, licet ejuſmodi pactio mero jure valeat, poteſt tamen propter æquitatem reſcindi, juxta Prætoris edictum: *Quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo.* lib. ff. tit. 2.

Deinde tergiverſationi locus non eſt, etiamſi poſtea appareat, fœdus publica authoritate initum Principi paciſcenti. pernicioſum eſſe, dummodo ex objecto malum, ſeu iniquum ſit.

At vero fœdera inter privatos, ſi vergunt in perniciem Principis, reſcindi poſſunt, cum in omni fœdere, & promiſſione intelligi debeat exceptum jus Superioris; quippe cui ſubditus præjudicare non poteſt. c. venientes, de jurejur. Sin vero fœdus, aut promiſſio alieno Principi facta in publicam perniciem non cedat, V. C. ſi quis Tyranno reditum, vel redemptionis pretium juratus promiſit, fides ſervanda eſt.

NB. Pacta inita inter duos Reges non poſſunt reſcindi, ne quidem Eccleſiaſtica authoritate: Nam ſolvendi poteſtas data eſt Eccleſiaſticis in ædificationem, non in deſtructionem; at vero talis relaxatio fœderis tenderet contra Jus gentium, adeoque cederet in magnum detrimentum ſocietatis humanæ: Ergo.

Dico 2. Si fœdus publicum initum ſucceſſu temporis cedat in magnum detrimentum Eccleſiæ, tunc Summus Pontifex indirecte cogendo alteram partem, ut remittat, poteſt reſcindere. Ratio: Quia id poſtulat bonum regimen Reipublicæ Chriſtianæ; & Catholici Reges non alia conditione ſua fœdera conſtituere cenſentur, niſi, ut ſalva interim ſit Eccleſiæ Chriſtianæ incolumitas.

Dico 3. Si a Chriſtiano Rege fœdus publicum fiat cum infidelibus, nulla ratione poteſt Pontifex relaxare. Ratio: Quia id cederet in contemptum Eccleſiæ, & ſi Eccleſiæ pernicioſum, a Chriſto ſupremo Rectore ſperandum eſt auxilium.

Dico 4. Si fœdus publicum cum hæreticis fiat, non poteſt authoritate Pontificis relaxari: Quia hoc cederet in detrimentum Eccleſiæ. Nam cum hæretici in omni fœdere excluſam velint Papalem relaxandi poteſtatem, ideo apud ipſos, & omnes nationes infideles blaſphemabitur nomen Domini, ſi dicamus, nos cum conſenſu Pontificis fœdera publica contra Jus gentium erga hoſtes violare poſſe.

Quod hæretici de Jeſuitis afferunt, eos docere, hæreticis fidem ſervandam non eſſe, mera calumnia eſt.

Objectio de Joanne Huſſio, quaſi ipſi fides ſervata non ſit, diluitur. 1. Quia Sigiſmundus dedit ſalvum conductum in forma juris communis, id eſt, ſalva executione juſtitiæ. 2. Quia Huſſius poſt ſalvum conductum fugam arripuit, quæ ipſi ſub pœna capitis ab Imperatore prohibita erat. 3. Ipſamet Synodus Conſtantienſis Seſſ. 19. demonſtrat, a ſeculari poteſtate per ſalvum conductum alicui datum Eccleſiaſticæ, ac ſuperiori juriſdictioni nullum præjudicium generari poſſe, quo minus contra pertinaces ad punitionem procedere poſſit.

16 Dico 1. Capti in bello fugere poſſunt, & res hoſtium aſportare, dummodo ſcandalum, & ſpecialis permanendi pollicitatio abſit. Id enim Jure gentium introductum, & eſt jus poſtliminii. l. in bello 1. nihil intereſt, ff. de captivis. Accedit, quod hæc pœna perpetuæ ſervitutis naturali propenſioni admodum repugnet, ut eam ſuſtinere, ſi quis fugere poſſit, valde difficile ſit. Nec obſtat, quod, ſi rurſus deprehenduntur, puniantur: Nam etiam fugitivi damnati ad mortem puniuntur, etiamſi fugiendo nihil peccarint.

Dico 2. Capti in bello injuſto, V. C. Chriſtiani a Turcis, non ſolum licite fugere poſſunt, ſecluſa ſpeciali obligatione manendi, aut juramento, ſed etiam in compenſationem damni illati res hoſtium auferre poſſunt. Ratio: Quia ſi nemo adſit, qui juſtitiam adminiſtraturus eſt, poteſt quilibet, ſi ſcandalum ceſſet, per ſe ipſum accipere, quæ ſibi liquido debentur, non obſtantibus Induciis, quæ non extendunt ſe eo, ut, qui hactenus injuſte oppreſſi fuerunt, jus ſuum recuperare non poſſint.

17 Dico 3. Peregrini Chriſtiani inter Turcas verſantes, ſi quid auferant, pro furibus habendi ſunt. Prob. Quia Turcæ veri domini ſunt bonorum mobilium. Excipe: Si quid per injuſtitiam a Chriſtiano peregrino extorſerunt, licite poſſunt tantundem a Turcis auferre.

Dico 4. Turcæ tempore Induciarum inter Chriſtianos verſantes non poſſunt ſpoliari a Chriſtianis: At tempore belli poſſunt, etiam a quovis privato ſubdito, ex præſumpta voluntate Principis.

18 Quæſito de peccatis in bello fieri ſolitis. 1. Dux peccat, ſi juſta ſtipendia militibus non provideat. Unde ſtimulantur ad rapinas, ad quarum reſtitutionem

Dux

Dux tenetur. 2. Si non ſervet diſciplinam militarem, quantum in ſe eſt; alias ad reſtitutionem damnorum obligatur.

Quod ſi timeatur ſeceſſio militum, & propter diuturnum bellum non omnes milites ſolvi poſſint, tunc permitti poſſunt aliqua minora mala ad majora incommoda vitanda, & incolæ æquo animo perferre debent.

Peccata Ducum ſupremo ſubordinatorum ſunt. 1. Si milites abſque neceſſitate temere exponant internecioni. 2. Si ſine neceſſitate in locis fœtidis caſtra figant. 3. Si in ſolutionibus injuſtis praxibus permutationum utantur. 4. Si cum damno Reipublicæ non compleant numerum militum, & tamen accipiant pecuniam. 5. Si dimiſſis veteranis novos, & ineptos ſubſtituant ſtipendio minore. 6. Si retineant ſtipendia, & permittant militibus a ruſticis extorquere ſibi neceſſaria. 7. Si tranſeuntes per civitates ad redimendam vexationem accipiant pecunias.

Alii Officiales peccant: 1. Si victualia exercitui neceſſaria convehi negligant, aut corrupta vendant. 2. Si propter lucrum aliam materiam pulveri tormentario admiſceant. 3. Si pro cibo, & aliis plus accipiant, quam decet. 4. Si accipiant pecuniam a domibus ad redimendam vexationem, & alios gravant magis.

Denique milites omnes ratione ſtipendiorum peccant, & ſub mortali tenentur reſtituere. Obligantur enim. 1. Ut Duci obtemperent, in acie conſiſtant, nec facile fugiant. 2. Ut ſtationem ſervent, arcem ſibi commiſſam defendant, etiam cum periculo vitæ, quamdiu ſpes defendendi ſupereſt: Alioquin capite plectuntur, juxta l. 2. ff. ad legem Juliam Majeſt. 3. Ut ſine Ducis licentia non diſcedant ab exercitu propter damnum, quod inferunt fuga ſua. 4. Milites ſuis ſtipendiis contenti eſſe debent, Luc. 3. ideoque innocentes non gravare. Et licet milites in ſolutione ſtipendii dilationem injuſtam patiantur, tamen non ideo licitum eſt innocentes ſpoliare: Quia bona aliena non ſunt oppignorata militibus pro ſtipendio.

Quod ſi in graviſſima neceſſitate milites cogantur ſpoliare innocentes, Princeps tenetur ad reſtitutionem damnorum, quatenus moraliter poteſt, ſi cauſa injuſtæ detentionis extitit. Quod ſi ſine ſua culpa factum ſit, non amplius obligatur, quam inde locupletior redditus eſt.

19 Clerici Jure Eccleſiaſtico extra neceſſitatem propria manu pugnare non debent. Prob. Quia indecens eſt, ut, qui ſpiritualis militiæ ſe tradiderunt, arma, vel negotia ſæcularia tractent, juxta 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo &c.* Accedit, quod Clerici ordinentur ad miniſterium Altaris, in quo ſanguis Chriſti repræſentatur: Ergo Clerici non debent alienum ſanguinem, ſed parati eſſe proprium fundere pro Chriſto. Hinc ab Eccleſia conſtitutum eſt, ut, qui hominem extra neceſſitatem occidit, vel mutilat, fiat irregularis, laicus ſine peccato, Clericus cum peccato. Dixi 1. *Jure Eccleſiaſtico*. Nam Jure naturali non prohibitum eſt Clericis pugnare. Hinc Pontifex poteſt diſpenſare. Sic in veteri lege, Exod. 32. Levitæ laudantur a Moyſe, quod contra Idololatras pugnarint. Dixi 2. *Manu propria*. Quia de conſenſu Superiorum poſſunt intereſſe bello, ut Parochi, & Confeſſarii, modo non audeant jubere occidere, & mactare hunc, vel illum, ſed conſulere, ut fortiter pugnent pro patria, & generatim hoſtes occidant. Ut Henriquez.

Deinde Clerici poſſunt 1. Alios bellum juſtum ſuadere. 2. Principem ſæcularem in ſubſidium contra infideles invocare. 3. Principes Epiſcopi Germaniæ poſſunt bellum legitima authoritate indicere, militem conſcribere; ſed ipſi ſine licentia Papæ non debent eſſe Duces.

Dixi 3. *Extra neceſſitatem*. Nam in neceſſitate ſine diſpenſatione poſſunt Clerici propria manu pugnare. 1. Si id neceſſe ſit ad defenſionem propriæ vitæ. 2. Si neceſſe ſit ad defenſionem proximi innocentis Reipublicæ multum utilis. 3. Si neceſſarium ſit ad defenſionem patriæ, aut civitatis contra injuſtos invaſores. 4. Si neceſſarium ſit ad victoriæ, ex qua ſalus Eccleſiæ multum pendet, conſecutionem. Ordinariè autem talis neceſſitas non occurrit in bello, præſertim offenſivo, cum laici ſufficienter haberi poſſint.

NB. 1. Clerici in Majoribus pugnantes peccant mortaliter; in Minoribus gaudentes privilegio, & Canonis venialiter; non gaudentes non peccant. Quod ſi Beneficiati ſint, dicendum eſt, ne mortaliter peccent. Excipe, ſi contra hæreticos pugnent. Quod ſi occidant, debent reſignare, aut diſpenſationem petere ſuper Irregularitate (a).

P. Layman P. 1.

„ (a) Excipe etiam ſi bellum ſit juſtum & defenſivum; tunc enim Clericus juſſus arma capere ſi non ſufficiant laici, etiamſi occiderit nec peccat, nec irregularitatem incurrit, ut docet Benedict. XIV. in Inſtit. Eccl. 101. §. 9.

NB. 2. Clerici (niſi conſtet de contraria voluntate Ducis) gaudent ſpoliis hoſtium: Ratio? Quia tales Clerici exercitui ſunt utiles, imo & pars exercitus; ideo gaudere debent commodis belli, ſicuti etiam periculis expoſiti ſunt.

CAPUT XIII.

De Scandalo.

1 Scandalum eſt *dictum, vel factum* (quia externa hominis operatio, vel omiſſio alterum ad peccandum poteſt inducere) *minus rectum* (ſpeciem mali habens) *præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*. Additur: *Minus rectum*. Quia non neceſſe eſt, ut operatio, vel omiſſio ſecundum ſe mala ſit, ſed ſufficit habere ſpeciem mali. V. C. Si clericus mulierem ſuſpectam apud ſe aleret; licet nihil peccet, tamen ſub mortali tenetur dimittere; quia ſcandalum dat.

NB. 1. Operatio ſecundum ſe venialis per circumſtantiam poteſt fieri mortalis. V. C. Si Religioſus jocoſum verbum coram fœminis proferat, & adoleſcens verbum amatorium fœminæ coram viro valde zelotypo inſinuet, unde timenda magna diſſenſio, tales peccant mortaliter.

NB. 2. Licet operatio ſecundum ſe mala non ſit, tamen ſpeciem mali in ſe habet: Si tamen permoveas, & removeas, quantum in te eſt, non peccabis. Sic Parochus, qui die feſto non poteſt celebrare, nec alium ſubſtituere, ſi inſinuet populo cauſam, licet ſcandalum ſequatur, ipſe tamen erit extra culpam.

2 Duplex eſt Scandalum. Unum per ſe, *ſive datum*. Alterum per accidens, ſive *mere paſſivum*. Datum iterum duplex. Vel eſt inductivum ad peccatum in genere moris, conſilio, juſſu: Vel propriè inductivum, ſuapte natura occaſionem præbens peccati. Idque vel objective, ut ſi coram aliis die interdicto carnes comedas: Vel in genere cauſæ materialis; ut ſi Principi injuſte bellanti pecunias concedas, ſine conſilio &c. Nec opus eſt ad peccatum Scandali, ut ruina proximi ſequatur, ſed ſatis eſt, ſi ſequi poſſit ex opere ſuapte natura cum circumſtantiis conſiderato.

Scandalum paſſivum (*acceptum*) eſt, cum & præter operantis intentionem, & præter naturam operis alter occaſionem peccandi accipit. Dividitur in Scandalum puſillorum, quod ex ignorantia, vel infirmitate provenit; & in Scandalum Phariſæorum, quod ex mera malitia ortum habet.

3 Aſſert. 1. Nullo caſu licitum eſt alterum inducere juſſu, vel conſilio, expreſſe, vel tacite ad id, quod ab eo ſine peccato fieri non poteſt. Sumitur ex Matt. 8. *Væ homini &c.* Ratio? Quia repugnat præcepto negativo Juris naturæ: *Ne proximum in peccatum inducas.* Quare talis inductio ſemper mala eſt, & contra Charitatem, & Miſericordiam.

Exinde reſolves, non eſſe licitum, ut petas a Sacerdote, qui juriſdictione caret, ut te abſolvat: Nec licitum eſt, ut alterum invites ad bibendum uſque ad ebrietatem: quia hæc omnia ſine peccato non poſſunt fieri. Etſi ſint ipſi parati ad bibendum, vel ad peccandum, & tu cauſa non ſis interni mali propoſiti, cauſa es tamen peccati ſecundum executionem.

4 Aſſert. 2. Ad peccandum materialiter tantum cooperari licitum eſt, requiſitis tribus conditionibus: 1. Ut cooperatio ſecundum ſe moraliter bona, vel indifferens ſit. 2. Ut bona intentione fiat. 3. Ut proximi peccatum impedire nequeas, vel non debeas. Ita Dominus Deus ex debita diſpoſitionis, & providentiæ ſuæ lege in genere cauſæ efficientis concurrit non præveniendo, ſed concomitando ad opus materiale peccati. Ita uxor tenetur reddere debitum conjugi voto caſtitatis obſtricto, ſi eum aliter a propoſito avocare non poſſit: Peccavit tamen, ſi ſcienter contraxit cum tali, quia talis deſponſatio fuit injurioſa Deo. Et Parochus tenetur Euchariſtiam porrigere excommunicato, & hæretico occulto, ſi publice petat. Et Confeſſarius tenetur Communionem præbere petenti, licet ejus indiſpoſitionem ex Sacramentali Confeſſione cognitam habeat.

Digitized by Google

NB. Catholicus ob conſuetudinem loci licite cum hæretica contrahit. (a) Licet enim ſacerdos, ut publicus Miniſter, non debeat miniſtrare Sacramenta indignis; tamen ſponſus ut privata perſona tunc contrahere poteſt, quia utitur Jure naturali contractus celebrandi, cui ratio Sacramenti acceſſorie conjuncta eſt.

„ (a) Benedictus XIV. hæc conjugia etiam in lo„ cis hæreticorum peccati mortalis damnat in ſuo „ Opere de Synod. Diœceſ. lib. VI. cap. 5. num. 4. „ & 5.

Eodem modo licet in civitatibus, ubi permiſſum eſt majoris mali vitandi cauſa, meretricibus domos locare pro lupanari permiſſive; item fas eſt, amicum, qui violandi jejunii gratia ad cauponem divertere cogitat, domum ſecum abducere, & cœnam miniſtrare hoſpitalitatis gratia. Item fas eſt, in civitate, in qua Catholici mixtim cum hæreticis vivunt, die interdicto carnes in caupona apponere poſtulantibus, poſito, quod alii ſint appoſituri, &c.

NB. Itaro, & furioſo enſem præbere potes, ſi alioquin te eſſet occiſurus (b).

„ (b) Tria tamen hæc; de amico parato violare je„ junium; de hæretico, cui in caupona die jejunii „ apponendæ eſſent carnes; & de furioſo, cui præbe„ rentur arma in caſu hic expreſſo, modo poſt da„ mnationem propoſitionis 51. ab Inn. XI. an. 1679. „ damnatæ, vix ſubtineri poſſunt; nimis enim proxi„ me actiones iſtæ concurrunt ad peccatum.

NB. Catholicus non poteſt pagum Catholicum vendere hæretico Principi, niſi graviſſima neceſſitas urgeat, ob ſcandalum, & periculum animarum, quarum major ratio habenda eſt, quam temporalium commodorum.

5 Cooperatio materialis ad peccatum, quanto remotior eſt, tanto facilius ob cauſam rationabilem permittitur. V. C. Fundere campanam conceſſum eſt, licet aliqui abuſuri ſint ad hæreſim: Sed longe gravior neceſſitas requiritur, ut liceat pulſare ad Conciones hæreticorum; quia tale opus valde propinquum, ac per ſe ad hæreſim ordinatur. Si tamen V. C. æditutus, qui in templo hæretico hactenus ſervivit, fiat Catholicus, & non poſſit ob neceſſitatem ſervitium ſuum reſignare, poteſt abſolvi, & manere, ſi promittat, quod ſervitium hoc velit deſerere, quamprimum rerum ſtatum mutare poterit, modo abſit ſcandalum, & virtualis profeſſio falſæ fidei, & manifeſtum ſit, quod miniſteria pulſandi, afferendi panem, & vinum, ſolum fiant materialiter, tanquam indifferentia, & non quatenus ordinantur ad exercitia hæreticorum.

Unde ulterius reſolves. 1. Chriſtianis captivis conceſſum eſt remigare in Turcarum triremibus contra Chriſtianos, & arma afferre; quia neceſſitas, & metus mortis excuſant, & alii eſſent, qui cooperarentur. (c) Quod ſi vero ex illorum denegatione magna victoria eſſet ſperanda Chriſtianis, tenerentur potius mortem obire, quam remigare, idque ex lege Charitatis.

„ (c) Omnino tamen in his omnibus habenda ra„ tio eſt ad propoſitionem illam damnatam ab Inn. „ XI. n. 51. quam ſuperius tetigi; nam iſta videntur „ eſſe iis ſimilia, quæ Pontifex in eadem propoſitio„ ne damnavit.

2. Incolæ Provinciæ occupatæ a Tyranno, & expulſo legitimo Principe poſſunt excubiis, foſſione, & contributione juvare, quatenus opera illa ſecundum ſe indifferentia ſunt, abſque intentione bellandi, quæ ſi incolæ recuſarent, majoribus periculis ſe exponerent; & exiſtimandum eſt, legitimum principem interim conſentire, ut ejuſmodi obſequia Tyranno præſtent ad majora mala vitanda. Quæ autem in majus damnum Principis, aut Catholicæ Religionis oppreſſionem ceſſura ſunt, ea ſubditi a Tyranno adacti præſtare non poſſunt, multo minus ſe juramento obligare.

3. Fas eſt patrifamilias famulo, vel filio de furto ſuſpecto pecuniam apponere, ut eum deprehenſum efficaciter emendet: Quia id non eſt formaliter cooperari ad peccatum, ſed materiam peccati miniſtrando illud permittere ad gravius malum impediendum.

4. Fas non eſt patrifamilias in die jejunii cœnam miniſtrare familiæ obligatæ ad jejunium: Quia eſt cooperatio propinqua, & ſine ea, ut ponimus, peccatum probabiliter non committeretur. Eodem modo non licet cauponi in civitate Catholica extra neceſſitatem carnes hæretico proponere.

5. Fas non eſt pharmacopolæ venenum cuivis vendere, ſed ſolum ad uſum medicinæ utentibus.

6. Fas eſt famulo meretricem heri ſui in domum intromittere, &c. Quia talis cooperatio eſt ſatis remota. (d) Non vero fas eſt literas ad meretricem amatorias afferre; quia hæc vix fiunt ſine aliqua inductione mulieris ad peccatum, adeoque ſpeciem lenocinii continent.

„ (d) Afferenda eſt hic propoſitio ſuperius indica„ ta, quæ eſt n. 51. inter damnatas ab Inn. XI. *Fa„ mulus qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum „ ſuum adſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virgi„ nem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, „ aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non „ peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detri„ menti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis „ oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.*

Qui exemplo ſuo alios V. C. ad furandum movet, duplici peccato ſe obſtrinxit: Quare talis circumſtantia ſcandali, ſeu inductionis ad peccatum in Confeſſione explicanda eſt.

NB. Inducens ad furandum non tenetur ad reſtitutionem, niſi ſuaſio aut juſſio efficax anteceſſerit, & homo alioquin non fuiſſet furaturus; tunc enim præter Charitatem peccat etiam contra Juſtitiam. Eodem modo, ſi quis occiſori ea intentione enſem commodaſſet, ut occideret, tenetur ad reſtitutionem injuſti damni.

NB. Qui peccat coram aliis abſque periculo alios inducendi in peccatum, non peccat peccato ſcandali. Fieri enim poteſt, ut vel præſentes tam conſtantes ſint in virtute, ut non ſcandalizentur, vel etiam fieri poteſt, ut præſentes nihilominus ſint parati ad peccandum.

Sollicitare fœminam ad peccatum eſt circumſtantia manifeſtanda, utpote notabiliter augens malitiam ſcandali.

7 Minus peccatum ſuadere non licet, ut vitetur majus, niſi illud minus ſit pars, formaliter, aut virtualiter contenta in majori peccato. Tunc enim ſuadens non inducit hominem ad peccatum, ſed abducit a parte peccati, cum a toto avertere non poſſit: Et ſuadet minus malum, non qua malum, ſed qua minus, ſeu diminutio mali, quæ bona eſt; quia formaliter, & non comparative oppoſita malo. V. C. Si quis animo decrevit adulterium committere, ſuaderi poteſt ei, ut potius cum ſoluta (ſi alio modo abduci non poſſit) ſed non cum hac ſoluta, ſed in genere, fornicetur: Quia malitia fornicationis formaliter in adulterio continetur, tanquam pars in toto.

NB. Loth non induxit filias ad peccatum ſerio, ſed permiſſive ſe habuit erga Sodomitas.

NB. Acta Tyranni valida ſunt propter conſenſum populi.

8 Scandalum mere paſſivum, ſeu acceptum ex noſtra operatione permittere poſſumus, ſi rationabilem operandi cauſam habeamus. Ratio: Quia permiſſio Scandali paſſivi repugnat præcepto affirmativo virtutis Miſericordiæ, ut ſpiritualem proximi ruinam impediamus, vel tollamus; id autem non ſemper obligat, ſed circumſtantiis certis occurrentibus, V. C. ſi non poſſis habere celebrantem alium, niſi concubinarium die feſto; ſi autem poſſis habere ſacerdotem bonum, non debes accipere concubinarium: Quia Charitatis, & Miſericordiæ lege obligamur, ſicut ad proximi alia incommoda, ita ad peccata tollenda, vel impedienda, ſi facile poſſimus.

REGULA.

SI peccatum, quod à proximo committendum timetur; multum ſuperet in genere ſuo quantitatem damni noſtri, tunc lex Charitatis poſtulat, ut opus intermittamus, & proprium damnum temporale majori ſpirituali damno proximorum poſthabeamus; dummodo ſcandalum ex mera malitia non proveniat.

Unde reſolves, quod Abraham excuſandus ſit a peccato, qui, ut vitam propriam tueretur, dixit, Saram uxorem ſuam ſororem eſſe, permittendo, ut Ægyptii occaſionem acciperent mulierem rapiendi, cujus pudicitiæ confidebat.

9 Prælatus Eccleſiæ interdum debet exactionem debitorum differre ob ſcandalum infirmorum, non tamen propter ſcandalum Phariſaicum, ſive ex malitia: Quia Prælatus (Tutor) non eſt abſolutus dominus bonorum Eccleſiæ, ut arbitrato ſuo poſſit remittere.

10 Mulier aliquanto tempore domi ſe continere debet, & die etiam feſto ſemel atque iterum a Miſſæ auditione abſtinere, ſi ſciat, ex aſpectu ſuo adoleſcentem ob infirmitatem ſcandalum paſſurum.

NB. Fœ-

NB. Fœmina debet omittere peccatum in Confeſſione, ex quo intelligit, Confeſſarium (ſi alteri confiteri non liceat) grave ſcandalum paſſurum eſſe. Et conjugata poteſt intermittere jejunium, ſi intelligat, maritum occaſionem gravis diſſidii inde accepturum. Ratio eſt: Quia concurrente duplici præcepto, uno legis naturalis de impedienda ſpirituali ruina proximi, altero poſitivo de jejunando, aut Confeſſionis integritate ſervanda, majus, & fortius eſt naturale.

11 Exceſſus in corporis ornatu, per ſe loquendo, eſt peccatum tantum veniale, ſicut exceſſus in apparatu conviviorum, & ædificiorum. Ratio: Quia, *quando aliquid non eſt per ſe malum, ſed indifferens, exceſſus in appetitu, vel uſu illius, ſepoſita omni malitia extrinſeca, non eſt niſi veniale*. V. C. fucis uti; modo abſit intentio alios incitandi ad turpem amorem. Uti veſte muliebri viro in Comœdiis nullum eſt peccatum, ex levitate veniale; tamen poteſt fieri mortale per accidens ob ſcandalum.

NB. Mulier peccat mortaliter, ſi ſciat, aliquem lapſurum in mortale ob aſpectum ejus, & pulchritudinem luxu veſtium; item, ſi habitus ejus ſit turpis, & per ſe, ac directe ad libidinem provocans; item, ſi inducat morem, nudo pectore incedendi; ſecus, ſi ſit moria (a).

„ (a) Idem equidem dicunt nonnulli Theologi; „ verum nemo affirmaret morem hunc eſſe immunem „ a peccato gravi, ſi tanta eſſet nuditas, ut notabili„ter provocaret ad peccatum.

Regula in praxi obſervanda.

I. Si Confeſſarius putet, juxta meam ſententiam, ſcandalum eſſe ſpeciale peccatum contra Charitatem, non ſolum quando aliquis ſuo dicto, vel facto intendit ruinam ſpiritualem proximi, ſed etiam quando quis ſuo exemplo, juſſu &c. movet ob propriam utilitatem, ſeu delectationem alium ad peccandum, quamvis non intendens ipſius peccatum, debet interrogare Pœnitentem, ſi ipſe alium induxerit ad peccandum, ut intelligat, an duo peccata ſpecie diverſa commiſerit. Juvenis e. g. qui peccavit cum muliere, interrogandus eſt, an ipſe eam ad venerem provocaverit: nam tunc ultra peccatum contra Caſtitatem, aliud commiſit contra Charitatem, quatenus fuit cauſa, ſeu occaſio peccati mulieris. Ulterius neceſſe eſt interrogare, an conſilio, exemplo &c. induxerit ad peccatum, ad dignoſcendum numerum peccatorum; ſi etenim induxit, non ſolum eſt reus peccati fornicationis, furti &c. a ſe commiſſi, ſed etiam, ultra peccatum ſcandali, peccat in eodem genere peccati a complice perpetrati, ut dixi capite præcedenti in ſecundo quæſito. Dici etiam poteſt tot ulterius numero peccata commiſiſſe, quot perſonas ad peccandum pertraxit, vel ſaltem ipſius peccatum eo magis augeri, quo major eſt ipſarum numerus.

II. Cum dixerim non eſſe omittendas actiones omni ex parte indifferentes, propter alterius peccatum, dummodo adſit juſta cauſa illas exercendi, notet Confeſſarius, non teneri mulierem domi ſe continere, & abſtinere a decenti ornatu, quamvis ſciat, ab aliquo turpiter adamandam. Cum iſtæ actiones ſint per ſe indifferentes, & cum aliunde nimis grave eſſet hujuſmodi mulieri ſemper ſe domi continere, non eſt ex hoc capite ipſius conſcientia inquietanda. Quia tamen non eſt grave incommodum ſemel, & iterum domi manere, id tenetur præſtare mulier, ne daret alicui occaſionem peccandi; ſicut etiam adire aliud templum ob audiendum ſacrum ſi commode id facere poſſet, dum ſciret turpiter adamari in templo, in quo ſolet ſacrum audire. E contra debebit abſtinere ſub gravi ab ornatu meretricio, aut valde nimio; & multo magis, ſi ſciat eamdem aliquem ſumere occaſionem eam turpiter adamandi, cum hujuſmodi carentia non poſſit prudenter grave incommodum reputari.

Ex hoc etiam, quod ad vitandum grave incommodum licitum ſit præſtare actiones indifferentes, ſequitur licitum eſſe famulis cibos concubinæ condire, miniſtrare menſæ, ipſam ornatu decenti ornare, ad ipſam deferre literas nil turpe continentes, ſed tantum ſigna urbanitatis, & alia hujuſmodi præſtare indifferentia bono, vel malo uſui; cum enim ex ſe nullum peccatum contineant, non tenetur quis ab eis deſiſtere, ſi ex hoc grave deberet incommodum ſubire.

Addendum, poſſe famulos ad vitandum grave incommodum etiam Concubinæ lectum ſternere, facem præferre, immo & ipſam ad heri domum comitari, quia hæ actiones de ſe ſunt indifferentes, & remote conducunt ad peccandum. Dum tamen dixi licere comitari Concubinam, id intelligendum volo, quando, etiam famulo non comite, domum heri adiret; nam ſi iret, quia famulum comitem haberet, alias non itura, non eſſet indifferens famulatus, ſed influeret proxime in peccatum heri: Ipſe enim ad eum deferret occaſionem peccandi.

III. Proh dolor! Non deſunt Confeſſarii, qui facillime abſolvunt mulieres, non tegentes pectus, ut par eſt, vel ita tranſparentibus velis tegentes, ut in tegumenti ſpecie magis fortaſſe ad libidinem incitent. Si nolint tot Synodis eſſe ſapientiores, ſi nolint ipſam experientiam negare, fateri debebunt, hujuſmodi fœminas gravis ſcandali eſſe culpabiles; adeoque Sacramentorum incapaces. At quando ſpeculativis aliorum rationibus vellent acquieſcere, ne has fœminas contriſtarentur ſaltem quæ ſubjungo præ oculis habeant. Iſtæ fœminæ in mane ſe ita ornando, ut in laxiori loquar opinione, ſaltem peccaverunt venialiter ex levitate, vanitate &c. & poſtea ita immodeſte in publicum procedendo, continuarunt in tali peccato & ante Confeſſionem, & in ipſa actuali Confeſſione; quid ergo judicandum de ipſarum dolore, & propoſito? Scio dari poſſe dolorem de peccatis gravioribus, etſi non doleat quis de aliqua levi culpa: at in praxi puto difficillimum eſſe iſtas mulieres vere de cæteris culpis dolere, dum actu culpabiles ſunt de peccato in ſententia quidem multorum levi, ſed quod in veriori & omnino, meo videri, tenenda ſententia, grave eſt; adeoque Præſules judicarunt inter reſervata accenſendum. Si & ipſæ verum fateri velint, bene agnoverunt, non raro juvenes in ipſarum pectus indecenter detectum oculos intendiſſe, non raro ex hac cauſa impudicas audiiſſe æquivocationes, & fortaſſe ſermones aperte obſcænos. Et credere debeo eas vere hic, & nunc de propriis culpis dolere, quando nolunt derelinquere quod ſciunt graviter ad libidinem provocare.

IV. Cum diximus, non poſſe quacumque ex cauſa exerceri actiones proxime influentes in alterius peccatum, advertere debet Confeſſarius, non poſſe famulos concubinæ deferre verba internuntia, quæ turpia exprimant, quia eſt proxime participare in alterius actione inhoneſta. Idem dico de ſcribentibus, & deferentibus literas amatorias, quia hæ ſunt inſtrumenta, quibus immediate Concubina inducitur ad actus inhoneſtos. Sunt qui putant, ſcribentes, vel deferentes literas amatorias poſſe excuſari, ſi id faciant metu gravis damni; at ſi id eſſet verum, putarem ex eadem ratione poſſe excuſari Officium Lenonis. Quod ſi hoc excuſari non poteſt, quia adhibet media ex ſua natura determinata ad alliciendum ad malum, idem dicendum in caſu noſtro. Ex hac regula ſequitur, neque poſſe famulum vi aperire januam, ut ingrediatur herus ad ſtuprandam virginem, ſeu peccandum cum Muliere, quamvis poſſet aperire domum ipſi Concubinæ, maxime, dum etiam ea non aperiente, adhuc eſſet qui aperiret; nam tunc actio ipſius de ſe non conducit niſi remote ad peccandum, adeoque poteſt, urgente aliqua de cauſa, cohoneſtari. Cæterum vi aperire domum mulieris, ut aliquis ingrediatur ad peccandum, eſt actio de ſua natura ad peccatum ordinata, unde nunquam eſt licita; & in hoc ſenſu intelligenda eſt propoſitio ſupra relata damnata ab Innoc. XI. dum in ea ſermo eſt de famulo aperiente januam &c. Ex dictis facile eſt deducere, quando etiam in aliis materiis cooperatio ad alterius peccatum nullo pacto valeat cohoneſtari.

V. Quia perſonæ, quantumvis paratæ ad peccandum, non licet dare occaſionem actionis, a qua ſeparari hic & nunc non valeat malitia, conſequens eſt (quidquid in contrarium non pauci dicant) non licere famulis, & Cauponibus ſubminiſtrare carnes, ſive alios cibos volentibus frangere jejunium; quia dum urget lex jejunii, iſta comeſtio non poteſt ab omni malitia ſeparari. Pariter non erit licitum parato peccare cum fœmina, adducere aliquam fœminam, cum qua peccet. Et in utroque caſu ratio mihi videtur eadem; non minus enim proxime cooperatur fornicationi, qui parato peccare cum fœmina adducit fœminam, quam qui parato ſolvere jejunium, carnes, & cibos miniſtret. Verum tamen eſt quod quia lex de jejunio eſt Eccleſiaſtica, & in pluribus caſibus poteſt non obligare, ideo Famuli, Tabernarii &c. poſſunt multoties præſumere, petentes carnes, ſeu alios cibos vetitos, excuſari a legis obſervantia ob aliquam infirmitatem, defatigationem &c.

E contra cum, juſta interveniente cauſa, ſive ad vitandum grave incommodum, poſſit quis dare alteri occaſionem peccandi, quando id, quod petit, poſſit hic & nunc bene, & male fieri, poterit quis ab Uſurario petere mutuum, etiamſi ſciat ipſum non daturum niſi ſub uſuris, dummodo tamen petens non poſſit alia via propriæ ſuccurrere indigentiæ. Pariter volens recipere aliquod Sacramentum, quod non poſſit ita facile differre, ſi alium non habeat Miniſtrum, poterit illud petere ab eo, quem videt paratum, quamvis ſciat ipſum eſſe in peccato mortali. Et ita diſcurrendum in aliis ſimilibus caſibus.

VI. Ultima regula ſit, quod cum ad vitandum ſcandalum puſillorum bene poſſit omitti obſervantia alicujus præcepti, poterit quandoque Mulier omittere auditionem Sacri die feſto, ſi videat juvenem particularem ex ipſius aſpectu ſumpturum occaſionem peccandi. Sicut etiam Sacerdos poterit die feſto omittere Sacrum, ſi cognoſcat, concurrente Populo ad ſacrum audiendum, inimicitias graves ortas &c. Quod ſi omittendo obſervantiam præcepti, grave oritur incommodum vel ſibi, vel aliis, tunc niſi multo magis præpondereт damnum, quod ſequeretur, ſi non omittatur, nullatenus obſervantia præcepti eſt omittenda. Ponamus exemplum, quando urgeret præceptum ſubveniendi mulieri in extrema neceſſitate: quia tunc ex omiſſione obſervandi præceptum Charitatis, graviſſimum ſequitur mulieris incommodum; ideo curare non debeo ſcandalum, quod aliquis ſumeret, videndo me ingredi ad ipſam mulierem. Si vero, ultra ſuſpicionem mali ex meo ingreſſu ad illam mulierem, plurima ſequutura eſſent homicidia, tunc videretur potius permittendam eſſe mortem corporalem ipſius mulieris, quam dare occaſionem plurimorum homicidiorum &c.

LIBER III.

CONTINET SECTIONES QUINQUE.

SECTIO I.

De Virtute morali generatim.

1 VIrtus hominis dicitur ea diſpoſitio, qua ipſe bonus, & propria ejus operatio bona efficitur: Quemadmodum oculi virtus eſt bona videndi acies; ideo oculus dicitur bonus.

2 Virtutes aliæ ſunt intellectuales, perficientes hominem in cognitione veri; videlicet Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia. Aliæ ſunt morales, perficientes hominem in affectione ad bonum honeſtum, videlicet Juſtitia, Fortitudo, Temperantia. Et hæ magis proprie virtutes ſunt: Aliæ, ſcilicet intellectuales, ſolum dicuntur ſecundum quid; quia, licet V. C. Rhetorica præbeat bene operandi facultatem, tamen non præſtat bonum operis uſum, id eſt, non inclinat voluntatem, ut arte utatur, ſive ſecundum artem moraliter operetur.

NB. Secundum Ariſtotelem is, qui ſua ſponte peccat in arte, excuſationem meretur; non vero is, qui contra moralem virtutem. Ratio: Quia virtus moralis, ipſaque Prudentia non ſolam facultatem bene operandi præſtat, ſed rectificans rationalem appetitum eo ipſo efficit, ut facultate bene utatur, ſive ſecundum virtutem operetur. Quare homo injuſtus V. C. magis etiam culpandus eſt, ſi data opera injuriam alteri inferat.

3 Virtus moralis *eſt habitus electivus, in mediocritate* conſiſtens, quatenus prudens definierit.

Dicitur *habitus*, id eſt, primæ ſpeciei qualitas acquiſita, inclinans potentiam conſtanter ad operandum. Nam virtus non eſt naturalis potentia, quæ ſecunda ſpecies; quia natura virtutes, ſicut & artes, non ſuſcipimus, ſed idonei ſumus ad ſuſcipiendum. Nec virtus dici poteſt qualitas tertiæ ſpeciei, videlicet mentis affectio, aut motio; cujuſmodi eſt amor, timor &c. Non enim aliquis ob timorem, aut amorem, aut iram ſimpliciter laudatur, aut vituperatur, cum bene, & male fieri poſſint; ob virtutem autem per ſe quiſque eſt dignus laude.

4 *Electivus*: Quia loquimur de virtutibus in voluntate ſitis, quibus homo aſſuefactus eſt, ea eligere, & agere, quæ convenientia judicantur ad morum honeſtatem, quam veluti propoſitam ſuarum actionum metam homo virtute præditus ſpectat. Ad quod intelligendum requiritur. 1. In omni virtute Synteresis. 2. Ut appetitus rationalis recte affectus ſit ad virtutis honeſtatem. 3. Mediocritas. Hinc

Virtus dicitur in medio conſiſtere; vitia autem ad extrema tendunt. V.C. Qui facile omnia metuit, ubi, & quando non oportet, nihilque aggredi audet, timidus eſt: Qui autem quævis aggredi audet, ubi non oportet, neminemque timet, is audax eſt: Inter quos medius eſt fortis vir, qui confidit, & metuit, quando, & ubi oportet. Similiter, qui omni voluptati indulget, intemperans eſt; qui nullam admittit, agreſtis: Temperans autem, ab utroque declinans, medium tenet.

NB. Major eſt vitiorum, quam virtutum multitudo. Ratio: Quia a medio tanquam ſcopo aberrare variis modis contingit; recte agere, mediumque attingere, uno modo: Quare illud quidem facile eſt, hoc autem difficile.

NB. Præterea poſitis his ad virtutem etiam requiritur prudentia (diſcretio) quæ in ſingulis operationibus, ſpectatis omnibus circumſtantiis, mediocritatem, honeſtatemque definiat.

SECTIO II.

De Prudentia, & vitiis ei oppoſitis.

1 QUatuor ſunt Cardinales virtutes, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Juſtitia.

2 Prudentia eſt virtus intellectus, ideoque moralium actionum non elicitiva, ſed directiva, Dux, & Regina omnium moralium virtutum; ſine qua nulla earum conſiſtere poteſt; ſiquidem voluntas per ſe ipſam, quod honeſtum eſt, proſequi non poteſt, niſi ratio oſtendat: Hæc autem ratio oſtendens Prudentia eſt.

3 Prudentiæ tres ſunt actus. 1. Bene conſultare (opponitur inconſideratio) 2. Recte judicare (opponitur inconſtantia mentis) 3. Præcipere executionem (opponitur negligentia).

4 Prudentia alia eſt Monaſtica, qua quiſque ſibi proſpicit, quid in actionibus ſingulis decens, & honeſtum ſit. Alia Gubernativa, quæ ſubdividitur in Oeconomicam, & Civilem. Hæc ſubdividitur in Architectonicam, ſeu principatum gerentem; & in Miniſterialem, quæ propria eorum eſt, qui Rempublicam adminiſtrant.

5 Iterum alia Prudentia eſt perfecta, ac ſimpliciter dicta, quæ propoſito vero fine totius vitæ humanæ deliberat, judicat, & præcipit, quid ad eum finem accommodate agendum ſit. Alia eſt imperfecta, & ſecundum quid, quæ propoſito fine ſpeciali, conſentanee ad illum finem deliberat, judicat, præcipit; quomodo dicitur, prudens medicus, prudens mercator, qui tamen poteſt eſſe malus homo: Qui autem ſimpliciter prudens eſt, idem & bonus homo eſt.

6 Eſt etiam Prudentia falſa, quæ propoſito fine falſo, V. C. carnis commoditate, convenientia media ad talem finem inquirit. Eſt mortale peccatum, ſi ultimus finis ſtatuatur in commoditate carnis.

Species falſæ Prudentiæ eſt Aſtutia, cujus executio; *dolus*, & *fraus*, in re gravi eſt mortale.

7 Species imprudentiæ moralis (præcipitatio, & negligentia) ſive in genere moris peccati rationem ſortiuntur, quatenus efficacem cauſam, vel ſaltem periculum præbent malæ electionis, operationiſve. Quapropter, qui hominem pro fera incaute occidit, non duo peccata committit, quorum unum ſit incautæ circumſpectionis, alterum homicidii, ſed unicum homicidii; propterea quod conſideratio, & cautio eo ſolum ſine adhibenda ſit, ut homicidium evitetur.

NB. Species, quæ ſecundum exceſſum ſunt, videlicet Prudentia carnis, Aſtutia, rationem mortalis peccati in Confeſſione explicandi habent, non quatenus præciſe ſunt vitia intellectus, ſed quatenus efficacem cauſam præbent pravæ electionis, operiſve, cum quo, velut forma cum materia, unum numero peccatum in genere moris conſtituunt.

SECTIO III.

De Fortitudine, & oppoſitis ei vitiis.

1 FOrtitudo duobus modis accipitur. 1. Pro animi conſtantia adhærentis honeſtati virtutis, non obſtantibus quibuslibet contrariis, & propoſito nihil unquam agendi in quocunque genere, quod ab honeſtate deficiat; habereque poteſt hæc virtus Fortitudinis in omnibus virtutibus locum. 2. Pro ſpeciali virtute, moderante animi timorem, ac fiduciam. Hinc Ariſtoteles definit eam, quod ſit *Mediocritas circa timorem, ac audaciam*.

2 Martyrium eſt excellentiſſimus actus Fortitudinis: Nam Martyres propter ſervandum bonum veritatis Fidei ipſam vitam profundere non erubeſcunt, juxta Hebr. 11. *Fortes facti ſunt in bello*.

3 Ad Martyrium requiritur, ut mors alicui inferatur odio Fidei Chriſtianæ, & ut voluntarie acceptetur propter Fidei veritatem tuendam. Hinc non proprie Martyres ſunt, qui in vincula conjecti multa patiantur, niſi etiam mortem oppetant; quia non ſatis re ipſa teſtantur, ſe omnia propter Fidem Chriſti contemnere, niſi etiam vitam ipſam derelinquant.

4 Deinde innocentes infantes ex ſpeciali Privilegio gratiæ ſunt pro Martyribus colendi. NB Adultus, ſi in ſomno occidatur propter Fidem, & ante nihil cogitavit, non eſt pro Martyre habendus.

Mili-

Milites pugnantes contra infideles non ſunt Martyres, ſi occidantur. Ratio: Quia non voluntate, ſed potius neceſſitate mortem oppetunt; neque Chriſti patientis ſimilitudinem gerunt, *qui, cum pateretur, non comminabatur*. 1. Pet. 2.

5 Cauſa Martyrii debet eſſe pia, quæ per Fidem ſupernaturalem innotuit. Nam Martyr dicitur, qui excellentiſſimam, quam poteſt, confeſſionem, ac teſtimonium voluntaria morte ſua præbet veritati Fidei Chriſtianæ ſecundum verba Chriſti: *Omnis, qui confitebitur me &c.* Matth. 10.

6 Martyrium inſtar Baptiſmi fluminis delet omnem culpam, & pœnam, ſed non abſque imperio, & motione Charitatis in hominibus adultis, juxta Apoſt. 1. Cor. 13. *Et ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Et eſt generalis perſuaſio Apoſtoli, & SS. Patrum, quod opera virtutum reliquarum abſque Charitatis imperio ad hominis ſalutem, & gloriam æternam non ſufficiant.

7 Baptiſmus ſanguinis quadam etiam ratione ſuperat Baptiſmum fluminis: Nam inter cætera Martyrium continet realem imitationem, & repræſentationem Paſſionis Chriſti; Baptiſmus autem fluminis ſolum figuralem. Et Baptiſmo ſanguinis præter præmium eſſentiale etiam correſpondet aureola.

8 *Timiditas* Fortitudini oppoſita eſt peccatum ſolum veniale; per accidens tamen interdum mortale; V. C. ſi ob timorem ſinas te moveri in conſenſum peccati mortalis. Idem de audacia, ignavia animi nihil audentis, animi ſtupiditate, nulla mala formidantis, quando oportet, dicendum eſt.

De Virtutibus annexis Fortitudini, atque earum oppoſitis vitiis.

9 Virtutes Fortitudini annexæ ſunt: 1. Animi *ſecuritas*, quæ eſt tranquillitas animi bene fidentis: Ei opponitur nimia animi *anxietas*. 2 *Magnanimitas*, quæ magna, & excelſa ſpectat, parva contemnit.

10 Magnanimitati ſecundum exceſſum opponuntur præſumptio, ambitio, & vana gloria. *Præſumptio* eſt, qua homo aggreditur opus arduum, facultatem ſuam excedens. Eſt veniale per ſe, ſed ſæpius fit mortale ratione nocumenti.

11 *Ambitio* eſt inordinatus appetitus honorum ſibi non debitorum, aut ex illicita re, V. C. Tyrannide. Etſi per ſe ſit veniale; fit tamen mortale ratione damni.

12 *Inanis gloria* eſt inordinatus appetitus humanæ exiſtimationis, ac laudis. Accidit 1. Si de fucata virtutis, vel doctrinæ excellentia laudem quæras, quæ eſt Hypocriſis. 2. Si majorem famam de te deſideres, quam merearis, & hæc eſt Jactantia. Eſt per ſe veniale; per accidens tamen mortale ratione nocumenti.

13 Honorem, laudem deſiderare, vel acceptare ob virtutem, ſeu honeſtatis cauſa eſt opus bonum magnanimitatis, juxta Matth. 5. *Luceat lux veſtra coram hominibus, &c.*

14 Magnanimitati ſecundum defectum oppoſita eſt *Puſillanimitas*, qua ſibi quis diffidens bonum aliquod, tanquam ſuperans propriam facultatem, fruſtra detrectat; ut ſi idoneus ad Parochiam ob animi dejectionem eam reſpuat. Eſt per ſe veniale, mortale autem ratione nocumenti. NB. Si honorem tibi delatum, & laudem, quam recta ratio ad conſervandum ſtatum, & dignitatis augmentum boni publici cauſa neceſſarium judicas, vel utile, reſpuas ex animi dejectione, eſt veniale.

Magnificentia, quæ eſt promptitudo animi ad faciendos magnos ſumptus, ubi recta ratio expedire judicat. Continet in ſe pecuniæ contemptum. Differt a liberalitate, quod hæc circa mediocres ſumptus, illa circa majores occupetur.

Magnificentiæ ſecundum exceſſum opponitur *pecuniarum profuſio*, ſi majores expenſas facias, quam ratio dictat. Secundum defectum adverſatur *Parvificentia*, cum quis præ animi anguſtia cœpto magno operi, V. C. templo, non pares ſumptus exhibet. Utrumque eſt veniale; per accidens autem mortale.

15 *Patientia* eſt virtus, quæ in rebus adverſis animi mœrorem temperat. Ei opponitur per exceſſum *Impatientia*. Eſt veniale, per accidens autem mortale ratione ſcandali: Per defectum opponitur *Durities*, ſi ob animi ſtuporem nec propriis, nec alienis malis movearis. Eſt per ſe veniale.

Perſeverantia eſt virtus, per quam non obſtante temporis diuturnitate, difficultate, moleſtiis, homo perſiſtit in bono opere, quamdiu recta ratio dictat. Ei per exceſſum opponitur *Pertinacia*. Eſt veniale; ſi circa Fidem, mortale. Per defectum opponitur *Inconſtantia*, qua leviter aliquis a bono propoſito abſiſtit. Eſt mortale, ſi obligatio ſit gravis, qua teneris ad propoſitum exequendum; veniale, ſi obligatio levis. Si nulla obligatio adſit, eſt veniale ob inordinationem mentis.

S E C T I O IV.

De Temperantia, & oppoſitis vitiis.

1 Temperantiæ virtus verſatur in moderandis voluptatibus corporis, guſtus, & tactus, circa eſculenta, poculenta, & Venerea. Tres ejus ſunt ſpecies; Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas.

Abſtinentia eſt, quæ ſecundum rationis regulam (contentam corporis, ac vitæ humanæ neceſſitate, & utilitate) moderatur appetitum, uſumque ciborum oblectantium.

2 Ei opponitur Gula, quæ eſt inordinatus appetitus, vel uſus ciborum cauſa voluptatis. Per ſe eſt veniale; nullum eſt, ſi plus comedas, ut eo fine (honeſto) ægrotum provoces ad comedendum. Mortale fit, ſi adeo inhæreas oblectationi ciborum, ut ideo ſis paratus legem Dei tranſgredi, aut in potu ultimum finem ponas, juxta Apoſt ad Phil. 3 *Quorum Deus venter eſt*. Secundo fit mortale, ſi grave nocumentum corpori advertenter adferat. Comedere uſque ad vomitum, per ſe loquendo, non eſt mortale.

3 Carnibus humanis veſci extra extremam neceſſitatem, eſt mortale. Prob. Quia ordo naturæ poſtulat, ut aliquis utatur alimento ſecundum ſubſtantiam inferiore. Deinde, ſi perſuaſio eſſet, occiſorum hominum carnibus veſci licitum eſſe, perinde ac carnibus brutorum, ſequeretur, unum hominem propter alium conditum eſſe, ut ipſi ſit alimentum: Et rurſus, unum hominem ab altero veluti beſtiam occidi poſſe, alimenti cauſa.

In extrema neceſſitate, qui dicunt, non licere, adferunt rationem, quod id juri naturali repugnet, ac proinde intrinſece eſſe malum. Qui dicunt, licere, adducunt rationem, quod quædam abſolute ſpectata ſint aliena a natura hominis, tamen in extremis eſſe permiſſa; ſicut abſciſſio brachii. Sicuti enim in his caſibus non inhonoratur natura humana, quando levius nocumentum poſtponitur majori; ita etiam in priori caſu non inhonoratur natura humana, quando aſſumitur emortua, ut altera e morte liberetur.

NB. 1. Ad morbum depellendum licitum eſt uti medicamentis, ex carne humana confectis; item ſanguine humano epilepticis, lacte fœmineo phtiſicis.

NB. 2. Nemo tenetur in extrema neceſſitate comedere carnes humanas, tum quia admodum ab hoc abhorret natura; tum quia poteſt ſe conformare priori Sententiæ.

4 Sobrietas moderatur inordinatum appetitum, uſumque potionis vim inebriandi habentis. Ei adverſatur Ebrietas, quæ eſt exceſſus in potu inebriante, cauſa voluptatis; donec uſus rationis adimatur. Eſt mortale ſecundum Apoſt. ad Galat. 5. Ratio: Quia gravis difformitas cenſetur, magnumque malum, abjecta rationis poteſtate, qua nihil in homine præſtantius, ad brutorum ſtoliditatem, voluptatis cauſa, ultro ſe abjicere.

5 Dixi: *Voluptatis cauſa*. Nam ob ſanitatem judicio Medici (ſi neceſſarium) licet: Quia ob breve tempus ratione deſtitui non continet magnam deformitatem, ut poſtea munera rationis melius præſtentur; uti etiam dormientibus contingit. Unde etiam ſequitur, licere ob mortem vitandam, modo ſcandalum abſit, neque cedat in contemptum virtutis Temperantiæ inebriari. Ratio: Si enim fas ſit, ad vitam a Tyranno redimendam ſibi ipſi manum amputare; cur non etiam uſum rationis ad breve tempus ſibi adimere?

Dixi: *Donec uſus rationis adimatur*. Unde ſequitur, hominem peccare mortaliter, ſi advertat periculum probabile ſe inebriandi, ſi pergat bibere, eſto, poſt duas horas primum, ſi veniret ad aerem, ſequatur mentis ſpoliatio. Cæterum ſi homo poſt hauſtum vini poſſit adhuc diſcernere inter bonum, & malum, licet titubet, vel oculi duplicata aſpiciant, vel caput in gyrum agi videatur, eſt ſolum veniale.

6 Provocare ad ebrietatem voluptatis cauſa, eſt mortale. Vinum vero alicui apponere, relicta ipſi libertate bibendi, etſi putas ſecuturam ebrietatem, non eſt

eſt ſemper illicitum ; cum talis cooperatio ſolum ſit materialis.

NB. Licitum eſt, ſi graviſſimum malum, V.C. proditionis, alio modo impedire non poſſis, quam inducendo ad ebrietatem, illi vinum fortiſſimum, (cujus virtutem ille non habet cognitam) proponere, ut ſic inebrietur præter intentionem; quia tali caſu homo ille non eſſet peccaturus : Ergo talis inuſtatio non eſſet ſcandalum activum, nec provocatio ad peccatum. Illicitum vero eſt, talem hominem ſuaſu provocare ad voluntariam ebrietatem. Ratio : Quia nunquam licitum eſt, aliquem inducere ad actionem, quæ intrinſece mala eſt, ut ſine peccato fieri non poſſit.

Quod Leſſius dicit, licitum eſſe ad minus malum (peccati) inducere, ut impediatur majus malum, verum eſt, ſi fiat inductio ad peccatum minus, qua minus, ita ut alteri ſuadeas non totum peccatum, quod certo animo concepit, ſed partem ſolum formaliter, aut virtualiter incluſam in toto. Tunc non ſuades homini, ut malum peccati faciat, ſi a toto abduci non poſſit.

Caſtitas moderatur inordinatum appetitum, uſumque Venereorum. Eſt duplex. Perfecta, quæ uſum Venereorum in perpetuum excludit. Imperfecta, quæ ad tempus nuptiarum, & in conjugio moderate, & ſecundum rationem utitur. Et hæc appellatur Caſtitas conjugalis.

7 Virginitas eſt perfectiſſima Caſtitas, firmum propoſitum continens integritatis, ac puritatis perpetuo conſervandæ, gratia honeſtatis. Caſtitas differt a Virginitate, quod hæc non habeat locum in pœnitentibus, & conjugatis, aut corruptis, uti Caſtitas.

8 Duplex eſt Virginitatis integritas : Una carnis, ac veluti materialis; altera animi, ac propoſiti, ideoque formalis.

NB. Virgo violata per ſtuprum (etſi animo integra) virginitatis laudem retinet, ſed a velo Conſecrationis humilitatis, ac decoris cauſa, ut aliæ corruptæ, abſtinere tenetur. Velum Prælationis cum diſpenſatione Pontificis poteſt accipere.

NB. Quinque ſunt vela ; Ordinationis, quod hodie non eſt in uſu, ut ſeparatim conſeratur, Profeſſionis, Confirmationis, Prælationis, & Continentiæ.

NB. Virgo integra carne, violata autem animo (etſi coram Deo non virgo ſit) tamen virginitatem per pœnitentiam poteſt recuperare, utpote per carnalem copulam non ſublata : Poteſt etiam velari, utpote coram Eccleſia vere virgo.

Probabile eſt, licet virgo per voluntariam pollutionem fœdata ſit, virginitaſque vere amiſſa, & irreparabilis ; quia in hac ſeminis effuſi præter naturæ ordinem carnali delectatione potiſſimum conſiſtit peccatum externum luxuriæ) quod poſſit talis velari inter virgines : Quia clauſtrum virginitatis illæſum ſervavit, & retinet virginitatis ſtatum coram Eccleſia, licet virtute virgo non ſit, & vere, qui violaret talem, ſtuprator virginis haberetur.

Mulier, quæ occulte, vel per vim violata eſt, a velo Conſecrationis abſtinere debet : Quia non levis irreverentia eſt, ſi in Sacramentis, vel Sacramentalibus falſitas interveniat. Sicuti enim ſacrilegium eſſet, V. C. ſalis, aut aquæ conſecrationi ſupponere, quod ſal, aut aqua non eſt; ita multo magis, ſi virgo ſe conſecrari patiatur, quæ virgo non eſt. Confirm. Sicuti, qui occulte Bigamus eſt, quia corruptam duxit, ordinari non poteſt ; ita neque, quæ per vim, vel in occulto corrupta &c. Cum in his habeatur ratio ſacræ ſignificationis. Nam ſacra virgo ſignificat Eccleſiam triumphantem, in qua non eſt macula.

NB. Mulier occulte violata, ſi abſque ſcandalo, vel ſui manifeſtatione abſtinere non poteſt, Epiſcopus eam conſecrare poteſt, uſurpando vocem *Caſtitatis* pro *Virginitatis* : Vel ſi hoc modo non ſatis conſultum eſſet famæ mulieris, eo quod præſentes intellecturi eſſent, poteſt uti voce *Virginitatis*, accipiendo in mente, (a) tanquam ſignificante *Caſtitatem*.

» (*a*) Hæc exceptio pure mentalis ſecundum ſe non » ſufficeret ad excuſandum mendacium ; ut in re præ» ſenti exceptio ſatis externata eſſet, quia vox *Virgi*» *nitas* in vulgari acceptione ſumitur etiam pro caſti» tate, unde mulier caſta dicitur virgo, & viciſſim.

9 Caſtitati adverſatur Luxuria, quæ eſt inordinatus appetitus, vel uſus Venereorum. Dupliciter hoc peccatum contingit. 1. Secundum ſubſtantiam actus, & ſic eſt mortale, teſte Apoſt. Gal. 5. Ejus ſex ſunt ſpecies, ſimplex fornicatio, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, vitium contra naturam.

Secundo, contingit Luxuria quoad modum accidentalem, qua ratione in conjugio peccari poteſt. Hic tantum agemus de fornicatione, & peccato contra naturam.

10 Simplex fornicatio eſt carnalis commixtio ſoluti cum ſoluta. Eſt mortale. Gal. 5. 1. Cor. 6. Eph. 5. Ratio eſt : Quia valde repugnat naturali inſtinctui, qui brutis quoque animantibus, quanto magis homini inditus eſt, opus generationis non exercendi extra conjugale fœdus ob meliorem prolis conceptionem, nativitatem, educationemque ; quæ naturæ lex, cum circa materiam gravem verſetur, ſub culpa mortali obligat. Huc revocantur amplexus, oſcula, tactus impudici, id eſt, inſtituti cauſa Venereæ delectationis, conſurgentis ex commotione ſpirituum generationi inſervientium circa partes corporis Venereas. Neque refert, quod ad carnalem copulam intentione operantis non referantur ; quia ſuapte natura eo tendunt, tanquam viæ, diſpoſitiones, &c.

11 NB. Oſcula, amplexus, ſi fiant ob conſuetudinem patriæ, vacant culpa; vel ſi fiant ex joco, & ſine delectatione Venerea, ſunt venialia (b).

» (*b*) Cavenda eſt hic propoſitio 40. inter damna» tas ab Alexand. VII. an. 1666. *Eſt probabilis opi*» *nio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum* » *ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex* » *oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, &* » *pollutionis*.

NB. Aſpectus valde impudici mortales ſunt ob periculum ; ex ſola curioſitate inter perſonas ejuſdem ſexus facilius a mortali excuſantur.

Oſcula, amplexus, tactus inter ſponſos de futuro videntur excuſari a mortali, ſi abſit periculum pollutionis, & conſenſus in copulam, neque per ſe, ſive ex objecto turpes ſint. Ratio : Quia ſponſalia ſunt initium matrimonii, quibus proinde aliquale jus ſponſæ in corpus ſponſi acquiritur, non quidem ad ipſam copulam, ſed ad dictos corporum tactus (c).

» (*c*) Vide, ne forte ſint cenſenda mortalia ob » periculum proſſimum ulterioris conſenſus, ſeu pollu» tionis.

12 Tactus turpes inter conjuges, ſi fiant ſolius voluptatis cauſa, & non in ordine ad copulam carnalem, per ſe ſunt venialia : Quia ejuſmodi tactus inter conjuges ſecundum ſe ſunt indifferentes. Si fiant tactus in ordine ad generationem, aut copulam, culpa vacant : Quia, cui conceſſus eſt finis, ei etiam media ordinata ad finem conceſſa ſunt.

Si conjux ſe ipſum impudice tangit ob Veneream ſolum delectationem, etiam abſque periculo pollutionis, videtur eſſe mortale, contra Sanchez : Quia conjux non habet jus in proprium corpus ad uſum Venereum, niſi per accidens, ut poſſit copulari cum conjuge : Ergo hic actus eſt per ſe illicitus, & ordinatus ad pollutionem, ideoque mortale.

13 Impudici tactus pertinent interdum ad peccatum mollitiei, vel adulterii, &c. pro diverſitate perſonæ, quacum exercentur ; ideo in Confeſſione manifeſtandi.

NB. Pruritus circa membra, ſi fiat non cauſa Venereæ delectationis, non eſt peccatum.

NB. Turpiloquia, cantica, litteræ amatoriæ, ſi fiant cauſa Venereæ voluptatis inter perſonas ſolutas, ſunt mortalia ; ſi ex levitate, per ſe ſunt venialia, ſed ratione ſcandali frequenter mortalia. Idem dicendum de picturis.

14 Delectatio, quæ oritur ex aſpectu, facilius a peccato excuſatur, quam delectatio ex tactu. Ratio : Quia magis tendunt tactus ad concubitum, quam aſpectus; aſpectus vero mulieris non ita propinque tendit ad concubitum. Hinc ſi quis mulierem ex curioſitate aſpiciat ob pulchritudinem, eſt veniale ; commotus vero delectatione Venerea, & conſenſu, eſt mortale.

NB. Vitium contra naturam quatuor modis fit. 1. Si abſque concubitu profuſio ſeminis procuretur, eſt Mollities. 2. Si cum beſtia, aut dæmone, dicitur Beſtialitas. 3. Si cum perſonis ejuſdem ſexus, eſt Sodomia. 4. Si inter perſonas diverſi ſexus non ſervetur naturalis modus concumbendi. Inter conjuges abſque periculo effuſionis ſeminis, & ſervato legitimo vaſe, eſt veniale.

15 Directe, & efficaciter in ſe ipſo, vel in alio procurare pollutionem, ſemper eſt mortale. Ratio : Quia, ſi hoc licitum eſſet, homines abuterentur cum maximo detrimento ſpeciei. Et minus abhorret a natura effuſio ſeminis in fornicatione, quam in pollutione procurata ; illa autem nullo caſu licita eſt : Ergo neque hæc.

NB,

NB. Quando actio, ex qua tanquam cauſa pollutio ſequitur, per ſe turpis eſt, V. C. impudicæ cogitationes, tactus, &c. propter voluptatem, tunc, qui ejuſmodi cauſam pollutionis ſciens, ac volens præbet, peccat mortaliter, tamquam indirecte intendens pollutionem. Ratio: Quia perinde eſt, ſive effectus procedat ex natura, ac neceſſitate operis voluntarie exerciti, ſive fiat ex intentione operantis: Nam *explicitì, & impliciti eadem eſt vis*.

16 Qui cauſam pollutionis per accidens præbet, non peccat mortaliter; ſed neque venialiter, ſi actio, ex qua pollutio oritura putatur, per ſe honeſta ſit, & finis ejus honeſtus, V. C. Confeſſiones mulierum audire. Ratio: Si jus habeas aliquid agendi, ex quo indirecte, & per accidens ſecuturus exiſtimatur effectus, quem directe, ac per ſe intendere non licet, non ideo cogeris abſtinere ab actione, quotieſcumque ex eo major utilitas ſperatur, quam ſit incommodum eventus, qui permittitur, ſecluſa tamen ſpeciali prohibitione; ſi enim in bello juſto fas eſt arces diruere, etiamſi innocentium mors inde ſecutura ſit, quam directe intendere non licet; atqui pollutio, quæ ex actione tua, aliam utilitatem, finemque habente, per accidens ſequitur, nullum incommodum affert humanæ ſpeciei: Ergo non teneris talem actionem intermittere.

NB. Ex nimio cibo, & potu pollutio ſecuta, ſi non intendas, eſt veniale. Ratio: Quia ex parte operantis abeſt affectus Venereæ delectationis, ut pono; ex parte vero operis non eſt gravis inordinatio, ſeu naturæ incommodum, quod veniale eſt; quia mentem conturbat, & ad malum incitat.

17 Pollutionem permittere, vel ſimplici affectu deſiderare ob cauſam, V. C. ſanitatem, non eſt peccatum. (a) Sicut enim, ſi legitimus Rex cum multorum ruina Rempublicam adminiſtrat, fas eſt, boni communis cauſa, ſimplici affectu optare, ut moriatur, cum tamen mortem ipſi procurare non liceat; ita etiam &c.

„ (a) Arbitror id non eſſe undequaque verum; ſi
„ enim non licet gaudere, vel deſiderare mortem pa-
„ tris ob hæreditatem inde proventuram; quia gau-
„ dium per ſe malum eſt; cur licebit deſiderare pol-
„ lutionem ob ſanitatem inde proventuram, cum pol-
„ lutio per ſe mala ſit?

NB. Pollutionem optare ſimplici affectu ob voluptatem, eſt mortale delectationis moroſæ.

18 Pollutionis nomine non intelligitur diſtillatio, ſeu fluxus humoris, qui ſemen non eſt, quamvis ſimilitudinem habeat humani ſeminis. Cauſam præbere per Venereas motiones, vel voluntarie delectari in ea proveniente ex cauſis Venereis, eſt mortale. Alia, ſi ex naturalibus cauſis, timore, ac imaginatione oriatur ſine conſenſu, nullum eſt peccatum.

19 Voluntaria pollutio etiam inter conjuges eſt mortale. Ratio: Quia adverſatur fini generationis: Ergo eſt contra naturam.

Regula in praxi obſervanda.

Dum Confeſſario ſeſe luxurioſus præſentat, ſciat infirmum quaſi morbo inſanabili laborantem ad ſuos pedes habere. Nihilominus quia nullius deſperanda eſt correctio, ideo videat huic tam intimo morbo remedia convenientia applicare. Primo removeat iſtum Pœnitentem a nimio cibo, & potu, non tamen jejunia, graveſque alias pœnalitates ſtatim imponat, nam tunc fortaſſe perterrefactus hujuſmodi reſpuet remedia. Oculorum libertatem refrænet, tam erga mulieres, quam erga laſcivas picturas. Proſcribat libros etiam non laſcive de profanis amoribus tractantes. Quam maxime demum ſtudeat illum removere ab iis occaſionibus, quæ ipſi cauſæ ſunt labendi. Poſtquam vero hujuſmodi cœpit obtinere, poteſt deinde moderatas aliquas pœnitentias illi injungere, ſicuti & quandoque aliquod jejunium. Secundo conetur quantum poteſt hujuſmodi pœnitentem ita diſponere, ut poſſit cum aliqua frequentia ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta accedere, nil etenim ipſis efficacius ad libidinem e corde evellendam. Tertio illi efficaciter commendet erga puriſſimam Dei Matrem intimum cordis affectum; uno etenim ore Sancti Patres ad carnis tentationes ſuperandas, efficaciſſimum eſſe remedium affirmant. Hinc poterit pœnitenti præſcribere inter alia piæ devotionis erga tantam Matrem officia, ut non raro repetat: *Mater puriſſima, Mater caſtiſſima, ora pro me*, & maxime dum ante aliquam ipſius Imaginem pertranſit.

Duo alia remedia ſuadent vitæ chriſtianæ Magiſtri. Unum, ut Luxurioſus, ubicumque ſe celet, cogitet a Divinis oculis intueri. Aliud, quod ſæpe cogitet ſeſe veluti in extremis agentem, ſeu exanimem, fœtidam, ac vermibus corroſam illam, cujus amore tantum delinquit.

De Virtutibus annexis Temperantiæ, atque oppoſitis vitiis.

20 Virtutes Temperantiæ annexæ ſunt. 1. *Manſuetudo*, moderans paſſionem iræ, quæ eſt appetitus vindictæ.

21 Manſuetudini ſecundum exceſſum opponitur Ira, quæ ex parte objecti mortale eſt; quippe Juſtitiæ, vel Charitati oppoſitum. Si ex odio vindictam deſideres ei, qui non meruit, fit veniale ex levitate materiæ; ut ſi puerum nihil commeritum capillis trahas. Si modum excedas in juſta ira, eſt veniale, per accidens ratione ſcandali fit mortale, ſi ſcilicet blaſphemias, & contumelias miſceas. Opponitur Manſuetudini ſecundum defectum Iræ vacuitas.

22. 2. *Clementia*, per quam homo poteſtate præditus ex animi lenitate propenſus eſt magis ad puniendum citra meritum culpæ, quatenus recta ratio dictat, quam ultra meritum, opponitur per exceſſum Crudelitas, per quam homo exigit pœnam ultra meritum; Sævitia quærit delectationem in vindicta juſta: Eſt ex genere ſuo mortale. Secundum defectum opponitur nimia Lenitas.

23. 3. *Humilitati*, quæ temperat appetitum tendendi ad excelſa, ſecundum exceſſum adverſatur Superbia, quæ eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. Ejus quatuor ſunt ſpecies. 1. Si bona tua æſtimes, quaſi a te ipſo habeas, non a Deo. 2. Si propriis meritis bona tua adſcribas. 3. Si æſtimes, te habere bona, quæ non habes. 4. Si contemptis aliis videri velis ſingulariter habere, quæ habes.

Superbia perfecta eſt contemptus Legis divinæ. Et eſt graviſſimum peccatum. Imperfecta ſiſtit in nimia æſtimatione ſui; ſi abſit injuria erga Deum, vel proximum, veniale eſt.

NB. Superbia eſt appetitus inordinatus propriæ excellentiæ; vana gloria laudis; ambitio honoris. Humilitati per defectum opponitur nimia Abjectio ſui; ſi V. C. Epiſcopus ſibi præponat Presbyterum.

24. 4. *Studioſitati*, quæ moderatur naturalem appetitum ſciendi, ſecundum exceſſum opponitur Curioſitas. Eſt ex genere ſuo veniale; per accidens interdum mortale. Secundum defectum ei opponitur Negligentia, quæ eſt voluntaria omiſſio eorum diſcendorum, quorum cognitio ad cujuſque ſtatum pertinet. Eſtque grave, vel leve peccatum, prout obligatio ſciendi, ex lege Fidei, Religionis, Juſtitiæ, &c. deſcendens, gravis, vel levis fuerit.

25. 5. *Modeſtiæ*, quæ motus, & geſtus corporis externos ſecundum rationis præſcriptum moderatur, opponitur ſecundum exceſſum Petulantia, & Inſolentia, ſecundum defectum morum Ruditas. Sunt ex genere ſuo venialia; ratione ſcandali, nocumenti mortalia.

26. 6. *Eutrapelia* eſt, quæ in ludicris (jocis) ad animorum, corporumque relaxationem inſtitutis, decorem conſervat. Exceſſus in his, ſicut & nimius defectus, in vitio ſunt.

SECTIO V.

De Jure, & Juſtitia.

TRACTATUS I.

De Quibuſdam generalibus Principiis Juris.

CAPUT PRIMUM.

De Objecto Juſtitiæ, quod eſt Jus, ſive Juſtum.

1 JUS, ſive juſtum interdum accipitur, ut idem ſit, quod legitimum, id eſt, adæquatum, conforme legi; interdum, ut idem ſit, quod *æqualitas alteri debita*; & hoc Juſtitiæ particularis, ac proprie dictæ objectum eſt.

2 Juſtitia moderatur hominis actiones in ordine ad alterum; ſed Temperantia, & Fortitudo in ordine ad ipſum operantem.

NB. Juſtum, ſive æquum, quod dixi, eſſe objectum Juſtitiæ, non eſt quælibet æqualitas, ſed æquum *debitum*, ortum habens ex aliqua obligatione voluntaria, vel involuntaria. Quare ſi duo mercatores ad nundinas profecti ſint, quorum unus lucrum cepit, alter damnum tulit, inæqualitas inter ipſos eſt, ſed non tollenda per Juſtitiæ æqualitatem, niſi vel ſocietatis pactio, & obligatio præceſſerit, vel ille hujus cauſa injuſta damni extiterit. Iterum: Si tu mihi equum tuum conceſſiſti, ex quo lucrum mihi acceſſit, tibi contra aliquid lucri deceſſit; tunc, ſi pactum reciprocum anteceſſerat, per Juſtitiam ad æqualitatem redigendi ſumus, compenſando tibi defectum ex meo commodo.

3 NB. Jus improprie varie accipitur. 1. Pro facul-

tate

Digitized by Google

tate aliquid legitime agendi, V. C. jus habere ſepulchri, jus habere ad hæreditatem. 2. Pro Judicis ſententia. 3. Pro lege, ſeu ſcientia legis. Ulpian. *Jus eſt ars boni, & æqui*.

CAPUT II.

De Juſtitia generali, ſeu legali.

1. JUſtitia generalis verſatur circa omnia virtutum opera ob Reipublicæ felicitatem, inde orta, quod homo in humana ſocietate vivens comparatur, vel tanquam pars ad partem, ut civis ad civem, vel tanquam pars ad totum, ut civis ad Communitatem.

Juſtitia generalis, ſic dicta; quia omnes virtutes morales in ſe comprehendit, non quidem univerſalitate prædicationis (ut animal continet ſpecies animalium) ſed univerſalitate cauſæ (qua ratione ſe habet ſol ad alia corpora, quæ ipſius virtute illuminantur, generantur, & conſervantur) quatenus reliquis virtutibus ipſa imperans illarum actiones ad Reipublicæ proſperitatem refert.

Juſtitia hæc generalis appellatur etiam *Legalis*, quia verſatur circa legem, ſeu juſtum legitimum. Etenim in Republica legibus bene conſtituta omnia omnium virtutum officia præcipiuntur. Et in hac ſignificatione nomen *Juris* accepit Juriſconſultus in L. Juſtitia, ff. de Juſt. & Jure. cum ait: *Juris præcepta ſunt, honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere*. Nam Reſpublica quævis triplici jure nititur, naturali æquitate, ſcripta lege, & conſuetudine vetuſta.

Opera virtutum, quatenus per ea divinæ legi, ac voluntati conformamur, Juſtitia in Sacris Literis vocantur. Math. 5. *Beati, qui eſuriunt juſtitiam*. Et Cap. 6. *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*.

NB. Juſtitia legalis ſe dupliciter habet. Nam in Principe, ſive Magiſtratu leges decernente ob Reipublicæ commodum ineſt quaſi architectonice: In ſubditis vero acceptantibus, & obſervantibus leges ob ejuſdem Reipublicæ commodum ineſt miniſterialiter, velut executioni mandantibus, quæ per Magiſtratum decreta ſunt.

CAPUT III.

De Juſtitia particulari.

1. PArticularis Juſtitia definitur ab Ulpiano, quod ſit *conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum* (debitum ad æqualitatem) *cuique tribuendi*. Ejus proprietates ſunt. I. Ut ſit ad alterum. II. Ut verſetur circa debitum. III. Ut reddat ad æqualitatem.

2. Inter patrem, & filium, utpote non omnino diverſum a patre, inter ſervum, & dominum, omnia domino acquirentem, veluti ejus poſſeſſionem, & inſtrumentum, inter uxorem, & maritum, utpote unum corpus, & carnem, non eſt ſimpliciter dicta Juſtitia, ſed ſolum improprie dicta, *Paterna*, *Herilis*, *& Oeconomica*. Ratio: Nam Juſtitia particularis tendit ad alterum, & juſtum particolare verſatur inter partes, quæ exequari poſſunt; atqui dictæ partes non inveniuntur in dictis perſonis. Ergo.

NB. Licet Juſtum paternum, V. C. recedat a proprietate Juſti quoad æqualitatem inter diverſas perſonas ſtatuendam, non tamen quoad rationem debiti. Immo majus debitum eſt, obligatioque arctior pietatis, ſive Juſtitiæ patris in filium, & econtra, quam ſit Juſtitia civilis. Ratio: Quia gravius cenſetur deliquiſſe filius, ſi in parentem impius, & injurius ſit, quam ſi in alios.

3. Neque Religio erga Deum proprie dicta Juſtitia eſt; cum non poſſit reddere æqualitatem.

4. Inter patrem, & filium quoad bona caſtrenſia non emancipatum, vel emancipatum, maritum, & uxorem quoad bona paraphernalia, inter ſervum, & dominum ex proprio peculio eſt Juſtitia proprie dicta. Ratio: Quia in iſtis habent ſe tanquam concives, & partes diſtinctæ, quibus ſtatus ille patris, ac filii, uxoris, & mariti, &c. accidentarius eſt. Idem de cive contrahente cum Republica ſentiendum.

Colligit hinc Molina, defraudationem filii contra patrem eſſe peccatum ſimplex contra Juſtitiam, & obligationem eſſe ad reſtitutionem, ſed non tam ſtrictam; quippe cum bona temporalia patris aliquo modo pertineant ad filium propter arctiſſimam eorum conjunctionem. Quod autem pœnitens, ſi patri furatus ſit, teneatur manifeſtare in Confeſſione, id interdum fieri debet, ſi nimirum talis circumſtantia faciat eſſe peccatum tantum veniale, quod alioquin eſſet mortale. Idem dicendum de furtis conjugum inter ſe, eo quod in foro externo inter tales non detur actio famoſa furti, ſed rerum amotarum; ut dicam Tract. 3. P. 1. C. 1.

CAPUT IV.

De ſpeciebus Juſtitiæ particularis.

1. DUÆ ſunt ſpecies Juſtitiæ particularis: Una commutativa, quæ proprie eſt ad alterum, ſeu perſonam diſtinctam, & intervenit in contractibus, conſtituitque Juſtum inter perſonas diſtinctas ſecundum æqualitatem rei datæ ad rem acceptam. Altera Juſtitia diſtributiva, quæ non eſt omnino ad alterum, ſed totius ad partem, & occupatur in diſtributione communium bonorum, dignitatum, officiorum, &c.

NB. Hæc diviſio non eſt in ſpecies univocas, ſed analogas; quia diſtributiva non eſt proprie ad alterum, nec tam ſtricte debita.

2. Juſtitia commutativa conſtituit perfectam, ſeu Arithmeticam æqualitatem inter quantitatem rei acceptæ, & datæ. V. C. Si equum emi 20. florenis æſtimatum, totidem dare debeo; ſi 30. furatus ſum, totidem reſtituere debeo. Diſtributiva vero conſtituit æqualitatem Geometricam, ſeu proportionalem. V. C. Sicut ſe habent 4. ad 2. ita ſe habent 8. ad 4. ſic in diſtributione communium bonorum (ſpoliorum) æquitas, ſeu Juſtitia poſtulat, ut eadem ſit proportio inter bona diſtribuenda, qualis proportio eſt inter ſtatus, ſive dignitates perſonarum, quibus diſtributio facienda eſt.

Juſtitiæ commutativæ duplices ſunt commutationes, & inde ortæ obligationes. Aliæ voluntariæ, quæ mutuo paciſcentium conſenſu oriuntur. Aliæ involuntariæ, quæ oriuntur ex delictis, quibus alteri invito damnum injuſtum infertur furto, detractione, homicidio.

3. Juſtitia vindicativa plurimum recedit a veræ Juſtitiæ proprietate, eo quod damnum illatum non ad æqualitatem reddat; ſiquidem pœna, quæ pro delicto infligitur, proprie non compenſat, aut tollit debitum.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Neceſſe eſt Confeſſarium animadvertere facillime graviter peccare contra juſtitiam diſtributivam illos, quibus incumbit diſtribuere Officia & Dignitates. In iis diſtribuendis plurimam partem ſolent habere amicitia, & vinculum ſanguinis, quando ſolummodo attendendum eſt meritum Perſonarum. Quod ſi juxta veriorem ſententiam graviter peccari poteſt in ipſa electione Digni, ſi Dignior prætermittatur, quid dicendum, ſi ut mos geratur Amico, vel Conſanguineo, indignus eligatur? Animadvertat ulterius Confeſſarius hujuſmodi Electores teneri poſſe ad reſtitutionem, ut ſuo loco dicetur, loquendo de omiſſione Digniorum in electionibus. Cæterum jam dixi in Tractatu de Beneficiis, quæ ſint conſideranda ad dignoſcendum qui ſint Digniores. Inter cætera autem moneat Confeſſarius maximam rationem habendam eſſe probitatis; nam Viri etiam excellentes, & docti, ſi ſint mali, utuntur non raro acumine ingenii ad nocendum. Verum tamen eſt ſolam probitatem non eſſe attendendam; nam vir probus, ſed incapax, & indoctus, orabit quidem, at non bene diriget negotia, nec recte juſtitiam adminiſtrabit.

CAPUT V.

De Jure Dominii, & rerum diviſione.

NB. INter alias Juris acceptiones una eſt pro *legitima facultate aliquid agendi, obtinendi, diſponendi, utendi, &c.* in quo, ſi alterum abſque juſta cauſa impedias, injuriam ipſi inferre cenſeris.

Jus hoc modo acceptum duplex eſt. Unum, *Jus in re*; & alterum, *Jus ad rem*. Jus in re tribuit actionem realem, quæ vocatur rei vindicatio, quale jus habet dominus in mancipio, domo, veſte.

Jus ad rem dicitur, ex quo deſcendit obligatio, & actio perſonalis. Vocatur autem actio *perſonalis*; quia proxime tendit in perſonam nobis obligatam ex contractu, vel delicto. Hæc actio cohæret perſonæ in tantum, ut, ſi mutuo dediſti Titio 500. florenos; quos ille Sempronio donavit, hoc caſu actio perſonalis tibi contra Titium, nulla autem contra Sempronium competit.

NB. Actio *realis* dicitur; quia adhæret rei, eam inſequitur, adeo ut in cujuſcunque poſſeſſionem res nobis obligata devenerit, ab eodem repoſci, ſeu vindica-

dicari poſſit. Hæc actio realis variis modis competere poteſt. 1. Ratione dominii directi, ſive illud cum uſufructu conjunctum ſit, ſive ſeparatum. 2. Ratione dominii utilis, puta, vaſallo, emphyteutæ competit vindicatio utilis. 3 Ratione quaſi dominii Publiciana in rem actio competit illi, qui cum titulo, & bona fide a non domino rem acceptam non omnino uſucepit: is enim Prætoria æquitate vendicare eam poteſt ab altero poſſeſſore, niſi exceptione ſe defendat, quod legitimus rei dominus exſiſtat, vel niſi & ipſe cum titulo, non vitioſe rem poſſideat; tunc enim melior eſt conditio poſſidentis. 4 Ratione ſervitutis competit confeſſoria in rem actio illi, qui confitetur, ſeu prætendit ſervitutem ſibi in re alterius competere, videlicet ut per alienum fundum ire, aut currus agere poſſit. Huic opponitur actio negatoria, per quam negamus alteri in re noſtra ſervitutem deberi, niſi eam demonſtret. 5. Ratione pignoris, ſeu hypothecæ competit actio Serviana, per quam locator contra quemvis poſſeſſorem agit ad res, quæ a conductore ſcienter in rem locatam, ita, ut perpetuo illi eſſent invectæ, aut illatæ, ſibique pro penſione, & rei deterioratione tacite obligatæ ſunt. Cui affinis eſt actio quaſi Serviana, ſeu hypothecaria, per quam creditores pignora ſua, & hypothecas perſequuntur.

Dicta autem eſt Serviana a Servio Prætore Romano, qui ejus auctor erat; ſicuti Publiciana a Publicio Prætore: Cui ſimilis eſt Pauliana actio a Paulo Juriſta, per quam creditores res in fraudem alienatas a poſſeſſoribus reſciſſione ejus, quod actum eſt, revocant.

NB. Dominium late ſumptum eſt *facultas diſponendi de aliqua re, tanquam ſibi ſubjecta*.

2 Dominium eſt duplex: Unum *Juriſdictionis*, de quo dixi Lib. 1. Tract. 4. Cap. 5. Alterum *Proprietatis*, quod ſolum huc pertinet; eſt enim ſpecies præcipua Juris in re. Nam dominus jus habet in fundo, equo, veſte. Hinc Bartolus ita definit Dominum: Quod ſit *Jus perfecte diſponendi de re corporali, niſi lege prohibeatur*. Dicitur: *De re corporali* (fundo, domo). Unde excluditur Uſusfructus, jus eligendi, jus præſentandi, quorum non eſt proprie dictum dominium. *Niſi lege prohibeatur*. Ita pupillus, etſi bonorum ſuorum dominus ſit, tamen arbitratu ſuo ea alienare non poteſt, quamdiu ſub tutoribus eſt, quia prohibitum lege. V. C. Bona primogeniture verum dominium habent, & tamen interdum vinculata ſunt, & prohibita alienari, ut ſemper ad primum caput familiæ devolvantur.

3 Solæ ſubſtantiæ intellectuales dominii capaces ſunt. Prob. Dominium eſt facultas de re aliqua ſuo arbitratu diſponendi; talis autem facultas ſine intellectu, & libertate arbitrii haud conſiſtit. Hinc Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ut præſit piſcibus maris, & beſtiis terræ, &c.*

5 Homo totius ſpectabilis mundi proprie dominus dici non poteſt: Nam non poteſt arbitratu ſuo diſponere de aſtris, nubibus, &c. In volatilia competit illi quaſi dominium, ſeu jus capiendi, & occidendi. Ante lapſum autem habuiſſet homo perfectum dominium in volucres; naturali enim inſtinctu fuiſſent ei obeditura, & ſecuturæ.

5 NB Chriſtus Dominus, qua homo, habet dominium ſuper univerſum mundum. Matth. 28.

Diviſio rerum Gentium jure introducta eſt, cum jure primævo, ut naturali communis eſſet rerum poſſeſſio, ac dominium. Jure autem Gentium diviſio introducta eſt ad communem egeſtatem, animorum diſſenſiones, atque alia mala cavenda; quod non fuiſſet neceſſarium in ſtatu innocentiæ.

Quod eſt Juris naturalis præceptivi, mutari non poteſt. Id autem dicitur Jus naturale præceptivum, cujus oppoſito Jus naturale reſiſtit; V. C. parentes honorandos, ſuum cuique tribuendum eſſe.

Quod autem eſt Juris naturalis permiſſivi, id mutari poteſt. Illud autem dicitur de Jure naturali permiſſivo, cujus oppoſito Jus naturale non reſiſtit, quamvis etiam illud non ſtatuat, ſed permittat hominum voluntati ſuperaddi; nam lex, & ars perficiunt naturam. Ita lignum a natura informe procreatur, ſed arte perficitur. Ita rerum communio naturalis Juris eſt, non præceptivi, ſed permiſſivi, ideoque rerum diviſio, ac proprietas, licet a naturæ lege non ſit, non tamen eſt contra naturæ legem.

NB. Etſi Jus naturale per ſe non ſit mutatum, nec poſſit mutari; tamen poteſt mutari per accidens, ſi ſcilicet appoſita aliqua circumſtantia mutatio aliqua fiat in objecto. Ita lex naturalis præcipit matrimonium inter marem, & fœminam mutuo conſenſu etiam clam celebratum, & voluntatem defuncti duobus, aut tribus teſtibus confirmatam ſervari oportere: Definit autem ita præcipere poſteaquam publica poteſtate ejuſmodi contractus, vel teſtamentum juſta de cauſa infirmatum fuit. Pari modo, ſtante ab initio rerum communione, Jus naturale dictabat, neminem prohibendum eſſe ab uſu rerum, quibus indigebat: Introducta autem rerum proprietate, adeoque facta mutatione in objecto, jam Jus naturale contrarium dictat, videlicet furti injuriam committere eum, qui extra extremæ neceſſitatis caſum (quæ excipitur; ſiquidem rerum diviſio Jure Gentium alio modo introduci non potuit, niſi hoc caſu. Quare dici ſolet, *in extrema neceſſitate omnia communia eſſe*) rem aliquam accipit, invito illo, ad quem proprie pertinet.

6 NB. In rerum diviſione, Gentium Jure inſtituta, quædam omnium conſenſu communia manſerunt, aer, imber, mare, & littora maris, flumina omnia, ac portus, publica ſunt, & communia: Quare in his omnibus jus navigandi, & piſcandi commune eſt. Riparum uſus publicus eſt Gentium Jure, ideoque naves ad eas appellere, funes arboribus alligare, onus in his reponere cuivis liberum. Quamvis ejuſmodi jura propria fieri per præſcriptionem temporis immemorialis, doceant Doctores.

Univerſitatis, & non ſingulorum ſunt, quæ in civitatibus ſunt, theatra, ſtadia &c. Denique nullius ſunt res ſacræ; *quod* enim *divini Juris eſt, id in nullius hominis bonis eſt*. §. nullius. Inſtit. de rerum diviſione. Feræ, beſtiæ, volucres, piſces, nullius ſunt, ſed ſimul, atque ab alio captæ fuerint, Jure Gentium ipſius eſſe incipiunt. *Quod* enim *antea nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur*.

7 Ad acquiſitionem dominii ordinarie duo requiruntur, titulus, & traditio, juxta l. 31. ff. de acquirendo rerum dominio. *Nunquam nuda traditio transfert dominium, ſed ita, ſi venditio, aut aliqua juſta cauſa præceſſerit*, propter quam traditio ſequeretur.

Titulus eſt radix, & origo, ſeu ratio fundandi dominium.

Titulus acquirendi dominii alius eſt verus, & alius bona fide præſumptus.

8 In quibuidam caſibus ſolus titulus ſine traditione, vel apprehenſione ſufficit ad acquirendum dominium, non item ad poſſeſſionem. 1. Sola collatione, & acceptatione (etiam inter abſentes) acquiritur jus in re; & quaſi dominium Eccleſiaſtici beneficii ante ejus apprehenſionem. 2. Sola aditione hæreditatis ante apprehenſionem legatario legati indeterminati conceditur actio hypothecaria ob realem obligationem, quam habet in bonis defuncti, ut ex iis legatum ſibi ſolvatur, ad quemcunque poſſeſſorem devenіant. 3. Legatarius rei legatæ determinatæ dominium acquirit, quamprimum hæres hæreditatem adiit. 4. Si alicui donatio facta ſit ſub conditione, ut donatori alimenta præſtentur; donatarius autem conditionem negligat, dominium rei donatæ abſque traditione revertitur ad donatorem, ut a quovis poſſeſſore eam vendicare poſſit. 5. Ex titulo donationis, venditionis, aliove ſimili ante traditionem acquiritur dominium civitatibus, Eccleſiis, aliiſque piis locis ob ſpeciale privilegium. Denique Princeps, ſi velit, donatione feudi poteſt in donatarium rei dominium transferre abſque ejus traditione, vel apprehenſione; quamvis, ſi id non exprimat, ſecundum communes leges donatio facta cenſeri debet.

Quod vero in dictis caſibus poſſeſſio non acquiratur, conſtat ex Regula: Quod *poſſeſſio, ſi naturaliter apprehenſa ſit, ad nos non pertinet*. Nam, ut dicitur in l. naturaliter, ff. de acquirend. poſſeſſ. *nihil commune habeat proprietas cum poſſeſſione*. Fieri enim poteſt, & ſolet, hunc eſſe verum dominum, alium vero poſſeſſorem.

9 Hominis dominium tribus modis acquiri, ſive ſervitus conſtitui poteſt. Vel enim naſcuntur ſervi, vel fiunt. Naſcuntur ex ancillis; fiunt vel Jure Gentium per captivitatem; vel Jure civili per emptionem. Primus titulus eſt *conditio nativitatis*. Hinc *partus ſequitur ventrem*, ſeu *conditionem matris*, adeo, ut non conſiderato ſtatu patris ex ſerva ſervus, ex libera liber naſcatur. Ratio hujus Gentium conſtitutionis eſt, tum quia mater ancilla propter partum ſubtrahitur ſervitio domini, & ſæpe mortis periculo exponitur; quare æquum eſt, ut pro hoc periculo damni partus ejus ad dominium ancillæ ſpectet, juxta Juris Regulam 55. in 6. *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & contra*. Tamen ob favorem libertatis ſtatutum eſt, ut ſive mater ſolo tempore conceptionis, ſive tempore nativitatis, ſive intermedio libe-

libera, aut liberati donata extiterit, proles ingenua ex ea naſcatur.

Quod vero attinet ad honores, nobilitatem, & familiam, proles legitime nata ſequitur conditionem patris, dummodo mater ſerva non ſit: eum enim ex ea natus ſervus ſit, non eſt capax civilis nobilitatis, aut dignitatis: Quia, quod attinet ad Jus civile, *ſervi pro nullis* habentur. Natum ex patre nobili, & matre ancilla, poſtquam libertati redditus eſt, patris nobilitatem recuperare exiſtimat Sanchez; ſed id nulla lege decretum. Secundus titulus eſt *captivitatis*, olim in uſu Jure Gentium, ſed per conſuetudinem temporis diuturnitate ſtabilitam inter Chriſtianos receptum eſt, ut, ſi ipſi inter ſe bellum gerant, capti capientium ſervi non efficiantur, niſi ſint infideles. Tertius titulus eſt *emptionis, ac venditionis*, de quo infra Tract. 4. Cap. 17. num. 35. Adde; aliquem ſervum fieri ſententia Magiſtratus ob delictum.

10 Quod ſervus acquirit, domino ſuo acquirit, niſi ex conditione datum ſit, ut ejus proprium maneat.

11 Servi fugere poſſunt a dominis ſuis, ſi in periculo animæ apud ipſos verſentur, neque obligati ſunt ad revertendum, dum periculum tale perdurat.

NB. 1. Servi (infideles) ad nullos actus legitimos, aut officia publica admittantur.

NB. 2. Servi originarii; ſeu adſcriptitii non ſunt proprie ſervi, ſed homines liberi.

Dominium in ſervos eſt imperfectum.

12 Feræ animantes ſub nullius dominio ſunt, ideo primo occupanti naturali Jure acquiruntur. Excipe animalia natura manſueta, ut canes, & animalia, quæ conſuetudine cicurantur, ut columbæ, cervi, accipitres, dum conſuetudinem ad dominum revertendi retinent: Ad naturalem vero libertatem, & feritatem reverſi fiunt primo occupantis.

Examen apum, ſpectato Jure communi, piſces, apri, & pleraque avium genera, quorum dominium quiſque acquirit capiendo, retinet vero, quamdiu, ipſius cuſtodia coercentur, in libertatem deventi, & difficile recipiendi fiunt primo occupantis, niſi loci conſuetudine aliud obſervetur.

Piſcans in ſtagno, aut rivis non committit furtum, ſed injuſtum damnum, ad cujus compenſationem obligatur, & in foro externo inſpecta qualitate facti puniri ſolet.

Fera taliter vulnerata, ut certo conſtet, percuſſoris manus effugere non poſſe, ei tradenda eſt; ſi autem dubium ſit, inter utrumque dividenda ſecundum dubii proportionem.

NB. Si unus avi laqueum tetendit, & alter extraxit, tenetur extrahens reddere ei, qui laqueum poſuit, ſi certo eam capturus fuiſſet, niſi alter præveniſſet, habet enim jus extrahendi avem, qui proprio eam laqueo irretivit. Quamvis in externo foro aliter fortaſſe judicabitur propter Sententiam Proculi.

13 Si Princeps jus venandi in locis publicis juſto aliquo titulo proprium ſibi vendicat, aliis merito interdicit, fundatus in libero conſenſu populi, aut vetuſtate temporis: Venatores autem ob primam decreti prævaricationem corporali pœna afficere non poteſt. Ratio: Quia crimen per ſe tam grave non eſt, ut talis tam magnam pœnam mereatur, niſi Officialibus Principis minetur, nam hoc caſu multum ejus delictum aggravatur; aut ſi ex contumacia crimina repetat, gravius punienda.

Iniquus venator captarum ferarum dominium ſibi acquirit, licet de damno illato in conſcientiæ foro teneatur, V. C. tantum reſtituendo, quantum moraliter æſtimatur ſpes; ſive jus capiendi, V. C. cervi, quo Principem privavit.

14 Venari in loco publico, venationi Principum juſte aſſignato, eſt veniale, niſi grave damnum inferatur multas, aut pretioſas feras capiendo, vel reddendo eas fugaces, ut difficilis poſtea capturæ exiſtant (a) Si enim jus in loco publico venandi ſoli Principi competit, ſequitur, venationem alterius eſſe injuſtam, ſive peccatum contra juſtitiam, ex genere ſuo mortale; ipſaque injuria, ſeu violatio Juris Principi competentia magni æſtimari ſolet.

„ (a) Plerunque tamen eſt mortale ob periculum, „ cui ſe exponere venatores ſolent, ut vel vulneren„ tur, vel occidantur a cuſtodibus, vel viciſſim.

NB. Venatori iniquo acquiritur jus in captam feram; quia non eſt intrinſece injuſta actio, ſed ſolum extrinſece, & non quatenus formaliter acquiſitiva hujus juris. Sic V. C. ſi vi aliquem injuſta adigas ad vendendum tibi equum, injuſtus eſt ex parte tua contractus, & tamen validus, ſi quæ emptioni, & venditioni ſubſtantialia adſint; videlicet mutuus conſenſus in mercem pro pretio: Ita Magiſtratus taliter aliis privatis jus venandi interdicit, ut tamen non velit eos incapaces reddere acquiſitionis dominii ferarum.

Venatio Clericis prohibita eſt, præſertim quæ cum armis, atque tumultu inſtituitur. Ratio: Quia dedecet ſtatum Clericalem, & avocat a gravioribus ſpiritualibus occupationibus, populoque ſcandalum præbet, maxime ſi fiat frequenter.

NB. Sola cauſa venationis ſpectata, non eſt mortale Clerico venari, imo nullum peccatum ſpectatis circumſtantiis loci, & perſonarum, etiam in canibus exercitii cauſa.

16 Si Princeps lege lata ſubditis venationem prohibeat, nulla interveniente pactione, aut renuntiatione ipſorum, obligatus eſt ad damna cavenda, & illata ipſis reſarcienda: Secus, ſi per liberum populi conſenſum, vel ſimili titulo juſto Princeps jus venandi ut proprium acquiſivit. Ratio prioris eſt: Quia naturali jure competit cuilibet defenſio rerum ſuarum, etiam contra homines injuriantes: Ergo magis contra feras. Poſter. probatur: Quia hoc ipſo, quod Principi ex conceſſione, aut quacunque diſpoſitione jus venandi proprie competit, eo uti, vel non uti poteſt ſine cujuſquam injuria, juxta reg. 198. ff. *Nemo damnum facit, niſi quod id fecit, quod facere jus non habet.*

NB. Limita hanc doctrinam 1. Niſi fama, & conſuetudine firmata ſit, quod populus jus venandi Principi proprium reliquerit, ea lege, ut damna arceat, vel illata reſarciat. 2. Niſi immodica damna ſubditis paſſim inferantur; ad quæ ſuſtinenda non eſt credibile, populum conſenſiſſe. 3. Niſi appareat, populum alioquin valde gravari tributis, aliiſque oneribus, ut accedentibus ejuſmodi damnis, quæ a feris inferuntur, merito conqueri poſſint. Ratio: Quia hæc ſervitus populi, quod non audeant feras capere in locis publicis, eſt veluti pars tributi: Ergo neceſſe eſt, vel non nimis eos gravari aliis tributis, vel ſervitutem, & damnum venationis eiſdem imminui.

NB. Lex venationis feræ prohibitoria inter Regalia computatur, id eſt, inter ea, quæ ſoli Principi ſuperiorem non agnoſcenti competunt, iiſque, quibus Princeps tale jus privilegii conceſſerit: Cui addi debet præſcriptio immemorialis; quippe quæ *privilegii* inſtar cenſetur.

NB. Titulus juſtus venandi eſt, Belli juſti: Si Princeps Provinciam juſte occupavit, & expulſis rebellibus terras illas inter bene meritos diſtribuit, vel in feudum conceſſit, aut emphyteuſin, reſervato ſibi jure venandi feras in eiſdem terris.

NB. Damna illata in venationibus ab Imperatoribus, & Magnatibus reſarcienda ſunt, ſi feræ arva ſubditorum depaſcantur, aut pretio cuſtodes alere debeant.

17 Columbaria licita ſunt: Quia non ſunt noxiæ columbæ, ſi leges, & conſuetudines loci obſerventur.

NB. Columbræ, ſi redeundi conſuetudinem amiſerunt, primo occupantis fiunt. Arte columbas ad ſe trahere alienas eſt furtum.

18 Cives, ſive incolæ in communibus locis ligna cædentes contra Magiſtratus prohibitionem obligantur ad pœnam, ſi deprehendantur; non item ad reſtitutionem aliquam, niſi grave damnum intulerint.

NB. Extranei, qui non ſunt de Communitate, cædentes ligna in alienis ſylvis abſque conſenſu ſaltem tacito, & notabile damnum inferentes, peccant mortaliter.

NB. In privatis ſylvis, vivariis, piſcari, aliquid auferre, furtum eſt.

19 In publicis fluminibus non eſt licitum abſque Principis conſenſu molendinum ædificare, ne impediatur publicus uſus navigationis; ſicuti nec in via publica. In privatis autem; ſeu propriis fluminibus id conceſſum eſt, modo per novum molendinum non auferatur commodum naturale antiquiori, quod eſt aquæ deflexus. Arg. l. ſi manifeſte. C. de ſervit. ubi Bartolus ait: Quod *in aquæductu antiqua conſuetudo ſervanda ſit*.

20 Quod per alluvionem fundo Titii adjicitur, ipſius ſit Jure gentium. *Per alluvionem autem* juxta Gajum *id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non poſſimus, quantum quoque momento temporis adjiciatur*. Alia ratio eſt, ſi per vim fluminis repentina adjectio fiat.

21 Rerum dominium acquiritur nobis, I. Per Specificationem. Quod contingit, ſi ex lana veſtem, ex ovis vinum, ex olivis oleum confecit. Requiritur tamen bona fides in adhibitione rei alienæ ab exiſti-

mante

mante ſuam eſſe: II. Per Acceſſionem. Quod contingit, ſi purpura veſti meæ intexatur, aut gemmæ auro inſerantur. Ratio: Quia acceſſorium ſequitur principale. Succurritur tamen domino gemmæ, V. C. conceſſa illi actione ad exhibendum annulum, ut excludatur gemma. III. Per Confuſionem. Quod contingit, ſi duorum dominorum materiæ conſenſu, aut caſu confuſæ fuerunt, totum corpus ipſi commune efficitor: Plumbo tamen argento mixto in rem actio dabitur. IV. Per Commixtionem. Quod fit, ſi commiſceantur frumenta: Si ſine voluntate dominorum fit, ſingulis competet actio in rem, quatenus apparet, in illo acervo cujuſque eſſe. Differt a confuſione, V. C. vini cum vino; quod in commixtione corpora maneant ſeparata inter ſe ſecundum ſubſtantiam, in confuſione autem corpora in unum coeant. V. Per Inædificationem. Quod fit, ſi quis in alieno ſolo ſuam materiam ædificavit, illius erit ædificium, cujus eſt ſolum: Quod ſi vero quis in ſuo ſolo ex aliena materia ædificarit, dominus fit ædificii; quia omne, quod ſolo inædificatur, ſolo cedit. Veruntamen diruto ædificio materiæ dominus eam vindicare poterit, niſi antea ipſi pro materia ſatisfactum fuerit. VI. Per Implantationem. Sicuti enim ædificia ſolo cedunt; ita multo magis plantæ, & arbores, cum a terra ſuſtenentur. Frumenta in alieno agro ſata tenetur dominus agri ſolvere, ſi bona fide actum. Si lis oriatur, cujus ſit arbor prope confinia plantata horti alterius, aut quantum nocumentum afferat, res decidenda a ruſticis, utpote agriculturæ peritis. Quod ſi arbor aliena meis ædibus officiat, & ei denuntians non obtinuero ſuccisionem, ego ſuccidere, & ligna tollere non prohibeor. VII. Per Scriptionem. Litteræ, etſi aureæ, cedunt membranis. Idem dicendum de picturis, niſi tabulæ ſint argenteæ; tunc enim tabula erit principalior pictura acceſſoria.

NB. Res inventæ, quæ nunquam dominum habuerunt, ut gemmæ, inſula, ſunt primo occupantis. Venæ metallicæ, quæ in proprio fundo natæ ſunt, Jure gentium ſunt domini fundi, ſecluſa ſpeciali conſuetudine. Res inventæ, quæ dominum habuerunt, & carent, quia pro derelicta habentur, & ſine animo recuperandi, Jure gentium ſunt primo occupantis.

22 Quæ in mare jacta ob naufragii periculum, & incendio erepta ſunt, niſi ex circumſtantiis colligi poſſit, ea pro derelictis habita, puta, quia domini quærere contempſerunt, aut non curarant amplius, propriis dominis reſtitui debent, poſtulata laboris, & induſtriæ compenſatione. Ratio: Quia dominus rei ſuæ dominium non amittit, niſi conſentiat, ſive eam pro derelicta habeat. Compenſationem tamen laboris ſui, æſtimationemque periculi jure exigere poteſt, qui domini negotium ita utiliter geſſit, & interea, dum offertur, veluti pignoris loco rem retinere.

23 Theſaurus in proprio fundo, vel in publico inventus ad inventorem ſpectat Jure gentium: Arte magica repertus in pœnam criminis fiſco adjudicabitur per Judicis ſententiam.

Si in alieno fundo caſu inventus ſit, partim ad inventorem, partim ad fundi dominum pertinet. Si de induſtria in alieno fundo quæſitus ſit, non tenetur totum dare domino ante ſententiam; quia eſt conſtitutionis pœnalis. Si ſciens theſaurum emas agrum, eſt tuus totus theſaurus, juxta verba Chriſti Matth. 13. Cum enim in fundo non natus, ſed poſitus fuerit, ideo pars, ſive fructus fundi non cenſetur, neque ad dominium alicujus pertinere, antequam eruatur.

NB. Nomine Theſauri intelligitur vetus depoſitio pecuniæ; ad excipiendam pecuniam, quæ nuper tempore belli abſcondita, illius eſt, & illi reſtituenda, qui abſcondit.

Emptor veſtis, deprehendens aurum, reddere tenetur; quia in contractum venditionis non venit aurum propter ignorantiam. Eſto, emptor cum bona fide triennio poſſederit, neſciens, aurum abſconditum eſſe, dici nequit, cum præſcriptione dominium acquiſiviſſe. *Is enim, qui neſcit, non poſſidet aurum; ſine poſſeſſione autem nulla eſt uſucapio.*

NB. Theſaurus etiam in loco publico, & ſacro inventus eſt totus inventoris.

24 Res inventas, quarum dominus ignoratur, poſt diligentem inquiſitionem, inventor retinere, ac demum abſumere poteſt ſecundum probabilem Sententiam; quia nec Jure Eccleſiaſtico id conſtat, cum ſolum id agat de injuſte acquiſitis, quæ, cum domino non poſſint reſtitui, pauperibus ſunt reſtituenda: Nec Jure naturali; quia Jus naturale eſt, quod apud omnes obligat: Non autem omnibus gentibus ineſt hæc perſuaſio, res inventas pauperibus eſſe dandas; nec omnes Catholici (taceo hæreticos) cum rem quampiam amiſerunt, talem cogitationem ſuſcipiunt ut ab inventore pauperibus tribuatur, ſed ut ſibi potius, ſi eos reperire contingat, reſtituatur; alias habeatur pro derelicta.

Poſt alienationem rei inventæ inventor nihil reſtituere tenetur domino comparenti, niſi quatenus inventor locupletior inde factus eſt. Idem dic de pauperibus.

Bona *vacantia* (quorum dominus ſine teſtamento deceſſit, nullo relicto hærede) ad fiſcum devolvuntur, & quandoque in cauſas pias erogari debent, ſi videlicet peregrinus ignotus abſque teſtamento decedat.

Regula in praxi obſervanda.

I. Quoad animalia præcipue poteſt aliquando anceps eſſe Confeſſarius in ordine ad columbas. Hæ quidem cum conſuetudinem habeant redeundi, ordinarie ſpectant ad Dominum Columbarii, ſi tanto tempore non differant redire, ut prudentis arbitrio cenſeantur non amplius habere conſuetudinem redeundi. Hinc puto, poſſe tuto retineri Columbas, quæ ſine alicujus fraude alterius aggregantur Columbario. Secus ſi ibi includantur, vel particulari cibo alliciantur ad ibi perſiſtendum. De hac re Confeſſarius legat de Lugo *diſp. 6. n. 43.*

II. Confeſſarius non obliget ad reſtitutionem illum, qui in locis reſervatis non circumſeptis occidit animalia &c. At moneat venatorem graviter peccare, quoties ita venando ſe exponit periculo alicujus gravis pœnæ, vel poteſt eſſe cauſa gravium diſſidiorum. Multo magis graviter peccat, quoties ſe exponit periculo, ut vulneretur a talium locorum cuſtodibus, vel ipſos vulnerandi.

III. Certe tenetur ad reſtitutionem, qui capit piſces in alterius naſſa, vel naſſa incluſos, ſi non poterunt inde aufugere. Quod ſi capiens piſces, iterum tendat naſſam, & ita impleatur, ut non potuerit plures piſces Dominus capere, tunc nulla eſt obligatio reſtituendi piſces in naſſa captos, quia nullum damnum Domino illatum eſt.

IV. Paſcentes animalia, & lignantes in locis communibus, ordinarie loquendo, non peccant, nec tenentur ad reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnam, ſi ex juſta cauſa hujuſmodi fuerunt prohibita: nulla autem juſta poteſt eſſe cauſa prohibendi miſerabilibus Perſonis lignationem in locis communibus. Bene tamen poteſt eſſe grave peccatum ita lignare, ut ſylvis, ſeu nemoribus grave damnum inferatur, & ex hoc poteſt conſurgere etiam obligatio reſtitutionis, ſi grave damnum Communitati inferatur. Ex his videat quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius cum iis, qui ſe accuſant in alieno lignaſſe. Neque etiam de facili condemnandus eſt peccati, & ad reſtitutionem, qui lignavit in loco alicujus particularis, ſed interrogandus eſt, an ligna mortua abſtulerit; & an Dominus in ſui uſum ſoleat illa conſumere, adeoque invitus reputari poſſit. Hac regula judicare poterit, an peccet ea ſurripiendo, & ad quid teneatur.

V. Multoties ſibi falſo blandiuntur homines ſibi retinendo res, quaſi ut derelictæ ſint reputandæ: ut ſi quis ex hoc capite ſibi retineat res a flumine aſportatas, ex incendio ereptas &c. Hæ omnes, ordinarie loquendo, ſunt reſtituendæ, ſed bene poteſt inventor prætendere pretium laboris, & periculi, cui ſe expoſuit in iis recuperandis. Aliquando etiam poteſt omnino retinere, dum nempe Dominus poſſet de iiſdem inquirere, & non inquirendo demonſtraret ſe totaliter illa negligere.

VI. Nihil exigere poteſt qui ſine periculo, & labore invenit res ab alio deperditas, unde ſi pro iis reſtituendis aliquid omnino exigatur, debet Confeſſarius ad reſtitutionem obligare: hæc etenim non dantur voluntarie, ſed ſolummodo quia alio pacto non poſſent res deperditæ recuperari. Secus eſſet, ſi quis Inventori offerrenti ſine ullo pretio rem deperditam liberaliter aliquid daret.

VII. Si inventor tamquam pauper velit ſibi rem inventam applicam, non acquieſcat Confeſſarius quoad uſque non fecerit diligentiam Dominum inveniendi, eo majorem, quo res inventa eſt pretioſior.

CAPUT VI.

De Uſufructu, Uſu, & Habitatione.

1 Uſusfructus eſt *jus utendi, & fruendi re aliena, ſalva ejus ſubſtantia*. Diſtinguitur a jure, quod creditor habet in pignore, depoſitarius in depoſito, quibus uti conceſſum non eſt.

2 Inter Uſumfructum, & Uſum diſcrimen eſt, quod Uſufructuarius fructus omnes percipere poteſt ex re fructifera, etiam penſiones, ac reditus ex ædificiis, areis, lapicidinis, modo agriculturæ non obſint: Uſuarius autem talem fructum non habet. Item Uſufructuarius poteſt alteri rem frugiferam locare, non autem Uſuarius.

3 Uſusfructus proprie non conſtituitur in rebus uſu abſumptibilibus, pecunia, frumento, vino, &c. ſed quaſi Uſusfructus; ut ſi uxori maritus leget Uſumfructum omnium rerum uſu abſumptibilium, uxor debet cautionem præſtare, ut poſt mortem uxoris hæredibus mariti earum æſtimatio reddenda ſit.

4 Uſufructuarius ſine conſenſu domini rem, in qua Uſumfructum habet, abſolute alteri donare, vendere non poteſt: Solam autem utilitatem rei alteri cedere non prohibetur, ſaltem ad vitam ipſius Uſufructuarii.

NB. Impenſæ ; quæ ratione fructuum percipiendorum fieri debent , collectæ , tributa , & ſimiles reales præſtationes , quæ pro re fructuaris debentur , Uſuſructuario incumbunt : Nam *ſecundum naturam eſt , ut , qui ſentit commodum , ſentiat & onus*.

5 Uſusfructus finitur 1. Si Uſuſructuarius uſumfructum proprietario cedat , & vice verſa . 2. Si res tota pereat , V. C. domus incendio ; tunc enim non retinetur Uſusfructus in area . 3. Si tempus finitum ſit , ad quod Uſusfructus alteri conceſſus eſt . 4. Morte Uſuſructuarii civili , vel naturali , Communitati religious Uſusfructus extinguitur ſpatio centum annorum.

6 Si Uſufructuarius Religionem profiteatur , immobilium bonorum capacem , Uſusfructus ad Monaſterium devolvitur ; quia Uſusfructus ſequitur perſonam : Si autem profiteatur Religionem incapacem ſtabilium redituum , Uſusfructus cum proprietate conſolidatur , & tranſit ad hæredes ab inteſtato.

7 NB. Uſus eſt *jus utendi tantum* (non fruendi) *re aliena , ſalva ejus ſubſtantia*. Cui enim Uſus horti tantum conceſſus , is non poteſt omnes fructus decerpere , abſumere , aut alienare , ſed ſolum deambulare in illo , poma , olera , &c. ad ſuum uſum , & ſamiliæ accipere . Item . qui nudum uſum habet jumentorum , non poteſt percipere fœtus , aut lanam (utpote fructus) nec lac , niſi modicum ad victum quotidianum ; poteſt autem bobus uti ad ſtercorandum.

Uſus proprie dictus habet locum in rebus non uſu abſumptibilibus.

NB. Jus Uſus , dependentis a domini arbitratu , etiam in rebus uſu abſumptibilibus locum habet . Ita Ordo Minorum S. Franciſci nullum acquirit dominium ex eleemoſynis , ſed ſolum imperfectum , & dependens a voluntate dantium uſque ad conſumptionem : Bona vero donata , ſuppellex , libri , horti , domus , ad Sedem Apoſtolicam pertinent.

Alii Religioſi omnes habent ſolum Uſum librorum , veſtium , &c. cumque dependentem a voluntate Prælatorum.

8 Jus habitandi plus eſt , quam merus uſus ædium . Nam habitator habet jus ædes alteri locandi pro pretio : Uſuarius ædium vero non habet aliud jus , niſi ut ipſe cum familia ſua inhabitare poſſit.

CAPUT VII.

De Poſſeſſione.

1 POſſeſſio eſt *detentio rei corporalis , corporis ; animi , juriſque adminicula*.

2 Poſſeſſio acquiritur apprehenſione rei , vel vera , vel ficta . Apprehenſio vera , ſi immobilis ſit , fit manibus ; pedibus , ſi immobilis , ſaltem ſecundum partem , quoad agrum , domum . Apprehenſio ficta ex juris diſpoſitione , vel fictione fit . 1. Per actum priſtinum poſſeſſoris , oſtendendo , V. C. ædes , Eccleſiam , vel tradendo claves , annulum , pileum , aut ſimile ſignum vacantis poſſeſſionis acquirendæ ; requiritur tamen præſentia rei , puta , ædium , horrei , Eccleſiæ , &c. nam alioquin ſola Inveſtitura per pileum , enſem , clavem , non tribuit poſſeſſionem , ſed jus poſſeſſionis accipiendæ ; vel denique tradendo Inſtrumentum ſcriptum , quo continetur , V. C. jus donatoris donare volentis ; neque opus eſt conſpectu , ſeu præſentia rei ad ejus poſſeſſionem tali modo acquirendam . 2. Acquiritur poſſeſſio juris fictione , ſi priſtinus poſſeſſor poſt contractum donationis , venditionis , &c. ſignificet , ſe poſſeſſurum nomine donatarii , vel emptoris , ſeu abſolute , ſeu veluti Uſuſructuarium . 3. Per actum novi poſſeſſoris , ſi rem emptam proprio nomine ſignet . 4. Per Judicis authoritatem , ſolo aſpectu rei præſentis , ſi tradens ejus cuſtodiam , vel adminiſtrationem habeat ; ut collator Eccleſiaſtici beneficii.

NB. In abſentia rei , ſi ob adverſarii vires , aliudve impedimentum , V. C. peſtem , acceſſus ad illam non fit , poſſeſſionem a Judice per ſola verba tradi poſſe , ait Covarruvias.

3 Poſſeſſor rei non cenſetur , qui non ut ſuam poſſidet , ſed ut ad alterum pertinentem . V.C. Qui rem conductam , commodatam , depoſitam , penes ſe habet , non eſt ejus poſſeſſor . Nec Uſuſructuarius , emphyteuta , vaſallus , rei proprietatem ſuo , ſed domini loco poſſidet . Utile autem dominium poſſidet Uſoſructuarius , cum ea ipſi poſſeſſio ſufficiat ad præſcriptionem , & alia remedia Juris.

4 Ad acquirendam poſſeſſionem corpus , & animus requiritur ; ſed ad retinendum plerumque ſufficit , ſolo animo , ſeu civiliter tantum poſſidere : Non ſufficit tamen ſolo corpore inſiſtere ; ſi animum poſſidendi depoſuiſti . *Amitti enim ſola animo poſſeſſio poteſt , licet acquiri non poteſt*. l. ſi quis vi , §. differentia , ff. eodem.

Coroll. Si Titius a fundo , quem hactenus poſſederat , diſceſſit , eoque abſente alius in poſſeſſionem fundi involat , Titius poſſeſſione fundi non ante ſpoliabatur , quam , re cognita , animum poſſidendi , vel poſſeſſionem recuperandi depoſuerit : Si autem metu perculſus ad recipiendam naturalem poſſeſſionem non acceſſerit , aut acceſſerit quidem , ſed repulſam paſſus fuerit , tunc civiliter quoque poſſidere deſinet . NB. Hinc duplex eſt poſſeſſio . Civilis eſt in ſolo animo retinendi . Naturalis in eo eſt , qui poſſeſſionem rei , tanquam ſua ſit , apprehendit , dum alius abſens civilem ejus poſſeſſionem tenet.

NB. Dicitur : *Juris adminicula* ; nam , ut apprehenſio rei , corpore , & animo facta , poſſeſſionis rationem nanciſcatur , neceſſe eſt , quod Jus non refragetur : Quibuſdam enim caſibus impedit , vel reſiſtit , ne poſſeſſio oriatur , V. C. ne laicus acquirat poſſeſſionem loci ſacri . Poſſeſſor injuſtus non eſt proprie poſſeſſor.

5 Judicium (ſive lis , quæ in externo foro inſtituitur) aliud eſt de poſſeſſione , & dicitur Judicium poſſeſſorium , & lis prius inſtituitur : *Quia* , ut inquit Juſtinianus , *& civilis , & naturalis ratio facit , ut alius poſſideat , & alius a poſſidente petat* . Aliud eſt Judicium de proprietate rei , quod dicitur Judicium petitorium , quia in eo actor petit a poſſeſſore , rem ſibi adjudicari , tanquam domino , vel ſaltem jus ad rem habenti.

NB. Commoditas poſſeſſionis eſt , ut , *cum obſcura ſunt jura utriuſque , contra petitorem judicari ſolet*.

6 Poſſeſſor intentionem ſuam fundatam habet , niſi Jus commune illi reſiſtat ; tunc enim onus probandi poſſeſſori incumbit ; nam Reus probare , & cauſam , ſive titulum dicere debet , cum præſumptio eſt pro actore.

NB. Si poſſeſſio , cui Jura communiter reſiſtunt , titulo adjuvetur , vel tempore immemoriali , facit pro poſſeſſore.

7 Remedia poſſeſſoria Prætoria æquitate introducta ſunt , quæ *Interdicta* dicebantur , quorum alia ſunt remedis poſſeſſionis adipiſcendæ cauſa comparata , alia retinendæ , alia recuperandæ . Interdictum , ſeu remedium adipiſcendæ poſſeſſionis hæredi tribuitur , ut poſt aditam hæreditatem mittantur in poſſeſſionam omnium bonorum , quæ defunctus tempore mortis poſſidebat . Interdictum , ſeu remedium retinendæ poſſeſſionis poſſeſſori inſervit , qui litis conteſtatæ tempore rem ſive mobilem , ſive immobilem , nec vi , nec clam , nec precario ſe poſſediſſe probaverit . V. C. Si Titius te abſente , & ignorante poſſeſſionem tuam clam , & furtive ingreſſus eſt , poſtquam id reſciſti , competit tibi interdictum , ſeu remedium , *uti poſſidetis* , ad retinendam poſſeſſionem civilem , & expellendum alterum a naturali , Judicis , vel Prætoris authoritate . Denique per Interdictum recuperandæ poſſeſſionis priſtinus poſſeſſor reſtituendus eſt , ſi probaverit , alterum vel vi illata , vel clam , & furtive , vel precario (id eſt , conceſſione ipſi ad certum tempus , vel uſum facta) poſſeſſionem nactum eſſe.

8 Qui civilem poſſeſſionem retinet , eam ab injuſto invaſore , aut ſpoliatore , etiam vi adhibita , quatenus neceſſe eſt , defendere poteſt , ac proinde furem fugientem perſequi , & rem ablatam vi adhibita recuperare.

Hæc violentiæ repulſio etiam poſſeſſorii juris in fundo V. C. conceſſa eſt cum moderamine inculpatæ tutelæ , ut , ſi uti ſuo jure prohibeatur , V.C. iter agere , exercitum traducere , &c. non tantum contra perſonalem reſiſtentiam ſe tueri poſſit , ſed etiam magis contra realia obſtacula , puta , fores , & muros effringendo , ſepes perrumpendo , &c. Cum enim cuicunque liceat jus poſſeſſionis ſuæ defendere , licebit etiam ea agere , quæ ad defenſionem ejus juris neceſſaria ſunt , ſervata debita moderatione . Nam , *cui conceſſum eſt principale , eidem etiam præparatoria ad id permitti debent*.

Aliquando ratione ſcandali non licet arma ſumere (eſſet enim contra Charitatem) contra invaſorem rerum iniquum , cum vel via Judicii , V. C. remedio Interdicti poſſeſſorii , vel alio modo mitiore in poſſeſſionem juris ſui ſe reſtituendum ſperet.

9 Qui alienam poſſeſſionem invadit , eo ipſo in pœnam privatur jure , ſi quid in re habet ,

C A-

CAPUT VIII.

De Exceptione, Præſcriptione, ac Uſucapione.

1 EXceptio eſt exclusio, ſeu potius deliberatio actionis intentatæ. V. C. Si Titius adverſum te actionem inſtituat ad ſolvendum pretium pro vendito tibi equo, fundamentum, & intentio hujus actionis eſt venditio: Tunc vero ex duobus modis contra eum te defendere poteris. 1. Si neges, equum tibi venditum eſſe, per quam defenſionem adverſarii intentio, & fundamentum actionis excluditur, & onus probandi adverſario imponitur. 2. Si fatearis quidem, equum tibi venditum eſſe, ſed opponas, pretium te ſolviſſe: Tunc diceris contra adverſarium excipere, ejuſque exceptionis probatio tibi incumbit. Porro exceptionem a reo convento appoſitam interdum actor contraria exceptione retundit, quæ dici ſolet Replicatio; & hanc iterum reus exceptione impugnat, quæ Duplicatio appellatur, & ſic deinceps Triplicationes, Quadruplicationes &c. dari poſſunt.

2 Duplex eſt Exceptio. 1. Peremptoria, per quam actio perpetuo excluditur. Exemplum ſupra datum eſt. 2. Dilatoria, per quam actio non perpetuo excluditur, ſed ſolum reſpectu certi loci perſonæ; ut ſi reus opponat, Judicem non eſſe competentem, tunc enim actio non omnino excluditur, ſed reſpectu hujus tribunalis, diciturque Exceptio declinatoria fori.

3 Præſcriptio eſt *exceptio peremptoria, ex tempore legibus definito ſubſtantiam capiens.*

Uſucapio eſt *acquiſitio dominii per continuationem temporis, lege definiti.* Unde colligitur, Præſcriptionem eſſe quaſi fructum, vel effectum Uſucapionis. Nam ideo, quod aliquis longa, & pacifica rei poſſeſſione dominium acquiſivit, contra priſtinum dominum, rem eandem repetentem, Exceptionem opponere poteſt.

NB. Beneficium Præſcriptionis ob bonum publicum introductum eſt. 1. *Ne diu, & fere ſemper quarumdam rerum dominia incerta eſſent: Et ne aliquis litium finis eſſet.* 2. Ut hac ratione ſegnities hominum, res, ac jura ſua actione proſequi intermittentium, acuatur.

4 Bonæ fidei poſſeſſor poſt legitimi temporis decurſum plenum rei dominium omni jure acquirit. Ad fundamentum Adriani, qui contrarium ſentit, reſpondetur: Non ob ſolam priſtini domini negligentiam, ſed multo magis ob alias cauſas, ad bonum publicum ſpectantes, beneficium Uſucapionis publicis legibus conſtitutum eſſe. Nemo autem dubitat, quin Principi jus competat de ſubditorum bonis ita decernendi, ſicuti Reipublicæ utilitas exigit. Accedit, quod, cum in Jure mentio fit culpæ, vel negligentiæ priſtini poſſeſſoris, ſermo non ſit de proprie dicto peccato, ſed de culpa civili, quæ ſæpe ſimplex tantum, & involuntaria omiſſio eſt, & nihilominus aliquo modo civiliter puniri poteſt ad aliorum induſtriam excitandam.

5 Ad præſcribendum, ſeu uſucapiendum requiritur imprimis poſſeſſio civilis; ſola autem naturalis non ſufficit. Nam *ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit*. Reg. 3. in 6. Hinc Commodatarius, Colonus, Depoſitarius &c. non poſſunt præſcribere, quamdiu alter civilem poſſeſſionem retinet. Emphyteuta, & Vaſallus poſſunt ſolum præſcribere Uſumfructum.

6 Non plus aliquis Uſucapione acquirere poteſt, quam poſſedit. Ob præſumptionem tamen, ſi Jura poſſeſſori non reſiſtant, ex uno juriſdictionis actu colligi poterit jus totius juriſdictionis. V. C. Exorto dubio de aliqua Parochia, ad cujus Epiſcopi Diœceſin pertinere debeat, adjudicabitur illi, qui in illo loco actum Epiſcopalem exercere ſolitus fuit.

NB. Subditus, qua ſubditus, non poteſt præſcribere adverſus ea, quæ poteſtas gubernativa intrinſece requirit, puta, ut legibus non teneatur, ut a Superiore nunquam judicetur, ut a tributis ordinariis immunis ſit. Poteſt tamen aliquis temporis diuturnitate contra Superiorem præſcribere immunitatem, qua definet eſſe ejus ſubditus. Poteſt etiam ſubditus partem aliquam juriſdictionis, quæ alioquin communi jure Superiori competit, cum bona fide præſcribere, V. C. Capitulum, ut in prima inſtantia ſuos Canonicos, & Officiales judicare poſſit: Sed requiritur ad hoc poſſeſſio temporis immemorialis, vel 40. annorum cum titulo colorato, quandoquidem præſumptio Juris ſuffragatur Principi, Epiſcopo.

7 Incapax poſſidendi eſt etiam incapax præſcribendi. Quamobrem Jura Eccleſiaſtica a laicis nullo etiam immemoriali tempore uſucapi poſſunt; ut ſunt, decimæ Clericales, juriſdictio in perſonas, & bona Clericorum.

P. Layman P. I.

NB. Licet laici incapaces ſint poſſeſſionis ejuſmodi jurium proprio nomine, & authoritate, capaces tamen ſunt titulo privilegii, vel conceſſionis factæ a poteſtatem habente, videlicet Summo Pontifice; quia tales tituli requiruntur ad poſſidendum: Ergo etiam ad præſcribendum. NB. Quod Juriſtæ dicunt, conſuetudinem immemorialem loco tituli eſſe, id verum eſt, ſi quis abſque titulo, ſeu ſpeciali privilegio capax ſit poſſidendi, & præſcribendi; alioquin non. Nam conſuetudo mera, ſeu meri facti poſſeſſio abſque titulo a legibus reprobata inutilis cenſetur.

8 NB. In actibus meræ voluntatis Præſcriptio non procedit. Hinc Juriſconſulti: Quod *per actus liberos non inducitur Præſcriptio*. Id eſt: Dum aliquis libere, & non tanquam ex obligatione aliquid mihi præſtat, non poſſum præſcribere, cum non ſim in poſſeſſione juris erga ipſum, V. C. imponendi ipſi ſervitia, & annuas præſtationes.

NB. Vaſallus, aut ſubditus nunquam præſcribit contra dominum jus ſervitiorum, V. C. angariarum, niſi interpellatus negaverit ea dare, & niſi re ipſa pro immuni, aut exempto ſe gerat, & habeatur. Cum enim in arbitrio Principis ſit, utrum ſervitia exigere velit, nec ne, non ideo præciſe, quia temporis diuturnitate non exiguntur, alter in poſſeſſione immunitatis conſtituitur. Quod ſi, dum ab aliis exactio fit, a quibuſdam non fiat, præſumptio eſſe ſolet pro exemptione.

9 Si colonus tempore longiſſimo canonem (jus emphyteuticum) non ſolvit, exiſtens in poſſeſſione immunitatis abſolute, contra dominum præſcribere poteſt: Poſito, quod creditor, ſeu dominus 30. annis quievit, omne jus annuæ præſtationis per Præſcriptionem extingui poteſt. Certiſſimum etiam eſt, quod jura immunitatis adverſus annuas exactiones præſcribi poſſint, modo adſit poſſeſſio, bona fides, & temporis legitimi decurſus. Nam hoc modo contra jus quartæ decimarum Epiſcopis debitæ 40. annis præſcribi poteſt: item jus immunitatis a decimis ſolvendis univerſim uſucapi poteſt 40. annis.

10 Malæ fidei poſſeſſor (ſciens, rem alienam eſſe, ſeu malæ conſcientiæ) nullo unquam tempore præſcribit. Id vero ordinarie præſumendum eſt, aliquem bona fide poſſediſſe, præſertim ſi poſſidentis titulus aliquis prætendatur; quia non facile præſumi debet peccatum.

Niſi contra jus commune rei poſſeſſionem aliquis acquiſiverit, vel poſſeſſionis ſuæ nuper acquiſitæ rationem nullam afferre poſſit; aut ſi ipſi denuntiatio facta fuerat, rem eſſe alterius, ille autem veritatem inquirere neglexerit.

NB. Poſſeſſionem, & Uſucapionem, bona fide cœptam, dubium ſuperveniens non vitiat, ſeu interrumpit. Ratio: *Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis*. Quamobrem ſtanti tali modo ſpeculativo formari poteſt conſcientia certa, ſeu bona fides, tali caſu rem retineri, imo & abſumi poſſe *(a)*. Hinc, etiamſi primi, poſſeſſionem aliquam contra Jura accipientes, Præſcriptionem inchoare non potuerant, tamen eorum ſucceſſores uſucapere poſſunt, qui hoc ignorant, ideoque bonam fidem habent ob præſumptionem, quam etiam in dubio habere poſſunt, interveniſſe legitimum titulum, vel privilegium. Nam, *qui in alterius locum ſuccedit, juſtam habet ignorantiæ cauſam*. Reg. 42. ff.

„ *(a)* Vera hæc ſunt; attamen ſuperveniente dubio „ tenetur poſſeſſor inquirere, & dum inquirit vel quandiu manet ſpes dominum, ſeu veritatem inveniendi, „ uſucapio quidem non interrumpitur, ſed res abſumi „ non poteſt.

NB. Bona, & mala fides dupliciter accipitur. *Primo*, theologice: Quod eſt bona fide poſſidere rem ſine peccato; quod non ſufficit, ſed ſecundo requiritur bona fides civili conſideratione. Cum enim jus, ſeu commodum uſucapiendi legibus civilibus, approbante etiam Jure Canonico, boni publici cauſa introductum ſit, ideo, *ubi lex Uſucapionem inhibet, bona fides theologica uſucapienti nihil prodeſt*, ait Pomponius: Hoc etiam ſenſu dicitur in l. ſed etſi: *Poſt litis conteſtationem omnes malæ fidei poſſeſſores eſſe*. intellige; civili conſideratione: Propterea quod leges ab eo tempore Uſucapionem procedere vetant.

11 Cum errore facti, ſed non juris, quamvis invincibilis ſit, uſucapi poteſt, juxta l. 31. ff. de Uſucap. *Nunquam in Uſucapionibus Juris error poſſeſſoribus prodeſt*. Et l. 4. ff. pro emptore. *Si a pupillo emero ſine tutoris authoritate, quem puberem eſſe putem, dicimus Uſucapionem ſequi, &c.*

&c. Quod ſi ſcias, pupillum eſſe, putes tamen, pupillis licere res ſuas ſine tutoris authoritate adminiſtrare, non capies uſum; quia Juris error nulli prodeſt.

Simile eſt, ſi emas a Prælato, ratus Capitulum conſenſiſſe, cum non conſenſerit, potes præſcribere: Sin vero arbitratus fuiſti, Capituli conſenſum non requiri, præſcribere non potes. Ad fundamentum contrarium opinantium reſpond. Ad uſucapiendum requiri quidem bonam fidem theologice, id eſt, bonam conſcientiam; ſed eam non ſufficere, ſi adſit mala fides civiliter, id eſt, quæ vitium aliquod ex lege habet, prohibente Præſcriptionem.

Excipiuntur tamen ab hac Sententia, qui inculpatè ignorant jus civile; milites; minores 25. annis; ruſtici non habentes copiam conſultorii. Nam ſi den legum civilium latores Juris ignorantiam in commodis acquirendis prodeſſe nolunt, ut deſidia evitetur, & homines ad legum ſcientiam excitentur: Conſequenter, ſi in quibuſdam perſonis Juris ignorantia toleretur, eaque etiam inculpata theologice ſit, tunc bonam fidem inducere poterit, quæ omni Jure ad uſucapiendum ſufficiat.

NB. Quod ſi ignorantia Juris dubii ſit, ſeu circa quod diverſæ ſint Doctorum probabiles opiniones, talis ignorantia bonæ fidei poſſeſſionem impedire non debet, quominus uſucapere poſſit. NB. Præterea, dum ſcis, te alienam rem poſſidere, ex empto, aliave perſonali actione debitorem eſſe, vel jus V. C. ædificium tollendi, fenestram aperiendi (quæ ſunt obligationes ad agendum, vel non agendum) tibi nullum competere, Præſcriptionem nec inchoare, nec perficere potes, qua mala fide uteris.

12 Obligationes, quæ ſolum ſunt ad patiendum, Præſcriptionis tempore legitimo extinguuntur ſola actoris negligentia, ſeu ceſſatione, etſi reus obligationem ſuam non ignoret. Exempla habes I. In legibus pœnalibus, non obligantibus reum ad ſolvendam pœnam ante Judicis ſententiam, ſeu exactionem; ſicut cernere eſt in pœna commiſſi ob vectigal non ſolutum: Nam fiſcus poſt elapſum ſine litis conteſtatione quinquennium res ſibi amplius vendicare non poteſt. Talis eſt etiam actio injuriarum, aliæque Prætoriæ, quæ anni ſpatio extinguuntur. II. In actionibus, quæ Jure civili inventæ, certoque temporis ſpatio definitæ ſunt. V. C. Adverſus venditorem, rei venditæ vitium etiam ſine dolo reticentem, competit actio *redhibitoria*, vel *quanto minoris*, quarum illa ſemeſtri, hæc anni ſpatio extinguuntur, manente nihilominus naturali obligatione ad damni compenſationem. III. Servitutes ruſticæ extinguuntur per ſolum non uſum tempore legibus definito, etſi is, qui præſcribit, probe ſciat alteri tale jus competere, puta, itineris, vel actus per fundum alienum: Non enim vi talis ſervitutis dominus fundi cogitur admonere alterum, ut jure ſuo utatur, ſed pati tantummodo, ſi utatur. IV. Eodem modo actio hypothecaria, præſertim in generali hypotheca fundata, poſt lapſum temporis legitimi inſtitui amplius non poteſt contra tertium poſſeſſorem, puta, bonæ fidei, & abſque fraude emptorem; etſi tempore currentis Præſcriptionis probe ſciverit, rem oppigneratam eſſe: Cum neque hic teneatur ad aliquid agendum, ſed ſolum ad patiendum, ut a ſe vindicetur, ſi debitor, excuſſis bonis ſuis, ſolvendo idoneus non reperiatur.

Tertia conditio ad uſucapiendum frequenter requiſita eſt titulus rationabiliter præſumptus (nam verus non eſt neceſſarius) puta, quia aliquis rem emit, dono, aut hæreditate accepit, probabiliter arbitrans, dominum eſſe, a quo accepit. Talis enim dicitur poſſidere, & uſucapere pro emptore, pro hærede, pro donato, legato, & omnino pro ſuo. Interdum tamen opus non eſt, titulum poſſeſſionis noſſe, aut oſtendere poſſe; cum nihilominus bona fides conſiſtere, & Uſucapionem temporis diuturnitate perficere queat. Ratio: Quia facile etiam in proprio facto ex temporis longinquitate oblivio contingit, ut dicere aliquis non poſſit, quo titulo res poſſeſſio ad ipſum devoluta ſit. Quare in dubio bonæ fidei, juriſque præſumptio ſtat pro poſſeſſore, dummodo is capax ſit.

13 Res mobiles triennii ſpatio uſucapiuntur cum titulo, & bona fide, etiam contra Eccleſiam Romanam. Excipe res furtivas, ad quarum Uſucapionem requiruntur 30. anni.

NB. Res mobiles ſine titulo uſucapiuntur adverſus quemlibet, etiam Eccleſiam (quia non conſtat de privilegio) ſpatio 30. annorum.

Res immobiles cum titulo uſucapiuntur inter præſentes (id eſt, in eadem Provincia, ſub eodem regimine domicilium habentes) decennio; inter abſentes (id eſt, qui domicilium ſub diverſo regimine habent) ſpatio viginti annorum: Excipe: Si res immobilis a malæ fidei poſſeſſore pacto aliquo ad te translata ſit; tunc enim requiruntur 30. anni.

Loquimur autem hic de bonis privatorum: Nam bona tum immobilia, tum mobilia fiſci, quæ fiſco jam incorporata, & acquiſita ſunt, non præſcribuntur, niſi tempore longiſſimo, puta 30. vel 40. annis. Quod ſi fiſco nondum incorporata, ſed vacantia ſunt, ſi non ſunt denuntiata fiſco, præſcribuntur tempore ordinario; ſi denuntiata, requiritur tempus quadriennii. Si autem ob crimen fiſco commiſſa ſunt, puta, ob vectigal non ſolutum, aut ob crimen læſæ Majeſtatis, aut magiæ, ſi loquimur de fiſco ſæculari, omnis actio ſpatio 5. annorum extinguitur; ſi de Eccleſiaſtico fiſco, tunc requiritur ſpatium 100. annorum.

Secundo. Adverſus Romanam Eccleſiam præſcribitur 100. annorum ſpatio. Tertio. Adverſus inferiorem Eccleſiam, Hoſpitale, Monaſterium 40. annis. Quarto. Adverſus Monaſterium S. Benedicti, & Ordines eorundem privilegio gaudentes 60. annis. Quinto. Bona legata, donata, vendita civitatibus, & quæ ad coronam regni, vel Provinciam ſpectant, 100. annis. Sexto. Alienatio feudi ſine domini conſenſu facta alteri, quamvis bona fide accipienti, præſcriptione non obſtante, revocari poteſt a domino.

14 Res immobiles ſine titulo uſucapiuntur tempore longiſſimo, ſcilicet 30. 40. 60. vel 100. annorum, juxta differentiam eorum, adverſus quos Uſucapio procedit. Excipe: Niſi jus commune reſiſtat poſſeſſori, vel aliunde vehemens ſuſpicio ſit, poſſeſſionem mala fide, vel ex Juris errore acquiſitam eſſe, tunc neceſſe eſt oſtendere vel titulum apparenter juſtum, per quem elidatur præſumptio malæ fidei, vel oſtendere tempus poſſeſſionis immemorialis, id eſt, cujus initii nulla memoria exiſtat. Nam talis immemorialis poſſeſſio inducit præſumptionem tituli, vel accepti privilegii, ſi capacitas ſit in præſcribente; nam *vetuſtas ſemper pro lege habetur*. l. 2. in princip. ff. eod. V. C. Si Epiſcopus alienæ Diœceſis Eccleſiam, vel decimas tempore immemoriali poſſideat. Si Regulares beneficia, tanquam regularia, cum Epiſcopi præjudicio abſque titulo tempore immemoriali teneant: Si laici a ſolvendis decimis pari antiquitate immunes ſint, vel Diœceſani ab ordinaria juriſdictione exempti: Si inferiores Duces tributa imponant, monetas cudant, vectigalia imponant, vel ſimilia faciant, quæ ad merum Imperium ſpectant, & ſupremo Principi, tanquam ſpecialia ejus privilegia, competunt.

15 Præſcriptio immemorialis plura ſpecialia commoda habet. Nam non cenſentur comprehenſa ſtatuto, aut lege, quamvis generalibus verbis prohibente fieri Præſcriptionem, puta, *nulla Præſcriptione obſtante*: Quia hæc Præſcriptio deſiderat ſpecialem derogationem, quæ fieri non ſolet. Præterea Præſcriptio immemorialis nullum definitum annorum tempus requirit, ſed probari debet per teſtes, *quod* (ſenes, qui jam vivunt) *ſemper viderunt, & audierunt ita eſſe, neque unquam contrarium; & quod communis eſt, & fuit ſemper opinio, ac fama de hoc facto, neque extet contrarii, vel initii memoria.*

NB. Quod dixi de rebus immobilibus, intelligi debet de Præſcriptione rerum incorporalium, ſive Jurium, puta, Uſusfructus, annuæ præſtationis, juris patronatus &c. quæ proinde 10. annis inter præſentes, 20. annis inter abſentes cum titulo colorato abſolvitur, abſque titulo 30. annis; modo tamen obſervetur diligenter, quo tendat Præſcriptio, an contra Eccleſiam, aut Principem? Tunc enim 40. annorum, aut poſſeſſio interdum immemorialis requiritur.

16 Triennio poſſidens beneficium Eccleſiaſticum cum bona fide jus in eo acquirit.

NB. Debita omnia adverſus actiones civiles, tam reales, quam perſonales, cum bona fide, ſaltem longiſſimo tempore, puta, 30. annis, præſcribuntur. Excipitur vero actio hypothecaria, quæ 40. annis tollitur, ſi ipſemet debitor, ejuſque hæres poſſeſſor ſit.

Præterea omnis actio, ſeu accuſatio criminis, 20. annorum decurſu a die commiſſi criminis Præſcriptione tollitur (a). Quoad adulterium, & crimen peculatus abſolvitur Præſcriptio ſpatio 5. annorum.

„ (a) Ex jure novo, vi bullæ Benedicti XIV. *ad*
„ *eradicandam*, Confeſſarii qui in Confeſſione ſollicita-
„ runt pœnitentes ad venerea, denunciandi ſunt etiamſi
„ poſt ipſam ſollicitationem longum jam tempus ef-
„ fluxiſſet.

17 Succeſſor in poſſeſſione numerare etiam poteſt tempus anteceſſoris ſui, ſi is bona fide poſſedit; ſecus, ſi mala fide.

NB. Si mutatin accidat in perſonis, contra quas præſcribitur, puta, ſi fiſcus, vel Eccleſia ſuccedat privato in hæreditate bonorum, tunc uſucapienti aliquid ex tali hæreditate bonorum computandum eſt tempus ſecundum proportinnem reſpectivam, ita ut, ſi medietatem uſucapionis compleverat ante mortem perſonæ privatæ, alteram medietatem complere teneatur juxta privilegium ſuccedentis, videlicet, ſi uſucapians inter præſentes 5. annis fundum bona fide poſſederat ante ſucceſſionem Eccleſiæ, poſtea medietate temporis quadragenarii, quo contra Eccleſiam præſcribitur, nempe 20. annis opus habebit ad Uſucapionem complendam.

18 Mala fides anteceſſoris nocet ſucceſſori univerſali, ſive hæredi, quo minus is uſucapere poſſit. Ratio: Quia hæres cum defuncto quaſi una perſona cenſetur. Quod ſi univerſalis poſſeſſor ſit bonæ fidei, etiamſi anteceſſor malæ, poteſt præſcribere tempore longiſſimo, id eſt, annis 30.

19 Uſucapio ſemel cœpta interdum currere deſinit; poſtea iterum proceſſura. Præſcriptio autem dormit tempore belli, & peſtis, ſi jus non dicatur, vel homines alio diffugiant, vel Eccleſia careat Epiſcopo, vel habeat inutilem ad agendum, puta, ſi is, contra quem præſcribitur, agere non poſſit, puta, filius comparatione bonorum adventitiorum, uxor comparatione bonorum dotalium, quorum plenam adminiſtrationem, & quaſi dominium maritus habet.

NB. Uſucapio omnino interrumpitur, ſi poſſeſſio, vel bona fides amittatur, vel poſſeſſori lis moveatur, & continuetur: Si tamen actor litem deſerat, vel in ea ſuccumbat, non cenſebitur interrupta Uſucapio.

20 Si res Minorum temporis diuturnitate uſucaptæ ſint, conceditur illis beneficium reſtitutionis in integrum, continuo quadriennio a die, quo natu majores facti ſunt.

21 Exemplo Minorum, ſimile reſtitutionis beneficium competit Eccleſiis, aliiſque locis piis. Et habet hæc reſtitutio in integrum etiam locum adverſus alteram Eccleſiam.

22 Si quis Reipublicæ cauſa abſens fuit, vel in hoſtium poteſtate conſtitutus erat, vel alio legitimo impedimento detentus, quo minus res, vel jura ſua, dum contra eum Uſucapio currebat, repeteret, Prætoria æquitate in integrum reſtituendus eſt, quadriennio a die ceſſationis impedimenti.

23 Qui rem legitime uſucepit, etſi ob Juris ignorantiam poſtea nihil excipiens reſtituat, repetere tamen poteſt, tanquam omni jure indebitam. Nam Juris ignorantia, etſi non excuſet, cum agitur de acquirendo, excuſat tamen, cum agitur de damno rei acquiſitæ, juxta reg. Papiniani l. 7. ff. de juris, & facti ignorantia. *Juris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus; ſuum vero petentibus non nocet.* Atqui per Uſucapionem dominium rei plene transfertur in uſucapientem, juxta Tholoſanum: *Sicut traditione, ita & Uſucapione rem noſtram facimus.* Quare in l. omnes, C. de præſcript. dicitur: Eum, qui uſucepit, *pleniſſima munitione ſecurum eſſe.* Sequitur ergo hinc, quod, qui rem Uſucapione ſibi plene acquiſitam ob Juris errorem priſtino domino reſtituit, nihil obeſſe ſibi debeat, ſed tanquam ſolutum tam civiliter, quam naturaliter indebitum condicere, ſive repetere jure poſſit.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si Confeſſarius non ignoret quæ dicta ſunt de præſcriptione, in pluribus caſibus conſulere poterit conſcientiæ ſui Pœnitentis. Hæres e. g. adinvenit Patrem acquiſiviſſe pecuniam ex injuſta negociatione, ac proinde pluribus ſcrupulis inquietatur. Obſervet igitur ſi poſſit judicari, Patrem habuiſſe bonam fidem, & titulum putativum, quia v. g. erat vir timoratæ conſcientiæ, & eas pecunias ex aliquo contractu acquiſivit, quamvis poſtea aliqua ratione claudicaſſe cognoſcatur; cum tunc pater illas pecunias ſpatio trium annorum præſcripſerit, non habet hæres onus reſtituendi. Idem dicas, ſi adinveniat in hæreditates res mobiles, quas per triennium bona fide, & cum aliquo titulo poſſederit. Si vero non habebat titulum, ſed ſolam bonam fidem, tunc neceſſe erat poſſediſſe ſpatio triginta annorum. Quod ſi Pater habens bonam fidem non poſſedit triginta annis, ſufficit ſi ipſe hæres tribus annis poſſederit bona fide; nam in ipſo jam adeſt titulus hæreditatis, adeoque reſpectu ipſius ſufficit ad præſcribendum ſpatium trium annorum. Præfata doctrina applicanda eſt ipſi pœnitenti, ſi bona fide fecit negotium alias injuſtum, ex quo pecuniam acquiſivit; vel ſi bona fide, & cum titulo rem mobilem non ſuam poſſedit.

Si vero in hæreditate reperiat rem immobilem, puta aliquem fundum, qui alterius Domini erat, tunc Confeſſarius ad conſulendum conſcientiæ Pœnitentis, ſequentia obſervet. Si Teſtator erat in mala fide, hæres non poteſt illam rem ut ſuam retinare, niſi forte hæres continuaverit bona fide poſſeſſionem per tempus extraordinarium, nempe triginta annorum, vel quadraginta, ſi præfatæ res ſint Eccleſiæ. Si vero Teſtator erat in bona fide, & titulum habebat poſſidendi, ſufficit ſi poſſederit decem annis inter præſentes, & viginti inter abſentes, quadraginta vero ſi bona immobilia erant Eccleſiæ. Ubi advertendum, ſufficere ſi tale tempus fuerit expletum per poſſeſſionem, quam bona fide habuit Teſtator, & eam, quæ continuavit bona fide in hærede, nam tunc poſſeſſio Teſtatoris prodeſt etiam hæredi. Obſervandum etiam præfatam doctrinam valere, ſi ſermo ſit de rebus, quæ præſcriptioni ſubjaceant, quales non ſunt fideicommiſſa, & fundi dotales.

Applicet Confeſſarius eamdem doctrinam Pœnitenti, quem adinveniat aliquam rem alienam immobilem poſſidere. Poſſedit e. g. aliquis rem fructiferam immobilem cum titulo, & bona fide novem annis, hic tenetur reſtituere eamdem rem immobilem; non vero fructus, quos per ſex annos percepit, nam illos præſcripſit. Si vero non habebat titulum, nec ipſos fructus poteſt retinere, nam tunc non præſcribuntur niſi ſpatio triginta annorum.

CAPUT IX.

De Servitutibus, earumque Præſcriptione.

1 TRiplex eſt Servitus. 1. Perſonalis, quæ a perſona perſonæ debetur, videlicet jus, quod dominus habet in ſervo, ſeu mancipio. Cujuſmodi Jus Servitutis nunquam præſcribitur: Quia æquitas non patitur, ut aliquis propter errorem temporis diuturnitate ex libero ſervus efficiatur. Econtra libertas 20. annorum ſpatio bona fide præſcribitur. 2. Eſt Servitus mixta, quæ a re perſonæ debetur, videlicet Uſusfructus, Habitatio, & Uſus, cum hæc a ſubſtantia rei, ſive proprietate ſeparata legis, aut hominis diſpoſitionis alicui conſtituuntur. Et talis Servitus præſcriptione comparatur cum bona fide, ſeu titulo 10. annis inter præſentes, 20. inter abſentes, ſine titulo tempore longiſſimo 30. annorum.

2 3. Servitus realis (quæ a re rei debetur) eſt duplex, urbana, & ruſtica. Urbanæ dicuntur, quæ urbanis prædiis, id eſt, ædificiis, habitandi gratia conſtructis, annexis hortis &c. inhærent. Subdividuntur in affirmativas, V. C. ut ædium mearum ſtillicidium in aream tuam recipiatur, vel ex domo mea in domum tuam tranſitus pateat: Et negativas, V. C. ne altius ædes tuas tollendo proſpectum ædibus meis adimas; item, ut feneſtram tuam in muro tuo tibi aperire non liceat. Alias ſecluſa tali Servitute cuique id liberum eſt, niſi certus modus ſtatutus ſit, ne ædes altius ædificentur; vel niſi quis feneſtram in muro ſuo aperire velit ſolum ad deſpectum vicini; quod non præſumendum in dubio.

Ruſticæ Servitutes dicuntur, quæ ruſticis prædiis inhærent; ut agri, prata, pecorum ſtabula a domibus ſejuncta. Talis Servitus eſt, quod per agrum tuum tranſire, jumenta, vel currus agere liceat, quæ dici ſolent, iter, actus, via.

3 Servitus urbana, & ruſtica vel continua eſt, continuum actum habens; ut ſervitus aquæductus, ſtillicidii admittendi: Vel diſcontinua eſt, cujus uſus per intervalla eſt, quia ab hominum actione pendet, V. C. iter, actus, aquæ hauſtus.

4 Servitus realis, ſi continua, vel quaſi continua ſit, præſcribitur cum bona fide 10. annis inter præſentes, 20. inter abſentes, etſi titulus non interveniat.

NB. Quod ex gratia tibi conceditur, id non poteſt a te præſcribi, V. C. ſi quis patiatur ex gratia agrum ſuum a te tranſiri, aut te ſingulis annis invitet ad prandium.

In dubio tamen ex diuturna V. C. quotannis recurrente præſtatione alicujus rei potius præſumitur obligatio, ſeu debitum.

5 Servitus affirmativa, ſi diſcontinua ſit, cum titulo præſcribitur tempore ordinario, ſine titulo tempore immemoriali.

NB. L. hoc jure, ſ. aquæductus, ff. de aqua quotidiana: *Ductus aquæ, cujus origo memoriam exceſſerit, jure conſtituti loco habetur.*

6 Ad Uſucapionem Servitutis negativæ requiritur, ut dominum in re ſua aliquid agere volentem bona fide repellam; ex eo tempore comparo ſervitutis poſſeſſionem, quæ ſi tempore ordinario cum titulo, immemoriali vero ſine titulo continuetur, Uſucapio perficitur. Veluti ſi Titius domum ſuam altius tollere velit, aut feneſtram in pariete aperire, & ego illi prohibeam, ratus prohibendi mihi jus competere, illeque acquieſcat, comparo tunc poſſeſſionem Servitutis urbanæ in domo Titii. Eadem ratio eſt de aliis juribus, quorum poſſeſſio negatione conſiſtit. V. C. Ut Capitulum Canonicum aliquem jure ſuffragii per viam Præſcriptionis privet; neceſſe eſt, ut eum ab actu electionis bona fide removeat, illeque acquieſcat.

NB. Lex Mynſingeri: Per unum actum præſtiti ſeu vitii cum bona fide, & 30. annorum decurſu fundum liberum uſucapi poteſt, ut feudalis fiat.

Corollarium; Si tu ſciente Titio; ac patiente ad Eccleſiaſticum beneficium Clericum præſentaſti, tanquam tibi jus præſentandi debeatur, in eaque perſuaſione 30. annis cum bona fide perſtitiſti, abſolvis Præſcriptionem contra Titium: Si vero Titio neſciente, & abſente præſentaſti, requiritur tempus immemoriale. Exinde enim acquiris titulum, ac Juris præſcriptionem: Nam neſciens Titius adhuc civiliter poſſidere cenſebatur.

7 Uſusfructus, & Servitutes ruſticæ per ſolum non uſum tolluntur decennio inter præſentes, inter abſentes 20. annis; Non item Servitutes urbanæ, ſed neceſſe eſt, contrarium Servituti actum bona fide exerceri. Veluti, ſi ædes tuæ ædibus meis ſerviant, ne altius tollantur, etſi ego feneſtras meas obſtruxero, non incipis præſcribere adverſus me libertatem, niſi & tu aliquid novi feceris, videlicet ædes tuas altius ſuſtuleris. Ratio: Quia, niſi aliquid contrarium alterius juri fiat, non naſcitur poſſeſſio libertatis; ſine poſſeſſione autem non procedit Præſcriptio.

NB. Si Jus Servitutis tibi conſtitutum non habeat uſum quotidianum, ſed aquam V. C. ex alieno fundo ducere poſſis æſtate tantum, requiritur tempus duplicatum, videlicet 20. anni inter præſentes, ut tali jure per non uſum ejus via Præſcriptionis ſpolieris.

TRACTATUS II.

De Reſtitutione.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Reſtitutio?

1 RESTITUTIO eſt *damni injuſte dati ſecundum arithmeticam æqualitatem reſtauratio*. NB. Injuria alia eſt materialis; cum rem alienam poſſides bona fide, putans eſſe tuam. Formalis alia; ſi rem accipis, cum ſcias, vel ſcire poſſis, ac debeas, id agendi jus tibi non competere.

2 Duæ reſtituendi ſunt radices. Una ex parte rei acceptæ, & poſſeſſæ: Altera ex parte injuſtæ acceptionis, ſeu læſionis, ob quam res ablata domino reſtitui debet, etſi, qui injuſte læſit, nihil ex ea poſſideat.

NB. 1. Menſura reſtitutionis faciendæ ob injuriam ſolum materialem, ratione rei acceptæ, poſſeſſæ, debet eſſe quantitas poſſeſſionis, id eſt, ut tantum reſtituas, quantum ex re aliena poſſides, vel inde locupletior factus es. Menſura autem reſtitutionis faciendæ ob injuriam formalem, ratione injuſtæ damnificationis, debet eſſe quantitas alieni damni, ut nimirum, quatenus alter læſus eſt, reſtitutio fiat, nihil attendendo, utrum is, qui læſit, V. C. ædes incendit, aliquid inde habeat, nec ne.

NB. 2. Hæ duæ radices interdum concurrunt in fure, apud quem ſi res furtiva melior, ſive auctior facta eſt, debet eam ita auctam domino ſuo reſtituere, deductis tamen in foro conſcientiæ expenſis, quas fur utiliter fecit. Si autem res furtiva in manu furis deterior facta fuit, quam ſi in domini poteſtate manſiſſet, tunc cogitur domino reſtitutionem damni præſtare ratione injuſtæ læſionis. Interdum hæ duæ reſtituendi radices ſeparantur V. C. in rem alienam bona fide poſſidente; is enim ſolum ex primo reſtituendi capite obligatur: Item, in rei alienæ deſtructore, qui, ſi nihil inde poſſideat, ſolum ex ſecundo reſtituendi capite obligatus eſt.

3 NB. 3. Pro ſola injuria, ſi nullum damnum pretio æſtimabile datum ſit, reſtitutio facienda non eſt ante Judicis ſententiam. Exemplum habes in adulterio, quamvis notorio, ſi exinde nullum aliud damnum proveniat marito adulteræ, nulla ei reſtitutio facienda eſt in foro conſcientiæ. Ratio concluſionis eſt: Quia reſtitutio eſt actus juſtitiæ commutativæ; ſola autem injuria, quatenus pro ea ſatisfieri debet, non eſt objectum juſtitiæ commutativæ, ſed vindicativæ, quod ad Magiſtratum ſpectat.

4 Reſtitutio ſolius juſtitiæ commutativæ actus eſt; reſtitutio facienda militibus a Duce, qui inæqualiter dividit ſpolia, tranſit in actum commutativæ juſtitiæ, adeo, ut reſtituere teneatur ſecundum arithmeticam æqualitatem.

NB. Res ablatæ, ſi extent, reſtitui debent ſecundum numerum, vel, ut Juriſtæ loquuntur, *in ſpecie*, vel ſecundum idem genus, ac qualitatem; ut pecuniæ pro pecunia: Vel ſi ſit res uſu non abſumptibilis, ut ædes, æquivalens boni viri arbitrio reddi debet.

CAPUT II.

Utrum reſtituere ablata ſit neceſſarium ad ſalutem?

1 RESTITUERE injuſte ablata eſt neceſſarium ad ſalutem, neceſſitate præcepti. Patet Rom. 13. *Reddite omnibus debita*. Ratio: Quia rem alienam detinere, deſtruere, continet iniquitatem, & injuſtitiam, quæ alio modo tolli non poteſt, niſi per reſtitutionem: Ergo.

2 Licet præceptum reſtituendi ſecundum formam ſit affirmativum, tamen includit negativum, & ita ſemper, & ſtatim obligat (dum creditor rationabiliter invitus eſt) ſicut omnia negativa præcepta, V. C. reſtituere, & non detinere.

3 Unicum eſt peccatum injuſtitiæ retentionis, & non reſtitutionis: Quia opponitur unico præcepto injuſte non retinendi, & conſequenter reſtituendi.

Regula in praxi obſervanda.

I. Eo quod præceptum obligans ad reſtitutionem ſit negativum, advertere debet prudens Confeſſarius non ſatis eſſe diſpoſitum pro abſolutione Pœnitentem, qui habet animum reſtituendi, niſi ſimul habeat animum reſtituendi ſtatim ac dabitur opportunitas, dum poſſit; ita enim expoſcunt præcepta negativa, quæ obligant ſemper, & pro ſemper.

II. Cum ille, qui tenetur ex officio ad alterius damnum præcavendum, debeat ſcire, quæ ad tale officium pertinent, ad quod non tenetur qui ex officio non obligatur, ideo obſervandum, Theologos, Confeſſarios, *Parochos*, Juriſconſultos &c. dantes ex ignorantia craſſa pravum conſilium, ex quo ſequatur alterius damnum, teneri ad reſtitutionem; etenim cum ex vi proprii officii teneantur ad talem ignorantiam expellendam, jam ſi pravo conſilio ſunt cauſa alterius damni, clarum eſt provenire ex ipſorum injuſta actione graviter culpabili, & per conſequens teneri ad reſtitutionem.

III. Cum diximus ſecundum majorem, vel minorem obligationem culpam, quæ in aliquo levis eſt, in alio poſſe eſſe gravem, & obligare ad reſtitutionem, ideo Confeſſarius in penſanda negligentia, ex qua damnum ſequutum eſt, debet præcipue attendere, an quis teneretur ex ſtipendio ad tale damnum removendum; nam tunc, cum conſurgat major obligatio, omiſſio majoris diligentiæ poteſt gravis judicari. Demus v. g. Medicum aliquem curare non ex ſtipendio, ſed ex pura charitate, ſi non ſit ita frequens, & diligens in inviſendo infirmo, non ita facile graviter peccabit, dummodo notabiliter non deficiat. At *bene* omiſſio illius diligentiæ, quæ in præfato caſu reputaretur *levis*, gravis poſſet judicari, ſi ex ſtipendio medeatur ægroto; nam tunc tenetur & diligentius, & frequentius inviſere infirmum. Idem dicas de Juriſconſulto, de Cuſtode rerum alterius &c.

CAPUT III.

De Poſſeſſore bonæ fidei, quatenus reſtituere teneatur?

1 BONÆ fidei poſſeſſor, ſi intelligat, rem alienam eſſe, non plus reſtituere debet, quam poſſidet, niſi legitime præſcripſerit. Quod ſi conſumpſerit res, nihil tenetur reſtituere, niſi in quantum locupletior inde factus eſt. Ratio: Cum bonæ fidei poſſeſſor nullam injuriam intulerit, non obligatur ex capite injuſtæ acceptionis, ſed ſolum ex capite rei acceptæ, & poſſeſſæ: Quare plus reſtituere non cogitur, quam poſſidet. V. C. Si veſtem holoſericam 20. aureis valentem, & a fure tibi donatam bona fide accepiſti, & attriviſti, poſtea vero dominus comparet; imprimis ipſi reſtituere debes veſtem attritam, quæ forte non amplius, quam 10. aureis valet. Deinde compenſare debes attritionem veſtis, non omnimode, ſed quatenus ditior factus es: V. C. Si eo anno 6. aureos te veſtiendo inſumpſiſſes, niſi veſtem holoſericam dono accepiſſes, 6. tantum, non 10. aureos reſtituere cogeris. Quod ſi veſtis illa non donata tibi ſit, ſed empta, nihil præter veſtem attritam reſtituere debes: Quia nihil ditior factus es, ſive patrimonium tuum auctum non fuit. Item, ſi ad cœnam furtivam invitatus fuiſti, ad nihil teneris, niſi quantum domi de tuo erogaſſes, niſi de cœna furtiva participaſſes.

Item, milites ex mandato Superioris in cauſa dubia, vel bello materialiter injuſto bona fide pugnantes, intellecta poſtea injuſtitia belli, non tenentur reſarcire rapinas, niſi in quantum locupletiores facti ſunt, non attendendo, quod fornicationibus &c. male conſumpſerint; quia nihil contra juſtitiam peccarunt, cum ignorarent, res alienas eſſe.

2 Fructus alii ſunt rei; alii induſtriæ, ut lucrum, quod negotiando acquiritur, vino, pecunia, &c.

Fructus rei alii ſunt pure naturales, quos natura producit; ut fœtus animalium, herbæ, &c. Alii ſunt mixti, ad quorum productionem æque hominis induſtria, quam natura operatur; V. C. ſegetes, caſeus, vinum, oleum,

olcum; lana: Huc referuntur pretia domorum, jumentorum &c. locatorum; qui fructus civiles dicuntur, eo quod non proprie fructus ſint, ſed ad ſimilitudinem fructuum Jure civili conſtituti, juxta l. prædiorum, ff. de uſuris: *Prædiorum urbanorum penſiones pro fructibus accipiuntur*.

3 NB. Fructus *Mixti* dicuntur tales a Juriſtis; *Naturales* autem a Theologis. Item fructus alii ſunt recipiendi, pendentes; alii percepti a ſolo ſeparati.

Fructus, vel potius lucra, quæ meræ induſtriæ ſunt, ad bonæ fidei, imo etiam malæ fidei poſſeſſorem omni Jure ſpectant. Nam ſicuti fructus rei rem ſequitur, ejuſque dominium; ita lucrum, veluti fructus induſtriæ, ad eum pertinet, qui adhibuit eam.

Coroll. 1. Si quis alieno Inſtrumento opus elaboravit, ad artificem, non ad inſtrumenti dominum arte factum pertinet: Inſtrumentum tamen, & uſus valorem domino rei reſtituere debet. Ex pecunia ſurtiva, negotiationi expoſita, lucrum proveniens ad furem pertinet.

4 Fructus percipiendi, V. C. fœtus in utero, ſegetes ſolo adhærentes, una cum re domino ejus cedunt: quia cenſentur pars rei frugiferæ.

5 Fructus rei non ſolum naturales, ſed etiam mixti, ex re aliena percepti, ſi extantes ſunt, domino reſtitui debent, deductis expenſis, & æſtimatione laboris. Ratio: Quia *locupletari aliquis non debet cum alterius jactura*. Reg. 48. in 6. Et l. nam hoc. ff. de condict. indebiti: *Naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*. Locupletior autem fieret bonæ fidei poſſeſſor, ſi præter expenſas ſuas aliquid ex fructibus rei alienæ perciperet.

NB. Fructus induſtriales in foro externo civili, ſi ſeparati ſunt, ſeu percepti, bonæ fidei poſſeſſori acquiruntur; tunc, ſi extantes ſint, a domino repeti non poſſunt, Inſtituta actione reali vindicationis, ſed potius condictione ſine cauſa, vel Judicis implorato auxilio, & officio ob æquitatem. Fructus autem mere naturales, V. C. poma, ſeparati, bonæ fidei poſſeſſori non acquiruntur. Quod dicitur l. 48. ff. de acquir. rer. dom. Quod etiam naturales ſint bonæ fidei poſſeſſoris, id verum eſt, eo quod bonæ fidei poſſeſſor loco domini habeatur interim, dum illi lis non movetur, adeo ut, ſi fructus etiam naturales alienaverit, ad nihil teneatur, niſi forte inde locupletior factus ſit.

6 Pretium locationis ex re aliena ad ejus dominum ſpectat, licet dominus rem, ſi penes ſe habuiſſet, nunquam locaturus fuiſſet: Hoc enim eſt per accidens. Exemplum habes in ædibus alicui elocatis, & torque aureo alieno, qui non numeratur inter res uſu abſumptibiles, ſed ejus uſus a dominio ſeparari, alteri concedi, & per ſe in æſtimationem venire poteſt: Quare pretium elocati torquis non eſt meræ induſtriæ, ſed ipſius rei fructus; quippe cum propter ejus uſum pendatur, conſequenter ad rei dominum ſpectat.

7 Si bonæ fidei poſſeſſor fructus rei abſumpſit, reſtituere debet, quatenus locupletior ex iis factus eſt: Quia, ut ſupra l. 14. ff. de condict. indebiti, *hoc naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*.

8 Bonæ fidei poſſeſſor fructus perceptos ex fundo alieno breviore tempore, id eſt, 3. annis, uſucapere poteſt, quam ipſum fundum; quippe quia tempus longum ad eum uſucapiendum requiritur.

Regula in praxi obſervanda.

Eo quod Poſſeſſor bonæ fidei ad reſtitutionem non teneatur, niſi factus ſit ditior ex re aliena, aliqua dabo exempla, ex quibus poterit Confeſſarius quotcumque caſus reſolvere. Si e. g. aliquis eo quod ex cibo furato comederit, pepercit ſuæ cœnæ, non debet reſtituere quanti valebat ille cibus, ſi multum ſtabat, ſed quantum ex propriis non conſumpſit parcendo ſuæ cœnæ. Si pepercisti ſuæ veſti, eo quod conſumpſeris bona fide alienam, non debes reſtituere pretium iſtius, ſi multum ſtabat, ſed quantum non expendiſti, eo quod non conſumpſeris propriam. Quod ſi in primo caſu ſi non comediſſet de cibo alieno, neque de proprio comediſſet, ac pariter in ſecundo caſu ſi veſtem alienam non conſumpſiſſet, neque conſumpſiſſet propriam, nihil tenetur reſtituere, quia in nullo factus eſſet ditior.

Obſervet etiam Confeſſarius in dubio, an aliquis factus fuerit locupletior ex re aliena, nullam dari obligationem reſtitutioni, quia cum ſemper melior ſit conditio poſſidentis, talis obligatio eſt clare probanda in utroque foro. Obſervet quoque, quod ſtatim ac Poſſeſſor bonæ fidei cognoſcit rem alienam eſſe, data opportunitate, debet eam ſtatim reſtituere, & ſi ſit in mora culpabili reſtitutionis, obſervandæ ſunt circa eum regulæ poſſeſſoris malæ fidei.

CAPUT IV.

De Poſſeſſore malæ fidei, quatenus reſtituere teneatur?

1 Malæ fidei poſſeſſor eſt, qui injuſte poſſidet; ſciens, vel per craſſam ignorantiam ſcire intermittens, jus ſibi non competere. Quo non comprehenduntur ii, qui improprie malæ fidei poſſeſſores dicuntur, poſt cauſam in judicium deductam, & litis conteſtationem, juxta l. ſed etſi, ubi Juriſconſultus ait: *Quoniam poſt litis conteſtationem omnes incipiunt malæ fidei poſſeſſores eſſe*. Verum hi, cum cauſam dubiam actori ſtatim cedere obligati non ſint, ſi antea bona fide in poſſeſſione fuerunt, non tenentur, ſi cauſa cadant, niſi de fructibus poſt litis conteſtationem perceptis, vel quos negligentia ſua percipere intermiſerunt: Fructus vero perceptos ante litis conteſtationem reſtituere debent, quatenus extant.

2 Si res apud malæ fidei poſſeſſorem caſu fortuito periit, alioquin etiam peritura apud dominum, nihil reſtituere debet in conſcientiæ foro; non ratione acceptæ rei, cum nihil ex ea poſſideat; neque ratione injuſtæ damnificationis, cum cauſa damni non extiterit, quando ſine ulla culpa, V. C. hoſtium incurſione, civitatis deflagratione periit, nihilominus peritura. Quod ſi vero iniquus poſſeſſor eam dolo abſumpſit, vel per craſſam, ſeu mortalem negligentiam perdidit, tunc tenetur æſtimationem ejus domino præſtare, nihil obſtante, quod, ſi ei a fure ablata non fuiſſet, tamen periiſſet: Quia in hoc caſu fur (iniquus poſſeſſor) eſt cauſa interitus, ac proinde reſtituendi obligationem contrahit ratione injuſtæ læſionis.

NB. Si publice ſciatur, rem periculo incendii, hoſtium direptioni ſubjectam eſſe, æſtimatio rei tunc plurimum imminuitur, ut proinde fur, ſi tali rerum ſtatu rem abſumat, minorem reſtitutionem facere debeat; quinimo fieri poteſt, ut ad nihilum abſumptor teneatur, ſi videlicet res nullo modo ab interitu liberari poſſe videatur; quia tali caſu merito dominus privatus non eſt. Sin vero eripi poſſit, tunc revera domino valet, ideo ad reſtitutionem tenetur. V. C. Miles abſtulit veſtem 15. florenorum, tranſiens per Provinciam non hoſtilem caſu, ea ratione ductus, quod ſi ipſe non auferat, alii ſine dubio auferent. Si abſtulit animo reſtituendi per occaſionem domino, nihil peccavit, imo negotium domini utiliter geſſit: Si autem abſtulit ſine animo reſtituendi, peccavit, quia invito domino rem alienam abſtulit; potuit tamen peccaſſe venialiter, eo quod, licet veſtis alias tempore pacis valaret 15. florenis, tamen imminente hoſte vix 10. pretii: quia tempore belli, & dum hoſtis in propinquo eſt, res multum decreſcere ſolent. Quod attinet ad reſtitutionem, ſi accepit animo reſtituendi domino, adeoque bona fide, ac poſtea domino reſtituere non poſſit, neque pauperibus debet (a).

„ (a) Id tamen ego nequaquam admitterem etiam in caſu hic expreſſo: nam ſemper habet rem, „ quam ſcit eſſe alienam, res autem alienæ ſi non „ poſſint reſtitui domino, ex veriori ſententia debent „ dari pauperibus. Quamquam fateor Laymani opinionem non eſſe fundamento deſtitutam; nititur enim „ præſumptæ voluntati domini.

NB. Fur mercatori in navi frumentum furans, & ſtatim abſumens, ſi poſtero autem die navis ſubmergatur cum omnibus mercibus, tenetur ad reſtitutionem; quia ſemel contracta obligatio reſtituendi mercatori frumentum, injuſte ipſi abſumptum, ſubſequente fortuito eventu non extinguitur.

NB. Fur per craſſam negligentiam ſervandi amittens poculum aureum furatum tenetur ad reſtitutionem, nihil obſtante, quod poculum periiſſet, etſi domino non fuiſſet ablatum. Ratio: Quia aliquis rem alienam furando ex juſtitia obligationem involuntariam ratione delicti ſui contrahit, non minus, quam Depoſitarius, V. C. voluntariam ex contractu: Ergo ſicuti Depoſitarius non tantum dolum, ſed etiam culpam theologicam, præſertim latam, ſive mortalem, præſtare debet, ita & fur.

3 Inventor rei alienæ, ſi neſciens, ad quem pertineat, eam per craſſam negligentiam amittat, non obligatur ad reſtitutionem. Ratio: Quia nemo cenſetur cauſa damni ideo, quod, cum facile illud impedire poſſet, neglexit, niſi ex juſtitia obligatus ſit: Aſt inventor hoc caſu non eſt obligatus ex juſtitia ad rem cuſtodiendam; quia obligatio vel eſt voluntaria ex pacto,

vel voluntaris ex delicto : Iſte autem nec cum domino rei pactus eſt , nec contra eum deliquit : Ergo . (a) Excipe : Niſi dominus rem per aliam perſonam recepturus fuiſſet , & ego præveniam , teneor ad reſtitutionem ; nam alioquin damnum injuſtum domino inferretur , quippe qui merito incitus eſt , ut res , niſi ſub tali obligatione , auferatur .

„ (a) Ego tamen dicerem in eo caſu inventorem „ teneri eam rem cuſtodire eo modo , quo tenetur „ rem in depoſito acceptam ; ita enim poſcere vide„ tur charitas Chriſtiana , & tacitus hominum con„ ſenſus ; ergo ſicuti in eo caſu depoſitum tenero„ tur reſtituere , ita & rem ita inventam , & non „ cuſtoditam .

4 Malæ fidei poſſeſſor tenetur reſtituere omnia melioramenta rei intrinſeca (quæ V. C. ſiunt ſtercoratione , plantatione) deductis tamen expenſis tam neceſſariis , quam utilibus . Ratio prioris Concluſionis eſt : Quia augmentum , ſeu melioratio rei intrinſeca domino ejus cedit ; conſequenter etiam fructus ex re , ejuſque intrinſecis meliorationibus percepti eidem reſtituendi ſunt : Abſumptorum vero fructuum æſtimationem tenetur reſtituere , quia intulit damnum injuſtum .

NB. Neque refert , tametſi dominus , ſi in ſua poteſtate rem ſervaſſet , non tantos fructus inde percepiſſet : Nam id ejus fortunæ cedere debet , quod res ejus plus in manu furis fructificarit , quam ſi ipſemet eam poſſediſſet .

Idem locum habet in creditore , qui fructus omnes ex fundo ſibi oppignorato perceptos , deductis expenſis , & æſtimatione laboris , reſtituere cogitur , nihil obſtante , quod dominus eum non tanto ſtudio coluiſſet . Ratio poſterioris partis Aſſertionis eſt : Quia fructus non intelliguntur , niſi deductis impendiis . l. fructus , ff. ſoluto matrim. *Nullus caſus intervenire poteſt , qui hoc genus deductionis* (impendiorum ex fructibus) *impediat* . Id habet locum in foro conſcientiæ .

NB. Melioramenta extrinſecus adjuncta a malæ fidei poſſeſſore , V. C. feneſtræ , januæ , lapides pretioſi , & ſine incommodo domini ſeparabilia , retineri poſſunt .

5 Si res intrinſece aucta , ſive melior effecta apud malæ fidei poſſeſſorem poſtea decrevit (V. C. ſi fur equum furatum deteriorem reddiderit) reſtituere tenetur ſecundum valorem ſtatus optimi : Quia augmentum intrinſecum ad dominum rei ſpectat , eique ſtatim una cum re ipſa reſtituendum eſt . Quare , ſi a fure abſumatur , aut deterior reddatur , injuſtum damnum infert , quod ei compenſare debet . *Semper enim fur moram facere videtur* , ait Ulpianus . Quod ſi vero etiam apud dominum res ſimilis deterior facta eſſet , etſi ab iniquo poſſeſſore in ſtatu optimo reſtituta fuiſſet , tunc ſatisfacit fur reſtituendo rem in ſtatu deteriore , ad quem , ſine culpa tamen ſua , pervenit . Ratio : Quia hoc caſu fur per moram reſtituendi nullum re ipſa domino damnum intulit (b) .

„ (*b*) Si tamen fur abſumpſit , quando res erat „ in ſtatu meliori , ſtatim ſe conſtituit debitorem de „ valore illius , in reddendis autem debitis non eſt „ attendendum damnum creditoris ; & ideo cenſeo in „ ſequenti caſu de ſiligine .

6 NB. Si res in manu furis extrinſeca æſtimatione aucta , V. C. modium ſiliginis , & tunc carius vendita eſt , ſatisfacit domino , ſi res ſimilis ipſi reſtituatur , vel pretium ejus ſecundum taxationem temporis , in quo reſtitutio fit . Ratio : Quia ille valor extrinſecus non cenſentur fructus , ſeu augmentum rei , ſed potius induſtriæ ; ideo non rei domino , ſed poſſeſſori etiam malæ fidei cedit .

7 Semper tamen lucrum omne ceſſans , & damnum emergens domino iniquus poſſeſſor reſtituere cogitur . Exemplum lucri ceſſantis eſt , ſi dominus V. C. frumentum non ſervaſſet , donec decreſceret , ſed majore pretio vendidiſſet , totum hoc ei reſarciri debet ; Exemplum damni emergentis eſt , ſi propterea , quod equus , V. C. aut frumentum ablatum , vel debito tempore reſtitutum non fuit , ipſemet dominus coactus eſt frumentum , aut equum majori pretio emere .

NB. L. fructus , ff. eod. *Fructus non modo percepti , ſed qui honeſte percipi potuerunt , æſtimandi ſunt* . Ratio : Quia in caſu injuſtæ damnificationis dominum indemnem omnino ſervare oportet .

Regulæ in praxi obſervandæ .

I. Confeſſarius dum vult obligare injuſtum poſſeſſorem ad reſtitutionem pretii alicujus rei , quam Dominus ſervare volebat uſque ad tempus , quo melior futura erat , obſervet non eſſe obligandum ad totum pretium , quo tunc ſtetiſſet , ſed ſolum ad pretium , quod correſpondet ſpei , ſi illa res erat ſubjecta alicui periculo , ita ut poſſet interire , antequam ad tale tempus perveniret . Fur e. g. vendidit vitulum Sempronii , qui volebat illum ſervare uſque dum major factus eſſet , non tenetur fur reddere in tali caſu totum pretium , quo ſtetiſſet talis vitulus factus bos , nam poterat mori , antequam perveniſſet ad illum ſtatum , vel alterius poterat parum incrementi acquirere &c. In rebus igitur , quæ vel poſſent perire , vel quæ fortaſſe parum meliores evadere poſſunt , ſi diſtrahantur a fure in ſtatu deteriori , & erant aliunde a Domino ſervandæ uſque ad Statum meliorem , arbitrio boni viri æſtimandum eſt , quantum valere poſſet ſpes lucri a Domino ſperata , & juxta eam obligandus eſt fur ad reſtitutionem , ita ut quo major eſt ſpes lucri , eo ad majorem reſtitutionem eſt obligandus . Quod ſi Dominus non erat ſervaturus uſque dum ad meliorem Statum perveniſſet , & fur ſervavit , & eo tempore vendidit , debet ex opinione , quam puto veriſſimam , totum pretium Domino dare , quia pretium eſt fructus rei , deductis tamen neceſſariis expenſis pro ea re factis , & valore laboris .

II. Dum Confeſſarius audit Pœnitentem aliquem damnificaſſe in re , ex qua Dominus fructus ſperabat , vel majus pretium percepturum , eum ſtatim obliget ad reſtituendum valorem rei , ſimulque ſpem fructuum percipiendorum . Abſtulit e. g. Pœnitens parvum vitulum , quem Dominus volebat vendere poſt aliquos annos factum grandiorem , ſatisfacit fur huic conſcientiæ , ſi ſtatim reſtituat Domino pecuniam , quæ ſufficiat ad emendum alium ſimilem vitulum ; nam emptione illius poteſt ſibi Dominus compenſare totum , quod paſſus eſt , damnum . Quod ſi novus vitulus emptus moriatur , vel parum incrementi acquiret , tunc non plene ſatisfieret dando pecuniam pro emendo alium vitulum loco furati , nam iſte fortaſſe non obiiſſet , vel majus acquiſiviſſet incrementum . Datur ergo obligatio aliquid aliud reſtituendi arbitrio viri prudentis . Quæ dicta ſunt applicanda ſunt furanti gallinam , quæ valde erat ovipara , incidenti arbuſculum , ex qua poſt aliquod tempus fructus ſperabantur . Quod ſi detur caſus , ut reſtituendo Domino valorem rei ablatæ , non poſſit ſtatim ſubſtituere aliam ſimilem rem , ex qua lucrum , ſeu fructus Dominus ſperabat , tunc Confeſſarius non ſolum debet obligare ad reſtituendum valorem rei , ſed etiam valorem ſpei lucrandi , ſeu percipiendi fructus .

III. Multoties anceps eſt Confeſſarius in determinando quid reſtituere debeat fur , ſi res furata crevit & decrevit in pretio , & neſcitur , an Dominus vendidiſſet tempore incrementi , vel decrementi ; ſi etenim poſſet Confeſſarius ſcire quo tempore erat a Domino vendenda , facile eſſet determinare pretium reſtituendum , attentis tamen , quæ dixi in fine ſecundæ regulæ . In caſu igitur , quo ignoretur , an Dominus venditurus eſſet rem tempore pretii majoris , vel pretii minimi , Confeſſarius obliget ad reſtituendum pretium , quod eſt medium inter majus , & minimum . Vendita e. g. eſt res furata triginta nummis aureis , & *deinde* decrevit pretium uſque ad viginti , Confeſſarius obliget ad reſtituendum viginti quinque ; ita enim æquitas ſervatur ; nam niſi fur fortaſſe damnificaverit Dominum ſolum in pretio viginti aureorum , forte etiam damnificavit in pretio aureorum triginta ; & ſicut æquum non eſt triginta ſolvere , quia incertum eſt , an tantum intulerit damnum ; ita æquum non eſt viginti ſolummodo ſolvere , quia uſque ad triginta potuit damnum inferre , Solvat ergo medium inter viginti , & triginta .

IV. Notet item diligenter Confeſſarius facillime incœpiſſe poſſidere cum dubio eos , qui emunt ab iis , qui prudenter non poſſunt judicari Domini rei , quam vendunt . Hinc ſaltem debet judicare Poſſeſſores dubiæ fidei illos , qui emunt a filiisfamilias , & a Famulis , ſi vendant ut ſuas res , quæ non ſolent ad ipſos pertinere . Præcipue autem tales judicandi ſunt illi , qui emunt a mulierculis , vel homuncionibus ex plebe ſericum , nam illud ſolent furari Mercatoribus . Quamvis ergo iſti emptores neſciant a quo emerint , vel cui debeant reſtituere , debent pro qualitate dubii reſtituere pauperibus , ut ſupra dictum eſt .

V. Quamvis ex communi doctrina non ſint deducendæ expenſæ voluntariæ factæ circa rem , quæ reſtituitur , nihilominus noter Confeſſarius pro praxi difficile eſſe , ut tales expenſæ non reddant ipſam rem aliquo pacto æſtimabiliorem . Hinc eſt , quod licet Dominus non ſit cogendus ad ſolvendas omnes expenſas , ipſe enim indiget re ſua , non ornamento illius , nihilominus cum tales expenſæ , qua parte reddunt rem æſtimabiliorem , reducantur ad expenſas utiles , poſſunt in aliqua parte , arbitrio ſcilicet viri prudentis , detrahi tam a Poſſeſſore bonæ , quam malæ fidei .

VI. Poteſt accidere ut aliquis ſcienter emat rem alienam cum hac intentione ut illam Domino reſtituat . In hoc caſu obſervare eſt , quod ſi poſtea Dominus non compareat , emptor , detracto pretio erogato , debet dare pauperibus quod ſupereſt . Si vero Dominus compareat , poteſt ab eo exigere iſtum pretium erogatum , ſi rem ipſius minoris emit , quam valeret , nam utiliter geſſit negotium ipſius Domini . Si vero eam ſolvit fur æquali , vel majori pretio , Dominus non tenetur ſolvere niſi id , quod juſtum reputatum fuerit arbitrio viri prudentis ; nam tunc Emptor non utiliter geſſit Domini negotium , & ſi rite totum pretium teneretur ſolvere , deberet omnino emere rem ſuam . Secus eſſet dicendum , ſi illa res tam grata eſſet Domino , ut notum eſſet , voluiſſe quocumque pretio illam e manu furis eripere .

CAPUT V.

Quinam reſtituere debeant damnum injuſte datum?

1 AD contrahendam obligationem reſtituendi ex capite injuſtæ læſionis duo ſunt neceſſaria ; & ut damnum illatum ſit , & ut contra Juſtitiam , ſive per injuriam illatum ſit . Quare ſi quis in aliena ſylva contra domini ſui voluntatem ligna cædat ,

(a) non

(a) non tenebitur de damno ; quia omnino involuntarie, & ſine injuria illatum eſt.

„ (a) Adde ex eodem Layman : *& in cædendo* „ *jumentum caſu occidat*, non tenebitur de damno „ ex hac occiſione allato, ſed tantum de lignis, & „ damno ſylvæ.

1 Præter damni executorem etiam concauſæ ejus ad reſtitutionem obligantur, quorum novem ſunt:

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

2 Qui expreſſe, vel tacite mandat damnum inferri, de eo præſtando tenetur.

3 Ratihabitio damni illati mandato æquiparatur in ordine ad pœnas Juris, non autem in ordine ad reſtituendi obligationem: Quia ratihabitor non eſt cauſa efficiens damni, cum ad præteritum non ſit potentia. Regula illa 10. in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium æquiparari; (b)* intelligitur de contractibus celebratis nomine neſcientis, & poſtea ratihabentis: item de pœnis per Judicem inferendis ratihabitori ob delictum nomine ipſius patratum. Tenentur ad reſtitutionem conſilium dantes, & monentes damnum inferendi. Sæpe etiam accidit, ut imperiti Juris ſint executores, & hi non tenentur ad reſtitutionem, ſed eorum Conſiliarii, Advocati clientum, Confeſſarii pœnitentium.

„ (b) Tenebitur vero ſi ex ratihabitione in cauſa „ ſit, cur illatum damnum non reparetur.

4 Male conſulens damnum inferri damnificato (in defectum exequentis) obligatur, ſi ex culpa, ſaltem craſſa (quippe quæ in delictis dolo æquiparatur, non in ordine ad pœnam, ſed ad damni reſartionem) conſilium noxium dedit. Et vero, qui conſilium ſequitur, non obligatur conſulens, niſi doloſum fuerit, id eſt, niſi fraude ignorantem circumvenerit, juxta Reg. 62. in 6. *Nullus ex conſilio, niſi fraudulentum ſit, obligatur*. Et Reg. 47. ff. *Conſilii non fraudulenti nulla obligatio eſt*. Quod ſi ratione ſtatus, vel muneris majorem, quam alii, peritiam profiteatur, V. C. Doctor, Conſiliarius, tenebitur etiam de culpa. Ratio diſcriminis eſt: Quia poſterioris generis perſonæ, dum peritiam præſeferunt, qua carent, hoc ipſo decipiunt alios, qui ipſorum conſilium ex ſimplicitate ſequuntur. Qui autem talem peritiam non profitentur, horum conſilium nemo prudens ſequitur, niſi prius exploraverit, num expediat, nec ne?

5 Qui alterum, certo propoſito a ſe ipſo determinatum, ad damnum inferendum ſuo hortatu magis adhuc confirmavit, non obligatur damnificato (quia non eſt cauſa efficax, ut damnum abſolute, & ſecundum ſubſtantiam inferretur, quando alter per ſe ipſum ſatis incitatus erat ad id inferendum) niſi cauſa fuerit, ut majus ei damnum inferretur, tunc tenetur de exceſſu. V. C. Suaſiſti furi, volenti furari 100. aureos, ut furaretur 200. teneris reſtituere 100.

6 NB. Qui materialiter tantum, non vero cauſaliter (influendo formaliter in effectum) damno cooperatur, reſtituere non tenetur, V. C. tenens furi ſcalam. (c) In externo tamen foro tales merito puniuntur ob delictum; præterquam ſi juſtus metus excuſet, ut excuſantur ruſtici, cum a militibus mortis metu adiguntur ad prædas injuſtas avehendas.

„ (c) Intellige ſi fur etiam te ſcalam non tenente „ adhuc furtum commiſiſſet.

Conſentientes, fautores, receptatores, ſi concauſæ damni exiſtant, ad reſtitutionem obligantur; V. C. ſuffragium dans in electione indigni: Puta, ſi efficax concauſa ſit; ſecus, ſi tu poſtremo eligas indignum, peccas quidem, ſed non ad damni compenſationem teneris, ſi tamen fuiſſet electus: Efficaciter alium concitans ad injuſtam vindictam, V. C. caupo (d) ad domum ſuam filium prodigentem profectitia bona recipiens; Advocatus iniquam cauſam manifeſte, vel occulte ſuſcipiens, vel recipiens furem, quatenus formaliter fur eſt; item ementes a fure res furtivas, ſcientes eum furem, quia ſunt receptatores furei: De quibus l. 3. *Receptatores non minus delinquunt, quam aggreſſores*.

„ (d) Obſcura hæc ita redde ex Layman. *Caupo* „ *filiumfamilias contra patris voluntatem domo ſua ſu-* „ *ſcipiens ad prodigendas pecunias profectitias a Pa-* „ *tre &c.*

7 Damno non obſtantes, non manifeſtantes, &c. tunc ſolum ad reſtitutionem tenentur, ſi ratione pacti, officii, adeoque ex juſtitia impedire debeant; V. C. Principes non impedientes latrones in terris ſuis, &c. famulus non impediens fures extraneos in domum ingredientes, cum poſſit. Judex mulctam non tenetur exigere, niſi ſit conſuetudinis loci, (e) nam alias illius officii non eſt fiſcum ditare: Judex tenetur ad reſtitutionem, ſi negligat Reo imponere mulctam, & telonarius, ſi negligat exigere vectigal. Si teſtis fugiens ſit, vel declinans teſtimonium, & per negligentiam teſtimonii ſui innocenti cauſet damnum; non tenetur ad reſtitutionem; niſi veritatem celans cauſa ſit, quo minus innocens alium teſtem adhibeat. Falſus teſtis tenetur ad reſtitutionem damni.

„ (e) Si tamen per ſententiam Reo mulctam in- „ dixerit, tunc tenetur exigere, ut per ſe patet. Si- „ cut etiam tenetur Judex mulctam a lege impoſitam „ exigere.

8 Qui donum accipit a fure, ne clamet, aut ne indicet, non tenetur ad reſtitutionem, niſi ſua pollicitatione furem animoſiorem reddiderit.

Regula in praxi obſervandæ.

I. Quamvis veriſſima ſit illa doctrina, neminem teneri ad damnum reparandum, niſi fuerit cauſa efficax damni, adeoque poſſe a damno reparando eximi, ſi Executor jam erat determinatus ad illud inferendum, nihilominus Confeſſarius in praxi non ſtatim debet hujuſmodi doctrinæ acquieſcere. Si ergo determinato damnum ſtatim inferre ſuadeat quis, mandet &c. ut illud inferat, poteſt Confeſſarius illum a reſtitutione eximere, quia jam ille erat determinatus, & conſequenter conſilium, ſeu mandatum in damnum non influxit. At ſi aliquis, quamvis eſſet determinatus ad damnum inferendum, nihilominus nolebat illud inferre niſi poſt plures dies, aut poſt menſem, tunc obſervare debet Confeſſarius an eſſet ſpes ut intra tale tempus animum mutaſſet, ut communiter accidere ſolet, quando non amplius ira fervefcit. Si certo moraliter dabatur talis ſpes, & aliquis ſuo mandato, & conſilio fuit cauſa ut executor damnum ſtatim inferret, vel quod animum poſtea non mutaret, tunc conſulens, ſeu mandans in defectu principalis tenentur ad reſtitutionem, quia patet ipſos fuiſſe cauſam damni.

II. Conſideret item Confeſſarius, quod quamvis conſulens minus malum determinato majus inferre, non intelligatur cauſa efficax illius damni, quia non conſulit malum, ſed electionem minoris mali, nihilominus teneretur reſtituere, ſi adjuvaret ad minus malum inferendum, quia tunc eſſet cauſa efficax illius.

III. Eo quod non teneatur ad reſtitutionem niſi qui fuit cauſa efficax damni, Confeſſarius abſolvat ab onere reſtitutionis illum, qui ſuo exemplo eſt cauſa damni; ut ſi quis in hortum ingrediendo ad aliquid ſurripiendum, exemplo ſuo alios attraxerit ad idem præſtandum. Quamvis igitur qui ſuo exemplo videt alios inducendos ad malum, peccet contra Charitatem, nihilominus non dicitur efficaciter influere in actionem injuſtam, ſed ſolum eſſe occaſionem, ut alius ex ſua malitia motus damnum exequatur. Generaliter verum eſt, quod ſi ad aliquod malum ſolum dedimus occaſionem, non conſurgit obligatio reſtitutionis, quia non verificatur dantem occaſionem efficaciter in malum influere, ſed malum efficaciter derivare a ſola malitia illius, qui ſinit ſe excitari a tali occaſione. Theologi abſolvunt a reſtitutione illum, qui dedit alapam alteri, unde iſte mœrore conſumptus mortuus eſt; nam in ordine ad mortem ſolum fuit occaſio, non cauſa per ſe influens.

IV. Item non reputandus eſt cauſa efficax damni, qui ratam habet malum nomine ſuo factum, neque enim ejus ratihabitio poteſt dici cauſa mali jam perpetrati. Verum quidem eſt, in jure ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari, ut habetur *cap. ratihabitionem de reg. jur. in 6.* ſed hoc intelligendum vel quantum ad pœnam in foro externo, vel quantum ad malitiam peccati, vel quantum ad confirmandum contractum nomine ſuo factum.

V. Accidiſſe aliquando compertum eſt, famulos, vel ruſticos aliquod damnum mandato Domini perpetraſſe; unde poſtea ad triremes, exilium, carcerem, ſeu pœnam pecuniariam damnati fuerunt. Certum eſt in his caſibus Dominos non ſolum teneri ad reparanda damna facta a mandatariis, ſed ea etiam quæ paſſi ſunt ipſi mandatarii, & ipſorum familia; ſed cogitant ne de his damnis reparandis? Cogitent ſaltem Confeſſarii, & ſine abſolutione dimittant, uſque dum non ſatisfaciant propriæ obligationi.

VI. Obſervavi aliquando Perſonas ſcrupuloſas, dum timent aliquid injuſte fieri, putare ſe ſatisfacere propriæ conſcientiæ, ſi vel abſtineant a dando ſuffragium, vel ab approbando quod proponitur, vel ab interveniendo illis ſocietatibus, ubi de illis rebus agendum eſt. Peccant igitur non dando ſuffragium, ſemper cum dando negativum poſſent impedire. Peccant poſitive non improbando, quoties pariter impedire poſſent: Peccant damnum non interveniendo, ſi poſſent impedire, quoties ratione ſui ſtatus, vel officii intervenire deberent. Difficiliter etiam excuſari poterunt a reſtitutione, ſi damnum injuſte ſequatur, quoties, ut dixi, ratione officii, vel ſtatus debebant ſive loquendo, ſive alio pacto impedire, & non impediverunt.

VII. Quamvis certum ſit teneri ad reſtitutionem vituperantes, irridentes, convitiis afficientes aliquem, quia non ulciſcitur, vel aliud maleficium non perpetrarit, nihilominus obſervare debet Confeſſarius cum aliquibus Theologis, inadvertentiam, & bonam fidem excuſare aliquando adulatores, ſeu vituperatores ab onere reſtitutionis.

VIII. Cum ratione *recurſus* intelligantur reſtitutioni obnoxii defenſores malefactorum, videat Confeſſarius non eſſe abſolvendos Magnates, alioſque viros potentes, qui cum videant ſuos famulos fidentes ipſorum protectioni plura damna facere, nihilominus non impediunt; nam convincuntur revera ipſos protegere, quoties non impediunt ne alios damnificent. Ultraquamquod Domini tenentur ex officio impedire hujuſmodi damna famulo-

malorum. Multò magis tenentur ad reſtitutionem Potentes, qui faciunt domum ſuam facinoroſorum aſylum.

IX. Sunt participantes in actione damnificativa, adeoque teneatur ad reſtitutionem, qui ad eum defendendum comitantur maleſactorem; qui aſſiſtit ut explorator, ſi aliquis forte ſuperveniat; qui tergo defendit; qui prædam cuſtodit; qui etiam ut miniſter uſurarii exigit uſuras, niſi forte ut ee miniſtras minus principalibus, qui eas non exigant, ſed ſolum numerent pecunias, ſcribant &c., nam hi poſſunt excuſari, ſi non poſſint derelinquere ſine gravi incommodo Uſurarii famulatum. Vide etiam quæ dixi *quæſt.* 9.

X. Cum teneantur ad reſtitutionem damni illati omnes, qui cum poſſent illud impedire, & tenerentur impedire ex officio, vel ex contractu, adhuc tamen non impedierunt, obſervet Confeſſarius omnes ſequentes eſſe reſtitutioni obnoxios: Curatores, & Tutores non impedientes damna ipſorum, qui ſuæ tutelæ, & curæ ſunt commiſſi: Medici, & Chirurgi graviter deficientes in cura infirmorum, ſi habeant ſtipendium: Patresfamilias non impedientes, quin uxor, liberi, & ſervi alios damnificent; Principes non impedientes latrocinia, monopolia, homicidia, aliaque damna, atque idem dicatur de omnibus his, qui exercent publicam poteſtatem. Cuſtodes agrorum, montium, vinearum &c. graviter negligentes in impediendo damnificatores: Servi non impedientes extraneos rem domini ſurripere; nam ratione famulatus cenſentur obligati ad cuſtodiendas res Domini ab injuriis exterorum, non vero tenentur ex juſtitia eas tueri contra Domeſticos, niſi forte illis ſint ſpecialiter creditæ. Cuſtodes Gabellarum non impedientes ipſarum defraudatores. Verum tamen eſt, quod quamvis ſint obligandi ad reſtituenda damna ſequuta ob non ſolutam gabellam, nihilominus non ſunt obligandi ad pœnam ſolvendam, quam luerent defraudatores gabellarum, ſi eſſent a Cuſtodibus accuſati. Ratio eſt, quia licet hujuſmodi Cuſtodes teneantur ex juſtitia accuſare defraudatores, id nihilominus non eſt in ordine ad mulctam, quam coguntur ſolvere, ſed in ordine ad pretium ſolvendum pro mercibus aſportandis, introducendis &c. Ultrequamquod Gabellarum Emptores ſolum habent jus ad tales mulctas poſt ſententiam Judicis, unde ſi cuſtos non accuſet, nullam illis facit injuriam.

Confeſſarii vero, licet teneantur ad reſtitutionem, quando ex malitia, vel ignorantia graviter culpabili ſuo pravo conſilio ſunt cauſa, ut qui tenentur reſtituere non reſtituant, ut dicitur etiam de omnibus, qui dant hujuſmodi conſilia; nihilominus ad reſtitutionem non tenentur, ſi ſolum negative ſe habeant, hoc eſt, non moneant pœnitentem de obligatione reſtitutionis. Ratio eſt, quia, quamvis ex vi ſui officii, adeoque ex juſtitia teneantur incumbere bono ſpirituali pœnitentis, non tamen tenentur ex Juſtitia attendere bonis temporalibus illius, cui debet pœnitens reſtituere. Peccabunt igitur, ſed non tenebuntur ad reſtitutionem.

XI. Multoties non impedientes alterius damnum liberantur a reſtituendo, quamvis ad id ex juſtitia tenerentur. Tunc autem id verificatur, quando impediendo ſubire deberent grave damnum vel in bonis fortunæ, vel in vita; nam cum tanto incommodo non cenſentur ſe obligare, quoties bonum publicum non periclitetur. Ita excuſari poſſunt ſatellites, ſi timentes grave damnum a Potente illos minitante, non detrudant in carcerem debitorem, vel exulem non capiant. Id ipſum dicendum in caſu, quo timeant graviter vulnerari. Quod ſi exules graviter bono publico noceant, tunc etiam ſe exponere debent periculo vitæ, ſi adſit ſpes illos capiendi, vel fugandi, quia præcipue ad hunc finem ſtipendio conducuntur.

CAPUT VI.

Quantum ſinguli damnificantes reſtituere debeant, & quo ordine?

1 SI plures damnificantes ſine conſpiratione concurrant ad damnum inferendum, ſinguli non plus obligantur, quam ipſimet intulerunt. V. C. Hauriens ex vini dolio, furato ab aliis, tantum tenetur reſtituere, quantum bibit, vel accepit. Ratio: Quia in tali caſu non eſt aliquis cauſa influens in totum damnum, ſed ſolum in partem ejus. Si in rixa plures oppugnent adverſarium, ille ſolus de homicidio tenetur, qui lethale vulnus inflixit.

2 Mandans damnum dari, ut principalis damnificans, ante alios, etiam ipſum executorem, obligatur ad reſtitutionem. Ratio: Quia actio magis tribuitur agenti principali, quam exhibenti miniſterium; ſi autem dominus famulo mandet, ut hominem occidat, & is exequatur, famulus eſt quaſi agens miniſteriale, & inſtrumentale: Ergo &c. Eſt tamen intelligenda aſſertio de eo, qui authoritate præcipit; ut dominus, pater, judex. Nam alii ſolum ſunt conſulentes, & non mandantes. Tenentur tamen etiam illi ad reſtitutionem, ſi alteri ſuaſerint, ut in ſui gratiam damnum inferant, alioquin non illatuto: Tales enim cenſentur authores illati damni.

3 Concauſæ damni dati obligantur tantum in defectum principalis; quare ſi iſte reſtituat, aut condonetur illi, concauſæ penitus liberantur. Ratio: Quia ruente principali ruit acceſſorium; non item ruente acceſſorio etiam principale tollitur.

4 Inter ipſas concauſas prius obligari videntur, quæ poſitive cooperantur, V. C. conſulendo, quam quæ negative, non obſtando, tacendo.

5 Si plures conſpirarunt ad damnum inferendum, ſinguli obligantur in ſolidum, ſaltem in defectum aliorum. Ratio: Quia ſinguli ſunt cauſa totius damni: Cæterum, ſi unus ſociorum reſtitutionem fecit in ſolidum, a reliquis, ſaltem in conſcientiæ foro, pro rata repetere poteſt.

NB. Dux belli damnum injuſtum inferens (gregariis militibus debentibus reſtituere, quod ex iniqua direptione ad ipſos pervenit) tenetur totum reliquum damnum ante alios reſtituere. In defectum Ducis, & aliorum authorum damnorum ſinguli milites ad compenſationem damni obligantur: Quia in defectum principalis obligatur cauſa ſecundaria, ſeu acceſſoria.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si Confeſſario ſe aliquis præſentet, qui damnum cauſaverit, non ſtatim illum ad reſtitutionem obliget, ſed videat bene memoria retinere ordinem, qui ſervandus eſt inter cauſas reſtitutioni obnoxias. Primo ergo interroget, an rem alienam habuerit, aut conſumpſerit, & in tali caſu ſtatim eſt ad reſtitutionem obligandus. Si rem alienam non habuit, aut conſumpſit, videat ſi fecerit damnum nomine proprio, aut potius alterius mandato, & tunc videat, an reſtituerit qui mandavit; nam tunc Executor a reſtitutione liberatur. Idem ſervet, ſi coactus fuit ad furtum, ſive ad damnum inferendum vi, minis, fraudibus, aut conviciis. Illis non reſtituentibus, vel non valentibus reſtituere, ſtatim obliget ipſum Executorem ad reſtitutionem.

Deinde vero accedit ad Confeſſarium ille, qui conſuluit furtum, vel damnum, ſeu ipſum furtum, aut damnum inferendum laudavit, antequam ipſum obliget ad reſtitutionem, videat, an mandans, ſeu executor reſtituerint; nam ipſi tenentur ante laudantem, conſulentem, recurſum præbentem &c., & ipſis reſtituentibus, conſulens &c. nihil reſtituere tenetur. Dum vero prædicti non reſtituerint, obliget conſulentem, qui æque proxime tenetur cum Palpone, recurſum præbente, cæteriſque cauſis poſitivis.

Denique ſi accedat ad Confeſſarium, qui non impedivit furtum, vel damnum, cum alias potuiſſet, & ex juſtitia debuiſſet impedire, debet primo videri, an reſtituerint cauſæ poſitivæ, quæ damnum fecerunt. Illis reſtituentibus, nihil reſtituere tenetur, qui non impedivit. Si vero non reſtituant, debet Confeſſarius interrogare, an iſte, qui non impedivit, habuerit immediate rem furtam ſub ſua cuſtodia, & tunc ſtatim obligare debet ad reſtitutionem, quando cauſæ poſitivæ furti, vel damni non reſtituant. Dum vero non ſit immediatus cuſtos rei, & damnum, ſeu furtum ſequutum fuerit etiam ex negligentia Superioris, vel alterius authoritatem habentis, iſte principaliter debet reſtituere, eoque non reſtituente, Cuſtos; poſt iſtum, qui debebat manifeſtare, & non manifeſtat; ac denique non dans conſilium quod potuiſſet damnum impedire, dum tamen tenebatur ex juſtitia dare tale conſilium. Debet etiam conſiderare Confeſſarius, an qui non impedivit, non ſatisfecerit ſuæ obligationi ex timore alicujus gravis damni ſibi vere imminentis; nam tunc ut plurimum Cuſtodes rerum, ſatellites &c. non tenentur impedire, quoties aliud non exigat bonum publicum.

Videat Confeſſarius hanc regulam, & ſequentes memoriæ firmiter retinere, alias vel nimis indulgens, vel nimis ſeverus erit in obligando Pœnitentes ad reſtitutionem.

II. Debet etiam advertere Confeſſarius excuſari cauſas minus principales a reſtitutione, quoties Dominus, qui paſſus eſt damnum, condonavit reſtitutionem cauſæ principali, & ita liberaretur a reſtitutione executor damni, quoties remitteretur mandanti. Non vero cenſetur liber a reſtitutione principalis, eo quod condonata fuerit reſtitutio cauſæ ſecundariæ, imo ſi fuerint plures cauſæ æque ad damnum concurrentes, per liberationem unius non cenſentur aliæ liberari a reſtitutione pro ſua rata.

III. Confeſſarius volens in praxi cognoſcere, an pœnitens teneatur in ſolidum reſtituere, hoc eſt, an teneatur etiam reſtituere partem alterius, ipſo non reſtituente, primo interroget, an fecerit cum aliis damnum communi conſilio, & conſpiratione, & ſi ita non factum fuit, ſolum tenetur reſtituere damnum a ſe factum. Si vero damnum illatum eſt communi conſilio, & conſpiratione, tunc interroget; an ipſe primus alios induxerit ad furtum, damnum &c., & in tali caſu eſt obligatus in ſolidum, & ante eos, quos induxit ad damnum inferendum. Si vero non primus alios induxerit, interroget, an ſine ipſo ſequutum fuiſſet damnum; nam quando, eo non concurrente, alii non feciſſent, damnum moraliter ipſi poteſt totum imputari. Si vero damnum adhuc ſine ipſo ſequutum fuiſſet, & alios non induxit, tunc interroget, an res furata, vel damnificata fuerit diviſibilis, ita ut omnes ſuam partem obtinuerint rei furatæ, vel fecerint ſuam partem damni: & in tali caſu non tenetur niſi ad partem damni, quod fecit, vel ad partem rei, quam furatus eſt. Quod ſi res erat indiviſibilis, tunc unuſquiſque qui fuit cauſa, vel furti, vel damni, tenetur in ſolidum ad reſtitutionem, ut ſi plures furati fuerint adamantem, equum, bovem &c. ſi plures fuerint cauſa mortis alicujus, incenderint eandem domum &c.

IV. Denique Confeſſarius, ſi ad ipſum accedat, qui non fuit principalis cauſa furti, vel damni, adeoque ante ipſum alii ad reſtitutionem tenebantur, moneat ipſum, ut videat, an cauſæ principales reſtituerint. Si de hoc non poſſit certiorari, poterit præſumere reſtituiſſe, dum non habeat præſumptionem in contrarium; & tunc iſta daretur, vel quando cauſæ principales non poſſent reſtituere, vel quando ſciret adhuc perſeverare in furando, damnificando &c.

CAPUT VII.

Utrum reſtituere debeat, qui aliquem a conſecutione alicujus boni impedivit?

1 QUi alterum impedivit a conſecutione rei ex juſtitia debitæ, V. C. beneficii Eccleſiaſtici, ad quod ipſi jus quæſitum erat, ſive perfectum per collationem, ſive imperfectum per legitimam electionem, præſentationem, &c. tenetur ad reſtitutionem; ut conſtat ex dictis. Secus, ſi ex libera voluntate conferenda erat, & ille ſine fraude impedivit collatorem, quo minus conferret ipſi, cui animo deſtinavit; quia nulla infertur ipſi injuria. Tamen, ſi ex odio agatur, contra charitatem peccatur.

NB. In externo foro actio conceditur de dolo adverſus eum, qui ex æmulatione agit. V. C. Qui in ſuo fundo fodiens vicini fontem avertit, animo nocendi vicino, non agrum ſuum meliorem efficiendi.

2 Qui Eccleſiaſtici beneficii collatorem, jam determinatum ad conferendum Titio, precibus, aut ſuaſione abducit, ut ſibi, vel alteri, quamvis minus digno, conferatur, non videtur obligatus ad reſtitutionem faciendam: Quia collator nullam proprie infert injuriam digniori *(a)*, ſi eo prætermiſſo minus digno conferat; conſequenter neque ille injuriam infert, qui collatorem ſuaſione, aut precibus ad id faciendum movet: Ergo &c.

„ *(a)* Si tamen agatur de beneficio curato ſententia „ verior tenet, ut neceſſario eligatur dignior; ex quo „ fit, ſi duo tantum ſint eligendi, unus minus, alter „ magis dignus, ſi Patronus eligat priorem, injuriam „ faciat digniori.

3 Qui per vim, aut fraudem impedit, quo minus alter beneficium, legatum, vel donum gratuitum conſequatur, ad damni compenſationem obligatur. V. C. Si importunis precibus obtineas a morituro, ut teſtamentum mutet; ſi mendaciis Epiſcopo perſuadeas, ut beneficium alii conferas, quam ipſe decreverat: Item ſi dolo impedias aliquem, quo minus beneficium ſibi conferri ſupplicet; quia, licet V. C. Titio non competat jus poſtulandi beneficium, tanquam ſibi debitum, tamen competit ipſi jus ſupplicandi. Sicut pauper jus non habet eleemoſynam tanquam debitum petendi, habet tamen jus mendicandi, obſecrandi: Quare, ſi eos ab hoc jure impedias, cogeris damnum reſarcire (arbitrio prudentis) juxta proportionem ſpei, quam habuerunt, conſequendi beneficii, eleemoſynæ.

4 Reus, & teſtis, ſi juridice interrogati veritatem celantes cauſa exiſtant, quo minus mulcta a Judico imponatur, non ſunt ad reſtitutionem obligati: Quia omnis reſtituendi obligatio proprie oritur ex læſione juſtitiæ commutativæ: Reus autem veritatem celans proprie non peccat contra juſtitiam commutativam, quæ inter partes Reipublicæ verſari ſolet, ſed potius lædit juſtitiam publicam, judicialem, & vindicativam; ſiquidem jus, & officium Magiſtratus cujuſque de criminibus inquirendi per ſe, ac directe non ſpectat pecuniariam mulctam, ſeu commodum, ſed publicæ pacis, ac juſtitiæ conſervationem, cujus cauſa per accidens pecuniaria mulcta imponitur. Secus dicendum videtur, ſi pœna ob commiſſum crimen contracta eſt ipſo Jure: Quia tunc directe agitur ad pœnam ſolvendam, cujus jam reus factus eſt, qui crimen admiſit; ac proinde jus Judicis lædit, ſi falſis allegationibus, ſive mendaciis mulctam ſecundum legis decretum imponendam ſibi effugiat. Eademque ratio eſt de falſo teſte Judicem in tali caſu decipiente.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum teneatur ad reſtitutionem impediens etiam ſolis precibus, ne aliquis conſequatur bonum, ad quod ſaltem habeat jus ad rem, ſequitur teneri ad reſtitutionem qui impedit etiam ſolis precibus, ne adimpleatur donatio, vel promiſſio jam acceptata; nam ex acceptatione conſurgit jus ad rem in eo, qui acceptavit. Idem dicendum de eo, qui impediret, ne confirmaretur legitima electio, ne præſentatus confirmaretur, ne promotus acciperet poſſeſſionem &c.

II. Quia non eſt obligatio reſtitutionis, ſi impediatur aliquis ſolis precibus a conſecutione boni, ad quod nullum jus habeat, inferat Confeſſarius non eſſe obligandum ad reſtitutionem, qui hoc modo impedit, ne exequatur promiſſio nondum acceptata; qui impedit Divitem, ne cuidam pauperi det eleemoſynam; qui curat ut Teſtator novum faciat Teſtamentum in alterius favorem &c. Si vero hujuſmodi impedimentum appoſitum fuerit vi, & dolo, maxime in ordine ad illum, qui ſperabat aliquod conſequi bonum, tunc datur ex dictis obligatio reſtitutionis, quanti poteſt æſtimari ſpes illorum, qui credebant aſſequi tale bonum, hæreditatem, eleemoſynam &c.

III. Notet Confeſſarius multoties in his peccare Artifices, nam ut ſibi comparent lucrum ex aliquo artefacto, ſolent detrahere de aliis Artificibus, quibus illud artefactum erat committendum. Multoties igitur falſum dicunt e. g. illos non eſſe nimis fideles, negligenter ſe habere in alienis rebus cuſtodiendis, non ſatis eſſe in propria arte perfectos &c. ita aliorum lucra impediunt, & nec ipſi, nec Confeſſarii cogitant de reſtitutione facienda.

In hoc genus peccati incidunt illi Potentes, qui impediunt creditores a conſequendis ſuis creditis a Debitore, qui alias, vel in totum, vel in partem poteſt ſatisfacere. Vel igitur ſe iratos demonſtrantes Creditoribus, ſi coram Judice jus ſuum proſequantur, vel imperant Satellitibus ne Debitorem capiant, etiam minitando ſi ceperint. At quis eſt, qui cogitet de reſtitutione facienda pro injuſto hujuſmodi impedimento?

IV. Obſervet Confeſſarius, quod quamvis inducens ſolis precibus ad conferendum Beneficium, vel Officium minus Digno, vel Indigno, teneatur reſtituere Communitati, ſeu Eccleſiæ damna ipſis exinde derivantia, nihilominus non ſtatim obligandus eſt ad reſtitutionem. Primo igitur tenetur reſtituere ipſe indignus, & dimittere Officium. Secundo, tenetur reſtituere ipſemet Collator. Tenetur tertio qui induxit Collatorem ad dandum Officium, vel Beneficium indigno.

CAPUT VIII.

Utrum reſtituere teneatur, qui aliquem ad peccatum induxit, vel a Religione abduxit?

1 QUi alterum exemplo ſuo, aut ſuaſione in peccatum induxit, ex juſtitia non obligatur ad ejus emendationem; ſed ſola charitate. Ratio: Quia volenti, & conſentienti non fit injuria. Omne autem peccatum ſicuti libere admittitur, ita libere in eo perſeveratur. Confirmatur, ex l. 2. §. ultim. ff. mandati, *Nemo ex conſilio obligatur, etiamſi non expediat ei, cui dabatur: quia liberum eſt cuique apud ſe explorare, an expediat ſibi conſilium*. Sed excipe: Niſi alterum fraude, dolo, vel injuſto metu ad peccandum induxeris, V. C. laborantem ignorantia craſſa in hæreſim; falſum alterius crimen denuntiando in hominis odium; aut ſi dominus famulo, Magiſter diſcipulo cum authoritate præcipiat, quod malum eſt; ſiquidem tam metus, quam ignorantia efficiunt, ut ille non plena animi voluntate in peccatum te impellente labatur: Multoque magis, ſi Magiſter diſcipulos ſuos falſa docuit, ea revocare tenetur pro qualitate incommodi, ex falſa doctrina ſubſecuti.

2 Qui ſuo conſilio alterum, licet Novitium, a Religione abduxit, tamen ſine vi, vel fraude, ad nullam reſtitutionem obligatur. Non Novitio; ut patet ex priori Aſſertione. Nec Religioni; quia illi nullum adhuc jus in hominem acquiſitum fuit. Unde, ſicut Novitius nullam Ordini injuriam infert, ſi recedat; ita nec alter, qui illi hoc ſuadet. Peccant tamen graviter, qui ſine juſta cauſa homines blanditiis a Religione avertunt.

3 Qui Religioſum; vel Profeſſum a Religionis ſtatu ſuaſione, aliave cooperatione abſtraxit, ex juſtitia tenetur Ordini ad reſtitutionem. Ratio: Quia Religioſus Ordini ſuo perſonaliter obligatus eſt, cum ſui juris non ſit, ſed ſe Ordini per obedientiæ votum acceptante Prælato tradiderit; quippe Ordine non quidem directum dominium acquirente, ſed ſolum jus in re, quod ſatis eſt ad Religioſum fugientem vindicandum. Igitur Religioſus Apoſtata, & inductor Ordini injuriam infert: Unde uterque obligatur ad reſtitutionem; Religioſus, ut redeat; inductor, ut alium idoneum ſubſtituat, ſi Apoſtatam reducere ſua ſuaſione non poſſit: Ipſemet autem non tenetur ingredi, cum ſuſceptio Religionis non neceſſitatis, ſed liberæ voluntatis eſſe debeat. Unde, licet quis includatur in Monaſterium in pœnam delicti, tamen non præcipitur Religio.

Non obſtat, quod in praxi non obſervetur reſtitutio abducti Religioſi: Cauſa enim eſt, vel quia impotentia excuſat, vel quia pars læſa non tanto rigore reſtitutionem poſtulat, vel denique, quia contraria Soti, & aliorum Sententia, ab omni reſtitutione in tali caſu liberans, probabilis quibuſdam videtur.

CAPUT IX.

Cui Reſtitutio fieri debeat?

1 DEbita ex contractu juſto incerta, id eſt, quorum creditor ignoratur, vel conveniri non poteſt, ſi longiſſime diſtet, a debitore licite retinentur. V. C. Si a mercatore per errorem accepiſti duas panni ulnas pro una, ſed reſtituere non potes, quia non noſti, quo diſceſſerit, retines ſine injuria. Ratio: Quia incertorum bonorum reſtitutio facienda non eſt Jure naturali, aut divino, ſed tantum poſitivo, V. C. Canonico Jure injuſta bona pauperibus, ſi non poteſt conveniri dominus. Sed nullus Canon extat, quod bonæ fidei poſſeſſor debeat bona incerta dare pauperibus. Quare ſerva hanc Regulam Doctorum: Quotieſcunque certæ perſonæ, vel Communitati reſtitutio facienda non eſt, nulli omnino ex præcepto debetur, niſi juſta lex poſitiva imperet.

2 Debita incerta, provenientia ex delicto, furto, &c. pauperibus, vel Eccleſiæ reſtitui debent Eccleſiaſtici Juris conſtitutione. Cui accedit communis Doctorum conſenſus, & praxis Eccleſiæ. Verum ſpectato Jure naturali poſſet retinere injuſtus poſſeſſor bona incerta, tanquam pro derelictis habita.

Ad hoc, quod objicitur, legem Eccleſiaſticam pœnalem eſſe: Ergo non obligare ante ſententiam Judicis. Reſp. Leges pœnales, quæ aliquem inhabilem ob crimen reddunt ad acquirendum, ſæpe obligant ante Judicis ſententiam. Talis autem eſt lex illa, impediens, ne quiſquam rerum per ipſum furto, uſura, &c. acquiſitarum dominium abſolute acquirere poſſit, ſed ut in defectum veri domini pauperibus ob Canonis conſtitutionem tribuere obligatus ſit.

NB. Si dominus bonorum incertorum confuſe cognoſcitur, V. C. quod res ad duos ex certo genere perſonarum pertineat, neſciatur autem, ad quem, vel ad quos, vel ſecundum quam partem, tunc inter eos diviſio, vel tranſactio fieri debet.

3 Bonorum certorum reſtitutio ordinarie facienda eſt poſſeſſori juſto, a quo accepta ſunt, vel quibus damnum illatum eſt. Ratio petitur ex juſtitia commutativa, quæ poſtulat, ut, quantum acceptum eſt, tantundem reſtituatur illi, a quo acceptum. Quare, quod acceptum eſt a Depoſitario, Commodatario, Cuſtode, Adminiſtratore, iiſdem, non domino, reſtituendum eſt. Nam alioquin injuria ipſis fieret, ſi jure poſſeſſionis, detentionis, cuſtodiæ, aut utilitatis ſpoliarentur, & damnum, atque lucrum ceſſans compenſare deberent.

Excipe 1. Si eorum; a quibus res aliena accepta eſt, nihil interſit, quod non ipſis, ſed ſtatim rei domino reſtituatur. 2. Si de maligno propoſito valde ſuſpecti ſint, id eſt, probabiliter exiſtimentur rem alienam ablaturi cum domini injuria; tunc, ſi fieri poſſit ſine majori eorum damno, ſive infamia, potior ratio domini habenda eſt, eique, quod ſuum eſt, reſtituendum.

4 Bona Eccleſiæ non Prælato diſſipatori, ſed Capitulo reſtitui debent; eo quod jus Adminiſtratoris non ſe extendat ad diſſipandum. Et quæ a filiofamilias, vel pupillo accepta ſunt, eorum patri, tutori, reſtituenda ſunt: Nam, qui pupillo ſolvit ſine tutoris authoritate, probare debet, in utilitatem pupilli ſolutionem verſam fuiſſe; alioquin iterum ſolvere cogitur.

Spolia, quæ fur, aut prædo depoſuit, in conſcientiæ foro non ipſis, ſed domino eorum reſtitui debent: In foro externo autem, ſi dominus non comparet, potius injuſto deponenti reddi debent.

5 Si reſtitutio ceſſura ſit in grave detrimentum vel ipſius, cui fieri debet, vel alterius perſonæ, aut Communitatis, interim differenda erit; V. C. ſi aliquis pecunias tibi mutuo datas repetat ad fornicandum, vel ad bellum injuſtum gerendum. In priori caſu teneris ex charitate differre ſolutionem: Quod ſi inſtanter urgeat, teneris ex juſtitia ad ſolutionem. In poſteriori, quo agitur de damno tertiæ perſonæ inferendo, nefas eſt reſtituere, niſi periculum majoris mali ex negatione ſolutionis timeatur.

6 Ratio autem, cur difficilius debitum reddi poſſit creditori abuſuro contra Juſtitiam, quam contra alias virtutes, V. C. Temperantiam, eſt: Quia obligatio ex virtute Juſtitiæ gravior eſt, quam aliarum moralium, & per peccatum Injuſtitiæ infertur damnum alteri innocenti, & invito; per alia vero peccata, V. C. Intemperantiæ, ſolus peccans damnum accipit.

7 Qui ſine juſta cauſa excuſante alteri injuſte V. C. pugnaturo pecuniam mutuo dat, vel ex contractu debitam ſine neceſſitate reſtituit, contra Juſtitiam peccat, & ad reſtitutionem in defectum principalis tenetur. Ratio eſt: Quia, qui ſine juſta cauſa materiam proximam, & neceſſariam (V. C. ferramenta ad oſtium effringendum &c.) male operaturo miniſtrat, indirecte cooperari cenſetur, licet nec jubeat, nec ſuadeat operationem. Dixi: *Sine juſta cauſa*. Nam alteri materiam miniſtrare ſine ſuaſione, aliave directa formali cooperatione per ſe intrinſece malum non eſt, ſed ob juſtam cauſam cohoneſtari poteſt, adeo ut etiam furioſo gladium reſtituere liceat repetenti, ſi ita neceſſe ſit ad proprium grave damnum evitandum.

8 Solvens creditori ſui creditoris obligatione liberatur. NB. Hæc Regula in externo foro ferme tunc tantum locum habet, ſi debitum ex eadem cauſa proveniat. V. C. Conduxi domum a Titio, quam is a Cajo ante conduxerat: Hoc caſu penſio a me conſtituta, eſt obligata Cajo primo locatori in defectum Titii primi conductoris; quare, ſi ſolvam Cajo, liberatus ſum a Titio.

In foro autem conſcientiæ modus iſte ſolvendi latius ſe extendere poteſt. Si enim V. C. Titio ex cauſa mutui debeam 100. aureos, ille autem totidem ex alia cauſa debeat Cajo, poſſum ego eidem Cajo numerare 100. ut vendat, vel mihi cedat jus crediti adverſus Titium debitorem ſuum, quod jus, cum tantidem valeat, quantum ego Titio debeo, id eſt, 100. aureos, compenſatione uti poſſum.

Deinde, ſi creditor liquidum debitum neque via judicii, nec alia ratione a debitore ſuo conſequi poteſt, ceſſante ſcandalo occulta compenſatione uti poteſt, tantundem de bonis ejus clanculum accipiendo, quantum debitum valet: Itaque ego ipſi ad hoc conſequendum cooperari poſſum, eique ſolvere id, quod ejus debitori debeo; modo interim caveatur, ne idem debitor, ejuſve hæredes, hujus rei ignari, poſtea iterum ſolvant, quod ego ejus nomine jam ſolveram.

9 Solviſſe cenſetur, qui juſta compenſatione utitur, id eſt, *debiti, & crediti inter ſe contributione*. Quia l. 3. ff. eod. *Intereſt noſtra potius non ſolvere, quam ſolutum repetere*. Et l. ſi debitor, ff. qui potiores. *Nihil intereſſe, ſolveritne aliquis, an compenſaverit*. Hinc, *ſi tu mihi aliquid debeas, & res tua ſine vitio ad me perveniat, propter debitum retentionem habeo*.

Quibuſdam vero caſibus compenſatio, ſeu directa, (quæ locum habet in his, quæ functionem recipiunt, ut unum pro altero ſolvi poſſit, V. C. utrinque debiti 20. floreni, vel 20. maltera frumenti) ſive indirecta, quæ dici ſolet Retentio debiti, fieri non poteſt. 1. Quod Reipublicæ debitum eſt ratione vectigalis, aut tributi, ſolvi debet, non oppoſita exceptione alterius a Republica debiti. 2. Qui ex furto, rapina, vi illata, debitor eſt, jure compenſationis privatur. 3. In Depoſito compenſationi locus non eſt, neque in Commodato. Sed hæc ſunt fori externi.

10 NB. In conſcientiæ foro, ſi quodcunque debitum, modo indubium ſit, alio modo conſequi non liceat, V. C. via judicii, proſpicere mihi poſſum per compenſationem, vel ſaltem alterius cujuſque a me debiti retentionem, donec mihi ſatisfactum ſit, ſi via judicii non poſſim debitum meum recuperare.

11 Si chirographum, ſeu Inſtrumentum debiti penes debitorem reperiatur, præſumptio eſt factæ ſolutionis; niſi perſona, quæ chirographum producit, ſit domeſtica, tunc onus probandi ei incumbet, quod ſolverit. Hinc conſultum eſt debitori, ut facta ſolutione debiti a creditore non tantum exigat chirographi ſui reſtitutionem, ſed etiam confeſſionem factæ ſolutionis: Quia *profeſſio pecuniæ ſolutæ majorem probationem continet, quam ſi chirographum acceptæ mutuo pecuniæ redditum fuiſſet*.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quamvis diximus rem eſſe reſtituendam illi, a quo fuit ablata, ſi eam juſto titulo poſſidebat, advertere nihilominus debet Confeſſarius, quod ſi ille, qui eam poſſidebat, prudenter judicatur ſuſpectus, quia v. g. eſt valde callidus, avarus, prodigus, ſeu fur, tunc debet ſuadere, ut reſtitutio fiat Domino, nam ſi ſuam rem non deperdet, ſaltem magna difficultate recuperabit. Id autem intelligendum volo, quando ex reſtitutione facta domino nullum damnum poteſt probabiliter imminere reſtituenti.

II. Demum obſervandum eſt, quod quamvis in praxi tutiſſima ſit illa doctrina, quod quis liber remaneat a reſtitutione per ſo-

lutio-

ſolutionem factam Creditori ſui Creditoris, nihilominus ſi ſuus Creditor ſperet ſibi remittendum eſſe debitum, vel concedendam notabilem dilationem ad ſolutionem, tunc ipſi fieret injuria per ſolutionem factam ſuo Creditori, ut de ſe patet, & proinde non eſſet ſolutio facienda ipſius Creditori.

CAPUT X.

Quo tempore, & loco Reſtitutio fieri debeat?

1 DEbitor ex contractu ſolvere debet tempore, de quo inter partes conventum eſt, tametſi creditor tunc non exigat; quia dies ipſa, ſive tempus ſtatutum, intra quod ſolutio fieri debet, pro creditore interpellat, & debitor differens infert injuriam creditori, tenetúrque compenſare. Excipe: Si creditor abſit, & non reliquerit Procuratorem. Quod ſi nullum tempus ſolutioni deputatum ſit, tunc debitor non tenetur de damno creditori, antequam is congruo tempore exegerit ſolutionem.

2 Debitor ob injuſtam læſionem, aut rei alienæ detentionem, quamprimum poteſt, reſtituere tenetur. Ratio: Quia præceptum negativum non detinendi rem alienam ſemper obligat.

NB. Habens propoſitum reſtituendi, & aliquantulum differens, non eſt ſtatim mortalis damnandus: Quia, licet dilatio injuſta ſit, tamen non cenſetur gravis.

3 Quæ injuſte accepta ſunt, ſumptibus ejus, qui accepit, ad dominum deferenda ſunt, ut is omnino indemnis ſervetur. Ratio: Quia reſtitutio orta ex injuſta damnificatione in integrum fieri debet, ita, ut creditor omnino indemnis ſervetur. Excipe: Niſi ſumptus debitoris ſuperent rem reſtituendam; tunc enim pauperibus dabis, niſi ſpes ſit domino ſine ſumptu notabili reſtituendi.

4 Bonæ fidei poſſeſſor ſatisfacit, ſi reſtituat in loco, ubi rem poſſidet. Ratio: Quia, dum reſtitutio facienda eſt ratione rei acceptæ, bona fide hactenus poſſeſſæ, ſola rei poſſeſſio transferenda eſt; in ſuperiori autem Aſſertione reſtitutio erat facienda ratione injuſtæ acceptionis, & tunc integrum damnum, & lucrum ceſſans compenſanda ſunt.

5 Debita ex contractu eo loco ſolvi debent, de quo inter partes expreſſe, vel tacite conventum eſt.

NB. In contractibus gratuitis, V. C. donationibus, res danda eſt in loco, ubi ſita eſt; In reciprocis vero, V. C. mutuo, emptione, &c. in loco, ubi res accepta erat. Ratio eſt: Quia res una in reciprocis contractibus in alterius quaſi locum ſubſtituitur, quod tunc perfecte fit, ſi etiam idem locus acceptionis, & reſtitutionis ſervetur. In cenſu autem reali ſolutio fieri debet in loco, ubi res frugifera ſita eſt: In perſonali autem in loco, ubi perſona obligata domicilium habet. Excipe conſuetudinem aliud poſtulantem. Præterea, ſi creditorem debitor non reperiat eo loco, ubi ſolvere debet, nec ejus Procuratorem, ab eo tempore non cenſetur eſſe in mora.

6 Si creditor oblatum ſibi debitum recipere nolit, conſultum eſt, apud Judicem deponi: Talis enim depoſitio vim habet plenæ liberationis, ita, ut impediat curſum uſurarum, liberet a caſu periculi fortuiti, ſolvat pignora &c.

CAPUT XI.

Quo ordine reſtituendum ſit?

1 SI debita omnia ob debitoris impotentiam reſtitui non poſſint, quæ certa ſunt, præferenda incertis. Ratio: Quia dominis certis ex Juſtitia commutativa proprie dictum jus competit ad debita ſua exigenda; non item pauperibus ad poſtulanda debita incerta, utpote quod ſola lex Eccleſiaſtica præcipit, quæ juri illi, & obligationi naturali nullum præjudicium afferre cenſetur. Excipe: Niſi res aliena in ſpecie extet apud iniquum poſſeſſorem; ea enim pauperibus reſtitui debet, ſi proprio domino non poſſit. Ratio: Quia debitor creditoribus ſuis certis obligatus eſt tantum ex propriis bonis ſolvere, non item ex alienis. Si autem aliquis rem certam ab aliquo injuſte raptam detinet, ejus dominus non efficitur, quamvis verus dominus ignoretur.

Quæ res in ſpecie extant, certis dominis debitæ, V. C. ex commodato, locato, furto, &c. item, ſi res empta apud debitorem in ſpecie extet, nondum ſoluto pretio, certis dominis reſtituendæ ſunt; cum reliqui creditores nullum in iis jus habeant.

2 Qui accepit facultatem vendendi, V. C. Miniſter, Procurator, non ideo emptori fidem habere poteſt de pretii ſolutione. Idem dicendum de Curatore Minoris, vel Eccleſiæ. Quare, tametſi hi emptoris fidem de pretii ſolutione ſecuti ſint, tamen rei venditæ dominium emptori acquiſitum non eſt: Conſequenter Eccleſia, fiſcus, Minor, jus prælationis habebunt, ut vel res in ſpecie extans ipſis reſtituenda ſit, vel pretium ante alios omnes creditori ſolvendum.

3 Impenſa funeris, apertio teſtamenti, Medicorum honoraria, & pharmacopolii (adde merces famulorum, ad neceſſarium uſum conductorum) pretia ante alia defuncti debita ſolvi debent: Quia ejuſmodi debita, adeo neceſſaria, non cenſentur eſſe contracta in fraudem antecedentium creditorum, & alioquin nemo reperiretur, qui indigentibus talia ſubminiſtraret, ſi de ſolutione certus non eſſet.

4 Creditores hypothecarii præferuntur iis, qui ſolam debitoris perſonam obligatam habent, id eſt, chirographariis: Quia, ut Pomponius ait, Reg. 25. ff. *plus cautionis in re eſt, quam in perſona*.

5 Inter ipſos hypothecarios creditores, in eodem pignore concurrentes, Regula Juris 54. in 6. locum habet: *Qui prior tempore, potior jure*. Ratio: Quia pactio, & obligatio poſterior non poteſt tollere jus alteri ante in re quæſitum: Nec refert, an hypotheca ſit ſpecialis, an generalis &c.

NB. Sunt Caſus certi, in quibus ſingulari Juris privilegio creditor hypothecarius poſterior antiquiori præfertur. 1. Qui pecuniam credidit ad emptionem prædiorum, ædificationem ædium, atque jus pignoris ſibi in iis pactus eſt, præfertur antiquioribus hypothecariis. Ratio: Quia talis creditor cauſam pignoris præbuit. 2. Qui ad conſervationem ædium alteri priori creditori ſpecialis hypothecæ nomine obligatarum pecuniam credidit, illi præfertur. 3. Qui pecuniam credidit in conſervationem navis, & mercium, atque jus pignoris ſibi in iis conſtituit, præfertur. Ratio: Quia *hujus* poſterioris creditoris *pecunia ſalvam fecit totius pignoris cauſam*, quandoquidem per eam pignus ſervatum fuit. 4. Bona mariti tacite obligata ſunt uxori, ejuſque liberis pro dote, adeo, ut aliis creditoribus etiam prioribus, habentibus tacitam hypothecam, non privilegiatam, præferantur: Non item habentibus priorem hypothecam expreſſam. Ratio: Quia lex non intendit mulieri privilegium dare cum præjudicio, ac damno eorum, quibus ex propria conventione jus acquiſitum eſt, ſed eorum tantum, quibus jus hypothecæ legum privilegiis abſque propria eorum pactione conceſſum. 5. Si ex pecunia pupilli res aliqua comparata fuit, in ea tacitam hypothecam acquirit, & Juris prælationem. Quin & utilis eidem vindicatio competit, ſi tutor proprio nomine ex pecunia pupilli rem aliquam comparavit. Quod idem de milite ſtatutum reperitur, ſi alius ſuo nomine ex pecunia illius quippiam emit. Idem locum habet, ſi ex pecunia Eccleſiæ ab ejus adminiſtratore res aliqua comparata fuit. NB. Quia Eccleſia in iſtis æquiparatur Minori, juxta Abb. *Eccleſia jure Minoris debet ſemper illæſa ſervari*. 6. Si privatus quiſpiam generalem accepit hypothecam in bonis alicujus acquiſitis, & acquirendis, & poſtea ſimiliter fiſcus; tunc, licet privatus fiſco præferatur in bonis, quæ ante poſteriorem fiſco obligationem acquiſita ſunt, contra tamen fiſcus præfertur in iis bonis, quæ debitor poſt ſecundam illam obligationem acquiſivit. 7. Inter creditores privatos, quorum unus privata ſcriptura, alter publicis actis, vel Inſtrumento de pignore cavit, præfertur ille, qui publicam hypothecam habet, hoc eſt, in judicio coram Judice datam, vel coram Notario, & teſtibus factam. Idque ſtatutum eſt ob fraudis ſuſpicionem, quæ in privata ſcriptura facile intervenire poteſt. Quare ſi omnis ſuſpicio fraudis abſit, quia prioritas hypothecæ per privatam ſcripturam, aut ſi ſine ſcriptura conſtituta fuit, per teſtes legitime probari poſſit, potior cenſenda eſt, quam poſterior hypotheca, quamvis publica: Quia in litibus exercendis non minorem fidem merentur depoſitiones teſtium, quam publicum Inſtrumentum.

6 Poſt debita realia, & hypothecaria, ſi bona debitoris ſuppetant, ſolvenda ſunt debita mere perſonalia, ſive ex contractu quocunque (intellige oneroſum) ſive ex delicto deſcendant. Ratio: Quia neque Jura exprimunt, neque ratio aliqua convincit,

inter

inter creditores ex contractu, aut delicto prærogativæ locum eſſe, cum utriuſque generis debita æqualiter ex juſtitia ſint.

Sunt tamen aliqui creditores, qui Privilegiati dicuntur, quia ex Juris privilegio totum debitum ſuum poſtulare poſſunt, antequam alii creditores, chirographarii non privilegiati, admittantur. 1. Reſpublica creditrix. 2. Qui pecuniam depoſuit apud Depoſitarios Reipublicæ (ita, ut depoſitum tranſeat in contractum mutui, poſteaquam pecunia conſumpta eſt). 3. Qui ad navem extruendam, emendam, pecuniam credidit; idque ob ſpeciale privilegium favore navigationis maritimæ, Reipublicæ valde commodæ, conceſſum.

Si, poſtquam privilegiatis creditoribus integre ſatisfactum fuit, adhuc bona aliqua debitoris ſuperſint, reliquis perſonalibus creditoribus ſolutio facienda eſt pro rata, ſive ſecundum proportionem debitorum, nulla habita ratione, utrum tempore priores, an poſteriores ſint. Unde, ſi debitor, qui omnibus debitis ſolvendis ſe imparem novit, uni creditorum præ aliis non privilegiato, neque exigenti, neque valde indigenti, ideoque nulla ſuadente neceſſitate integrum debitum ſolvat, in fraudem aliorum agere, & injuriam inferre cenſetur; nihilominus tamen creditor jure retinet, niſi in fraudem aſſecutus ſit, ſimulando V. C. gravem inopiam, vel ſi ab invito extorſerit, cum eo loco res eſſent, ut bonis cedere vellet.

7 Si unus creditorum ante alios, quamvis privilegiatos, ſed nullam hypothecam priorem habentes, debitum ſuum exigat, ei ſolvi poteſt, antequam bona Judicis auctoritate occupentur: Etenim creditor ille vigilando, exigendoque meliorem ſuam conditionem fecit; nam Jus civile vigilantibus ſcriptum eſt. Quod ſi unus creditorum gravi inopia prematur, poteſt lege charitatis huic totum debitum ſolvi, priuſquam bona Judicis authoritate poſſideantur.

Denique; ſi debitis gravatus aliquid expendat ad comparationem, aut conſervationem eorum, quæ neceſſaria ipſi ſunt ad vitam, honorem, ſtatum juſte acquiſitum, nullam injuriam creditoribus infert. Sicuti enim talia ſibi neceſſaria, antequam bonis cedat, retinere poteſt, interim dilata reſtitutione; ita etiam, ſi non habeat, ex bonis ſuis comparare non prohibetur. V. C. veſtes, pharmaca, cibos, ad uxoris, & liberorum ſuſtentationem, equos item, & famulos ad ſtatus conſervationem neceſſarios. Et famuli, licet ſciant, dominos ſine creditorum damno alere eos non poſſe, poſſunt ſervire, & petere ſolutionem; quia tunc alii non eſſent defuturi, qui operam ſuam conduci patiantur.

8 Non cenſetur alienatio, vel ſolutio facta in fraudem creditorum, ſi exinde facultates diminutæ non ſint. V. C. Si ære alieno gravatus pro ædibus emptis, & adhuc in ejus dominio exiſtentibus juſtum pretium ſolvat, nullum aliis creditoribus damnum infert: Et ſi famuli, quibus debita merces ſolvitur, tantundem commodi in bonis debitoris afferant.

9 Uxor, & filii (carentes bonis propriis) a marito debitis gravato accipere poſſunt alimenta, ſeu ſuſtentationem neceſſariam abſque reſtituendi obligatione; quamvis maritus ob hanc cauſam familiæ alendæ nova debita contraxerit. Ratio prioris eſt: Quia paterfamilias ex juſtitia obligatus eſt, liberos, & uxorem alere: Ergo hoc ſuum debitum accipere poſſunt ex ejus bonis, nullo reali vinculo obſtrictis. Ratio poſterioris eſt: Quia inopia patrisfamilias non liberat eum ſimpliciter ab obligatione præſtandi alimenta uxori, ac liberis, ſed ſolum obligationem ejus ſuſpendit pro tempore, ac ſtatu durantis impotentiæ. Quare, quemadmodum ſi debitor ſolvendi impotens mutuo pecunias accipiat, ut antiquiori creditori ſatisfaciat, creditor ille nullam obligationem contrahit ob pecuniam ſibi ſolutam, quandoquidem ex ſolutione ejus, quod ſibi jure debitum erat, locupletior factus non eſt, ideoque pecunia tanquam in rem ipſius verſa condici haud poteſt: Ita etiam ſe res habet in præſtatione alimentorum, uxori, ac liberis debitorum.

Regula in praxi obſervanda.

I. Prima regula ſit quod Confeſſarius, dum agitur de graduatione Creditorum, non tam facile fidat ſuæ ſcientiæ, ſed alios etiam conſulat, ſimulque Juriſtas; nam tantæ ſunt in hac materia exceptiones, ſive ex jure communi, ſive municipali, ut facillime poſſit quis errare. Et de facto in quodam caſu, de quo fui interrogatus, ſi valde mea me non fallat opinio; vir communi æſtimatione doctus, non bene ordinem inter Creditores ſervando, cuidam Creditori bis centum nummos aureos non erogandos perperam pronunciavit.

II. Notet Confeſſarius, quod ſi ſuus pœnitens ſciat non poſſe omnibus ſolvere, non poteſt ſua ſponte gratificare Amico, vel Conſanguineo integrum illorum creditum ſolvendo in præjudicium anteriorum, nam tunc clam conſtat contra iſtorum jus fieri. Id ſolent facere Debitores, antequam publicetur non eſſe omnibus ſolvendo, unde id bene perſpectum habeat Confeſſarius.

III. Notet Confeſſarius etiam peccare illum, qui in præjudicium Creditorum accipit aliquid a non potente ſolvere, vel id habeat ex titulo oneroſo, vel lucrativo; & id verum puto cum communiori ſententia, etſi ipſe non inducat ad dandum. Ratio, meo videri, eſt ſatis clara, quia nempe per ſolam acceptionem cooperatur peccato debitoris, & influit in damnum creditorum, adeoque etiam tenetur ad reſtitutionem: *Bonac. diſp. 1. q. 8. p. 2. n. 7. Anton. a Spir. S. diſp. 4. n. 155.* Videat ergo Confeſſarius omnino peccare uxores inducentes Maritum, quem ſciunt impotentem ad ſolvendum, ad expenſas non neceſſarias; immo ex eo ſolum quod aliquid non neceſſarium accepiſſent a Marito, adeoque teneri ad reſtitutionem. Si proinde uxor non habeat dotem unde vivat, nec filii quomodo aliunde ſibi provideant, poſſunt ſolummodo ex bonis Mariti, vel Patris, quæ ad ipſorum ſtatum neceſſaria ſunt recipere, quia non datur obligatio reſtituendi, e proprio ſtatu decadendo. Cæterum ſi quis aliquid accipiat bona fide ab hujuſmodi debitore etiam titulo gratuito, poteſt excuſari a reſtitutione, ſi intra annum a Creditoribus totum non repetatur; neque etenim tenetur reſtituere ex injuſta acceptione, cum acceperit bona fide, neque ex re accepta, cum illam a vero domino habuerit, & aliunde anno elapſo non detur Creditoribus actio ad repetendum: *l. 1. §. quæ in fraud. Credit.*

IV. Cum dixerim leges ſtatuentes ordinem ſervandum in ſolvendo creditoribus, valde probabilius eſſe obligare etiam pro foro conſcientiæ, neſcirem conſulere alicui debitori, vel creditori, ut tales leges, vel communes, vel municipales non obſervaret. Nihilominus, ut verum fatear, ſi jam ab ipſis aliquid factum eſſet contra tales leges, quod tamen eſſet juxta jus commune, ſive jus naturæ, non ſtatim illos in foro conſcientiæ obligarem ad reſtitutionem. Demus e. g. aliquem debitorem, cujus bona non ſufficiunt pro ſolvendo omnibus creditoribus, prius ſolviſſe alicui creditori (non loquor de creditoribus hypothecariis, qui aliquam rem ſibi obligatam habent) perſonali poſteriori, quia fuerit diligentior in petendo, ſive pauperior, quam alii, ego ante ſententiam Judicis poſt tale factum non condemnarem ad reſtitutionem. Ratio mihi eſt, quia, ut vidimus initio ſuperioris capitis, valde probabile quamplures putant tales leges ſolum obligare pro foro externo, & poſt ſententiam Judicis; unde cum probabile ſit licite poſſideri quod ſolutum eſt contra tales leges, dum id non adverſetur juri naturali, ſequitur talem creditorem poſſe perſeverare in ſua poſſeſſione uſque ad Judicis ſententiam, ex illa communi regula, quod nemo ex delicto incerto debet ſua poſſeſſione privari.

Ex præfatis exemplis poſſunt alia inferri juxta doctrinam ſupra explicatam.

CAPUT XII.

De reſtituendi Impotentia.

1 DEbitor reſtituere non cogitur cum graviori damno ſibi, vel alteri inferendo, quam æſtimari poſſit commodum reſtitutionis. Hinc notanda Regula Navarri: *Quotieſcunque dominus, ſive creditor rationabiliter contentus eſſe debet, ut reſtitutio differatur, poteſt etiam differri, licet ille invitus ſit.* Cum ergo creditor debitori, conſtituto in gravi neceſſitate, ex lege charitatis ſubvenire teneatur, ſequitur, quod contentus eſſe debeat, ſi debitor in gravi neceſſitate differat reſtitutionem. 2 Excipe: Niſi creditor ſit in pari gravi neceſſitate; tunc enim melior debet eſſe conditio innocentis, quam nocentis.

NB. 1. Dux belli iniquas rapinas poſſidens non tenetur reſtituere, ſi ob reſtitutionem militia excedere debeat non ſine jactura proprii ſtatus, ac dignitatis, nec fur res furtivas cum periculo publicæ infamationis, carceris, & ſuſpendii, juxta regulam Cordubæ, & aliorum: *Bonum inferioris ordinis reſtituendum non eſt cum detrimento boni ſuperioris in ſuo genere æque gravis.*

NB. 2. Ex juſta dilatione debitæ ſolutionis damnum, & lucrum ceſſans creditori eveniens ipſi omni Jure reſarciendum eſt: Quia iniqua eſſet conditio, ſi debitor ſolutionem debiti in ſuum commodum differre vellet, non ſuſcipiendo in ſe onus reſarciendi jacturam, quæ ex tali ſolutione creditori eveniet: Neque creditor aliter in dilationem debiti conſentire cogitur.

3 Non tenetur aliquis reſtitutionem facere cum detrimento famæ, aut ſtatus juſte acquiſiti, etiamſi debita ſint ex delicto, præſertim incerta; imo (cum obligatio dandi debita incerta pauperibus ex Jure tantum ſit Eccleſiaſtico, ideoque non cum tanta ſeveritate obligans) etiamſi debitor ad meliorem fortunam pervenerit, non tenetur ad reſtitutionem pauperibus faciendam. Ratio: Quia debitor ſpectata qualitate, & conditione ſtatus ſui vere pauper eſt; ideo ex Sententia multorum Doctorum poteſt ſibi ipſi proſpicere, tanquam pauperi: Non enim debitor (ſi pauper ſit) debet eſſe deterioris conditionis, quam alii pauperes. Unde diſtributor eleemoſynarum inter

paupe-

pauperes conſtitutus ſe ipſum connumerare poteſt, ſi vere talis exiſtat.

4 Circa reſtitutionem bonorum incertorum ex delicto cum Summo Pontifice compoſitio fieri poteſt.

5 Qui bonis ſuis ceſſit, non ideo liber eſt obligatione reſtituendi, ſed duo commoda habet. Primo, ut propter debita in carcere detineri non poſſit, cum alias, niſi cederet, poſſit conjici in carcerem, niſi poſſit præſtare cautionem; ea enim exhibita, aut niſi fiſco debeat, aut de fuga ſuſpectus ſit, non poteſt ordinarie in cauſa pecuniaria incarcerari. Gail. Lib. 1. Obſerv. 26. Alterum beneficium eſt, ut, ſi poſtea aliquid acquiſivit, non amplius reſtituere teneatur, quam commode poſſit, ſervatis ſibi alimentis neceſſariis, ſecundum ſtatum, & qualitatem perſonæ; idque in foro conſcientiæ.

NB. Clerici Clericalibus privilegiis gaudentes non poſſunt intrudi in carcerem ob debita: Si tamen Clericus ſimpliciter recuſet, ſe ſoluturum, poteſt a ſuo Magiſtratu incarcerari. Alioquin, ſi non ſint ſolvendo, poſſunt reditus eorum annui aſſignari creditoribus, relictis ipſis alimentis neceſſariis.

Item: Ceſſio bonorum locum non habet, ſi debita ex delicto deſcendant. Ratio: Quia non eſt credibile, Jure civili beneficium Ceſſionis iis tribui, qui potius pœnæ ſeveritatem merentur. Quare in debitis ext delicto locum habet illud l. 1. in fine, ff. de pœn. *Qui non habet in ære, luat in corpore*.

6 Ære alieno gravatus, ſi manendo in ſæculo debita ſe ſoluturum exiſtimet, non poteſt creditoribus invitis Religionem ingredi, quamvis eam voverit. Prob. primo: Cum ſolutio debitorum ſit Juris, ac Juſtitiæ naturalis, injuriam infert, qui abſque neceſſitate voluntarie ſe impotentem reddit ad ſolvendum; atqui talis ingrediens Religionem ſine neceſſitate ſe reddit impotentem ad ſolvenda debita: Ergo. Secundo: Non licet filio V.C. ingredi Religionem, ſi pater in extrema neceſſitate ſit: Ergo nec debitor, cum utrobique ſit obligatio ex juſtitia. Tertio: In Sacris Canonibus prohibetur, ne gravati ratiociniis, ſeu obligatione reddendarum rationum ex officio, priuſquam ſe iis expediverint, ad Religionem recipiantur, non aliam ob cauſam, quam quia Religionis ingreſſus, ſicuti & alia vota, Deo grata non ſunt, ſi in alterius injuriam cedant (*a*).

„ (*a*) Verum ſicut non teneor debita ſolvere cum
„ gravi meo incommodo: ita pariter non credo teneri
„ debitorem perpetuo in ſæculo remanere, ut debita ſua
„ exolvat. Debet ergo tantummodo aliquo tempore
„ differre ingreſſum, ſi ſperet in modicum ſoluturum
„ vel totum, vel partem debiti.

NB Si obſtrictus debitis voveat, ſe Religionem ingreſſurum, differenda eſt executio voti, quouſque debita ſoluta ſint. Ratio: Quia votum, ſicuti & juramentum, non debet eſſe *vinculum injuſtitiæ*. Et poſterior obligatio non poteſt tollere priorem.

7 Si debitis obſtrictus contra creditorum voluntatem Religionem profeſſus eſt, adhuc obligatus manet, adeo ut interdum egredi teneatur; ſicut filius ob cauſam juvandi patrem in gravi neceſſitate. Ratio: Quia promiſſio poſterior Profeſſionis Religioſæ non poteſt præjudicare naturali obligationi, ſive debito antea contracto.

NB. Si pater in extrema neceſſitate poſitus ſit, filius debet egredi Religione: Si autem poſt Profeſſionem pater incidit in inopiam non extremam, poteſt quidem egredi cum licentia, ſed non tenetur. Ratio: Tunc enim quaſi ſpiritualiter mortuus eſt, & ſæculi curis expeditus.

NB. Profeſſio Religionis mariti poſt matrimonium conſummatum ſine conſenſu uxoris ipſo Jure irrita eſt: At vero Profeſſio debitoris facta ſine conſenſu creditorum, licet illicita, & injurioſa ſit, tamen valet. Ratio: Quia V.C. mancipium ſuo domino, & conjux ſuo conjugi obligata eſt ſecundum propriam perſonam, ideo ſe Religioni iterum obligare non poſſunt. At vero debitor ex contractu, vel delicto obligatus non eſt ſecundum perſonam, ſeu in ordine ad perſonalia obſequia; quare Religioni ſe valide obligare poteſt.

Debitor non liberatur obligatione reſtituendi, quia majus lucrum ipſi ceſſabit, quam commodum creditori ex reſtitutione obveniet.

8 NB. Si ingrediens Religionem (debitor) impotens ſolvendi ita comparatus ſit, ut ſpectato ejus ingenio, ac moribus valde difficile ſit, cum a peccatis, quibus implicatus eſt, liberari, niſi relicto ſæculo Religionem ingrediatur, tunc poteſt talis ingredi Religionem, poſthabita obligatione debitorum: Sicut filius, ſi ita comparatus eſſet; non teneretur cum tanto ſuo ſpirituali damno, & periculo in ſæculo manere ad ſubveniendum patri inopi.

Sed quia talis caſus rarus, non facile præſumendus, ideo manet noſtra Sententia.

NB. Ex Eccleſiæ traditione notum eſt, quod in ſponſalibus, licet jurata ſint, hæc tacite cenſeatur inceſſe conditio: Niſi Religionem ingredi poſtea placuarit. Quæ quidem conditio in neutrius injuriam cedit, cum in ea utraque pars contrahentium æquali jure gaudeat. At vero ejuſmodi conditionem in contractibus ſubintelligi: *Reddam tibi pecunias mutuo acceptas, niſi Religionem ingreſſus fuero*; traditio, aut praxis Eccleſiæ non habet. Neque naturalis æquitas talem conditionem patitur; cum ea in ſolum commodum debitoris, in magnum autem incommodum, & gravamen creditoris cedat.

NB. Hæc etiam intelligenda ſunt non ſolum de debitis ex contractu oneroſo, & reciproco, ſed etiam ex gratuita V. C. donationis obligatione. Ratio: Quia, poſtquam liberalis promiſſio acceptata eſt, tribuit jus, & actionem promiſſario: Ergo injuria ei fit, niſi impleatur. Excipe: Niſi promittens non intenderit ſe obligare in eo eventu, ſi Religionem ingredi vellet; Quod in dubio præſumi poteſt.

9 Qui ex furto, uſuris, &c. debitor eſt, ſi ei, cui reſtituendum eſſet, tantundem donet, immemor ſui debiti, non videtur obligatione liberari. Ratio: Quia donum gratuitum, & debitum ex juſtitia inter ſe pugnant; ut indicat Apoſtolus ad Rom. 11. Nec refert, quod debitor ex furto, ſi debiti ſui memor fuiſſet, gratis non donaſſet: Quia actualis diſpoſitio voluntatis, non conditionalis, in contrahentibus attendenda eſt. Limita 1. Niſi fur probabiliter ſibi perſuadeat, quod alter, ſi rem cognitam haberet, debitum exacturus non eſſet, ſed libenter remiſſurus. 2. Niſi obligatio reſtituendi, puta, pauperibus ex Jure tantum Eccleſiaſtico promanet, juxta ea, quæ ſupra dixi; tunc arbitror, dici poſſe, eleemoſynas, quæ cum tali obligatione, quamvis non animo ſatisfaciendi, factæ ſint, tamen ad eam extinguendam prodeſſe poſſe. V.C. Venit Canonicus ad Confeſſionem, qui toto anno Canonicum Officium recitare neglexit, & ideo in pias cauſas 300. aureos reſtituere deberet: Tali obligatione a Confeſſario illi ſignificata, reſpondet, ſe, quamvis hujus obligationis immemorem, his ipſis diebus ſtatuam argenteam Eccleſiæ alicui donaſſe, quæ 300. & amplius aureis æſtimetur; puto, quod Confeſſarius contentus eſſe poſſit: Nam leges Eccleſiaſticæ debent benigne explicari.

10 Si debitor ex delicto, V. C. fur, rem reſtituendam committat Confeſſario, Confeſſarius vero defraudet, aut fugiat, non liberatur primus debitor. Ratio: Quia res quælibet, ſi caſu pereat, domino ſuo perit; debitor autem rei debitæ indeterminatæ, V. C. 10. florenorum ex injuſta venditione adhuc dominus eſt: Ergo, licet ſine culpa, V.C. malitia Confeſſarii, pereat, ipſius id damno accidit, nec aliter cenſetur eſſe contentus creditor.

Quod ſi vero res aliqua in ſpecie debita fuit, ſed juſte V. C. inventa, vel alias bona fide poſſeſſa, tamen intereſt debitoris, ut non ſciatur, reſtitutionem ab ipſo provenire, tunc ſatisfacit, ſi Confeſſario credat reſtituendam rem, licet Confeſſarius defraudet. Ratio: Quia in tali caſu non obligatur, neque ratione rei acceptæ, cum eam non habeat, neque ratione injuſtæ acceptionis, cum ab omni culpa immunis ſit; conſequenter, ſi res pereat, domino ſuo perire debet.

Regula in praxi obſervanda.

I. Sit valde cautus Confeſſarius in impertienda abſolutione illi, qui cum commode potuiſſet reſtituere, nondum tamen reſtituit, licet fuerit in alia confeſſione admonitus de tali obligatione. Nec regulariter credere debet illius verbis, quibus affirmat modo habere firmum propoſitum reſtituendi: nam poteſt prudenter dubitari de tali propoſito, cum non adimpleverit promiſſa jam facta. Præterea qui adhuc retinet alienum, cum poſſet & tenetur reſtituere, eſt in actuali peccato; unde ſi aliquæ extraordinariæ circumſtantiæ temporis, loci, & cauſæ, non ſatis perſuadeant per contrariam voluntatem tale peccatum retractaſſe, non debet illum abſolvere.

II. Non ſtatim acquieſcat, quando pœnitens dicit ſe impotentem ad ſolvendum; nam ſi non poterit totum ſolvere de præſenti, poterit ſolvere partem. Item bene perpendat ſtatum pœnitentis, quando affirmat nullatenus neque in futurum habiturum facultatem ſolvendi. Illum diligenter examinet, an aliquid conſumat in ludis, & in carnalibus peccatis; an aliquid in ſuperfluis commeſſationibus, recreationibus &c., an in ſuperfluo luxu pro ſua perſona, uxore, ſeu familia. Neque refert parum in iis inſumere, etenim ſi id frequenter faciat, quod parum eſt reſpectu unius diei, vel etiam hebdomadæ, multum erit reſpectu unius menſis, & multo magis reſpectu unius anni; unde verificatur

catur defraudare creditores in re gravi. Id ergo attendere debet Confeſſarius, ſed cum grano ſalis, ne ſit nimis rigidus in prohibendis omnibus honeſtis recreationibus.

III. Item non ſtatim conſentiat pœnitenti alleganti tacitum conſenſum Creditoris in dilationem ſolutionis, vel dicenti ex ea nullum incommodum creditori provenire. Ordinarie loquendo, qui conſentit in dilationem, invite conſentit, ne e. g. affligat amicum, ne videatur nimis rigidus cum conſanguineo, vel propter alias ſimiles rationes, optando revera in corde ſuo ubi fieri ſolutionem. Item perraro accidit ex dilata ſolutione nullum provenire incommodum creditori. Si igitur creditor ſit aliquis artifex, vel indigebit ſolutione ob familiæ inopiam; vel ad comparandas res pro ſua arte neceſſarias, quas ſi cogatur emere creditu, nonniſi pretio ſummo poterit obtinere, & fortaſſe ultra ſummum. Si creditor ſit perſona nobilis, vel mercator, ex dilata ſolutione vel non poterit extinguere cenſum, vel reſtituere pecuniam, ratione cujus ſolvit intereſſe, vel aliquod negocium facere &c.

IV. Bene perpendat Confeſſarius ægroti, ipſum non ſatisfacere propriæ conſcientiæ, eo quod juſſerit in teſtamento hæredi reſtituere. Jam dixi unumquemque debere reſtituere ſtatim ac commode poteſt, cum non poſſit ſine injuſtitia alienum retinere, unde debet ipſe per ſe reſtituere. Ex alio etiam capite debet id præſtare, quia nempe experientia compertum eſt multoties hæredes non ſatisfacere injunctæ reſtitutioni, vel nimis differre. Quod ſi ex aliqua juſta cauſa, puta infamia, non poteſt per ſeipſum reſtituere, id ſecreto præſtet vel mediante Confeſſario, vel alia perſona. Solum ergo capax erit abſolutionis, quando tales adeſſent circumſtantiæ, ut nec per ſe, nec per alium poſſet ſatisfacere; tunc etenim ſufficeret hæredi reſtitutionem imponere.

V. Quia debitor ex delicto non excuſatur a reſtitutione facienda etiam cum gravi incommodo, quoties idem incommodum ſubeat creditor, idcirco advertat diligenter Confeſſarius in ſimilibus caſibus non ſolum ad incommodum pœnitentis, ſed etiam creditoris, & ſi iſte ſimile incommodum patiatur, non excuſet debitorem a reſtitutione. Id vero attendendum non ſolum in bonis fortunæ, ſed etiam, & multo magis in bonis alterius ordinis; ac proinde ſi aliquis alterum in fama offendat, tenetur ipſam reſtituere etiam cum jactura proprii honoris, & famæ. Si ex eo quod alter falſo accuſatus ſit, fuit condemnatus ad mortem, tenetur iniquus accuſator manifeſtare veritatem, etiamſi timeat æquale ſupplicium &c.

VI. Debet etiam Confeſſarius eſſe valde cautus in examinando ſtatu illorum, qui vel omittunt, vel differunt reſtitutionem, quia affirmant nihil habere ſuper id, quod eſt neceſſarium decentiæ proprii ſtatus. Facile, ſi id ad diligens examen revocabitur, non eſſe omnino verum reperiet; multa etenim ſuperflua vel in veſtibus, vel in famulatu apparebunt.

VII. Ratione præſumptæ condonationis facile poſſunt excuſari famuli, amici, filii, eſculenta, aut poculenta occulte ſurripientes, quia non audent petere ob verecundiam; nam non ſolet diſplicere Domino acceptio, ſed modus, ſcilicet, quod occulte ſurripiantur. Verum tamen eſt, neque hoc eſſe generaliter verum, maxime reſpectu Dominorum, qui omnibus modis optant locupletari. Attendenda ergo eſt Domini liberalitas, amor erga filios, famulos &c. Item an ex tali ſurreptione domus gravetur, & ex his, aliiſque judicandum, an poſſit præſumi condonatio. Si vero clam nummi ſurripiantur, puto difficiliter poſſe talem condonationem præſumi, niſi ad ſummum reſpectu filiorum, neque hoc ſemper.

VIII. Non raro evenit audire confeſſionem debitoris, qui ſe compoſuit cum ſuis creditoribus, ſed conſcientiæ remorſu agitatur, quia cum devenerit ad pinguiorem fortunam, poſſet modo aliquid de plus creditoribus tribuere. In hoc caſu puto, quod ſi talis debitor ingenue manifeſtaverit ſuum ſtatum creditoribus; unde ab eis aliquam remiſſionem acceperit, non debet Confeſſarius illum ad ulteriorem reſtitutionem obligare, quia illa remiſſio ſine fraude obtenta, rationem habet abſolutæ, & omnino voluntariæ condonationis. Idem dicendum de debitore, qui ſine fraude ceſſit bonis; & ſi aliquid occultavit, illud omnino neceſſarium erat ad ſui ſuſtentationem. Non ita de eo, qui fraudulenter bonis ceſſit; nam ultraquamquod non gaudeat privilegio ceſſionis bonorum, neque illi ſuffragatur quæcumque remiſſio a creditoribus obtenta, utpote fraudulenter extorta.

Illud etiam advertere debet Confeſſarius ea pura ceſſione bonorum etiam per actus ignominioſos non extingui obligationem reſtitutionis, ſed ſolum ſuſpendi uſque ad tempus melioris fortunæ. Lugo *diſp.* 21. *ſect.* 3. *n.* 40. *Anton. a Sp. S. d.* 31. *n.* 1491. *Dian. t.* 6. *tr.* 5. *reſ.* 20. *&* 21. Quod ſi etiam accedat remiſſio creditorum, diſcurrendum eſt ut paulo ante: & ſi aliqui creditores nil remittere voluerunt, in ſtatu melioris fortunæ illis integre ſatisfaciendum eſt, ut bene contra aliquos notat Bonacina *diſp.* 2. *qu. ult. p.* 2. *n.* 9.

IX. Non ſint faciles Confeſſarii in admittendo, tamquam juſtas compenſationes illas, quas multoties ſolent facere famuli, ruſtici &c. Seipſos defendunt dicendo habere ſtipendium valde inferius ſuis laboribus: occupari a dominis in aliis miniſteriis, ad quæ non tenentur; dominum aliquid de plus habuiſſe in partitione frugum, vini, olei &c. Sed hæ rationes ſæpe non convincunt, quia etiam ſtipendium famulatus habet ſuam latitudinem; & ſemper cum eſt intra latitudinem infimi, verificatur eſſe juſtum. Item animadvertere eſt, an alii reperirentur qui etiam neceſſitate non coacti tali ſtipendio contenti eſſent, cum multi ſint, qui vellent ſuam operam locare; an ultro famulatus offeratur, maxime non indigenti, nam ex his omnibus pretium decreſcit. Item animadvertere eſt, an Dominus plura ſubeat incommoda pro famulis, & colonis, ad quæ non teneatur; nam tunc poteſt rationabiliter pro iis velle ſibi correſponderi, aliquid imponendo ultra miniſteria conventa. Denique conſiderandum quid coloni pro ſe conſumant uvarum, caſtanearum &c. nam ex hoc capite poteſt licitum reddi Domino aliquid de plus in partitione exigere. Univerſim ſemper conſideret Confeſſarius non ſtandum eſſe judicio ipſorum, ut apparet ex propoſitione 37. damnata ab Innocentio XI. quæ ita ſe habet: *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte Heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.* Hæc adnotavi etiam agendo de quarto Decalogi præcepto.

X. Ultimo notet Confeſſarius, quod ſi lata fuerit excommunicatio contra illos, qui hoc vel illud furati ſunt, ſeu contra illos, qui furati fuerint, non habet locum, dum quis aliquid occulte ſurripuit in juſtam compenſationem, nam ille vere non commiſit furtum.

TRACTATUS III.

De

DELICTIS.

Obligationes aliæ ex contractu naſcuntur; aliæ ex delicto. Illæ voluntariæ dicuntur, quia libera contrahentium voluntate ſuſceptæ ſunt. Hæ autem appellantur involuntariæ; tum, quia ille, cui damnum injuſte illatum eſt, in id minime conſenſit; tum, quia nec delinquens ſecundum ſe in obligationem conſentit, ſed potius invitus eam contrahit. Nam ſicut reatus pœnæ, ut peccati neceſſario conſequens effectus, involuntarius eſt quodammodo peccanti; ſic etiam ex delictis, quibus iniquum damnum infertur, damnificans obligationem, ſeu reatum damni compenſandi, etſi minime velit, tamen Juris naturalis, ac poſitivi neceſſitatem contrahit.

Cum autem pro diverſitate bonorum, quæ invito eripi poſſunt, triplex homini iniquum damnum inferatur; puta, vel in bonis externis fortunæ per furtum, rapinam, &c. vel in bonis externis honoris per detractionem, &c. vel denique in bonis corporis internis per homicidium, mutilationem, raptum, ſtuprum, adulterium &c. idea de obligationibus inde ortis hoc Tractatu trifariam nobis agendum eſt.

PARS PRIMA.

De Obligationibus contractis ex injuſto Fortunarum damno.

CAPUT PRIMUM.

De Furto.

1 Furtum eſt *acceptio rei alienæ occulta, & fraudulenta*. Dicitur *Acceptio*, ad excludendos incendiarios, &c. *Rei*, etiam Uſus, & Commodati, Depoſiti, invito domino. *Alienæ*, id eſt, ad alterum *jure* ſpectantis. *Occulta*, ad differentiam rapinæ. *Fraudulenta*, ad excludendam extremam neceſſitatem famis, & ſi quis præſumat, dominum non eſſe invitum, aut permiſſurum, ut res ſua contrectetur. Quia *furtum ſine affectu furandi non committitur*. §. placuit, Inſtit. eod.

NB. Si credat aliquis, invito domino ſe rem contrectare, cum volente fiat, non eſt furtum formale, ſed ſolum materiale.

2 Furtum dividitur in ſimplex, & qualificatum. Qualificati ſpecies ſunt: *Sacrilegium*, quod eſt furtum rei ſacræ e loco ſacro, vel non ſacræ e loco ſacro, vel rei ſacræ e loco non ſacro. *Peculatus* eſt furtum rei pertinentis ad fiſcum. *Crimen Plagii*, cum mancipia, aut liberi parentum, adhuc in poteſtate eorum, captivantur, aut abſtrahuntur. *Abigei*, quibus cura eſt alienis inſidiari animalibus.

Item furtum dividitur in manifeſtum, in quo fur deprehenditur; & non manifeſtum.

3 An furtum mortale ſit ex objecto, prudentis viri arbitrio æſtimandum eſt, non ſolum ex quantitate rei ablatæ, ſed etiam ex circumſtantiis perſonæ, cui ablata eſt. Ratio: Quia furti gravitas æſtimanda eſt tum ex damno injuſte illato, tum ex voluntate domini inique ferentis, rem ſuam ſibi auferri; ſiquidem furtum aliud non eſt, quam ablatio rei alienæ, domino ejus rationabiliter invito. Certum autem eſt, ob eandem pecuniæ quantitatem, furto ablatam, majus damnum accipere pauperem, quam divitem, & plus dolere illum, quam valde divitem: Ergo furti gravitas non ex ſola quantitate rei ablatæ, ſed etiam ex circumſtantiis perſonæ æſtimanda eſt.

NB. Materia mortalis eſt, ſi a ditiſſimo mercatore auferas 2. vel 3. florenos, a mediocriter divite 12. vel 15. pazios, ab operario 3. vel 4. a mendico tot nummos, unde uno die ſe aluiſſet.

Nam Marci 12. vidua duo minuta offerens plus omnibus dedit, quando totum victum ſuum dedit: Ergo is, qui abſtuliſſet, peccaſſet mortaliter. Item 2. vel 3. ducati a quocunque ablati, etiam a Rege, ſunt mortale: Quia nemo eſt, juxta communem perſuaſionem etiam Rex, qui non tantam pecuniæ jacturam graviter ferre cenſendus ſit.

Acus a paupere ſutore, vel ſartore ablata eſt mortale, ſi non aliam habeat, unde ſe ſuſtentet. Item per vineam tranſiens, & paucas uvas decerpens a

exiſtem

exiſtens cauſa, ut alii tranſeant; & magnum damnum inferant, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem.

NB. Pœnitens fur etiam examinandus, an ipſi fuerit animus plura furandi, ſi habuiſſet occaſionem: Nam in foro conſcientiæ *non id* ſolum, *quod furto ablatum eſt, attenditur, ſed* etiam *mens furandi.*

Peccat mortaliter etiam contra charitatem, qui aufert domino modicum, ex cujus amiſſione dominus magnam moleſtiam cepit, eo quod ſummopere ea de re delectatus ſit.

4 Actio famoſa non datur adverſus liberos, & uxorem propter honorem matrimonii, nec adverſus famulos, ſi furta ſint modica: Nihilominus, ſi paterfamilias rem furtivam a domeſticis recuperare nequit, poteſt implorare auxilium Judicis, & ſi grandia ſint furta, etiam pœna corporali puniri ſolent.

5 Si uxor, liberi, aliique domeſtici furentur, præſertim eſculenta, poculenta, quæ ipſimet abſumant, major quantitas damni requiritur ad mortale: Quia dominus minus invitus eſt, ut ab his, quam ab extraneo, ejuſmodi ſurripiantur: Vel etſi valde invitus videatur, tamen ſæpe non tam rei acceptæ, quam modi accipiendi, aut ratione finis.

Filius a patre ditiſſimo auferens 3. aureos, non eſt mortalis damnandus. Eadem ratio eſt de Religioſis in domo furantibus eſculenta: Quia non inſtar famulorum, ſed ut filii ex bonis Monaſterii aluntur. Excipe: Niſi per furta modica grave damnum inferant; V. C. ſingulis diebus unam menſuram vini, ubi carum eſt, ex cella vinaria abſumendo; tunc eſt mortale non tantum contra Juſtitiam in genere furti, ſed etiam contra votum paupertatis, ſi Religioſus ſit.

Si pater vere invitus fuit ratione rei acceptæ ſecundum ſe, uxor tenetur reſtituere ex bonis paraphernalibus, filius ex caſtrenſibus. Quod ſi non habeant, poſt mortem patris adferre debent in diviſionem hæreditatis, ſi rei ablatæ quantitas modica non ſit, neque pater ejus reſtitutionem expreſſe, aut tacite remiſerit. Quod ſi domeſtici ſine magna difficultate reſtituere non poſſint, præcipiat illis Confeſſarius, ut extraordinariis officiis, & obſequiis, quatenus fieri poteſt, compenſare ſtudeant.

6 Qui repetitis vicibus modicum quid aufert, denique mortaliter peccare poteſt. V. C. Si a divite mercatore ſingulis diebus auferas unum album uſque ad 60. dies, ultimo die notabile illi damnum infers. Nam opus, quo injuſtum notabile damnum proximi completur, mortale eſt; per ablationem autem ultimi albi completur notabile damnum proximi: Ergo ultimi albi furtum mortale eſt, non ſecundum ſe abſolute, ſed cum habitudine ad furta antecedentia conſideratum *(a)*.

„ (*a*) Notanda eſt hic propoſitio XXXVIII. inter „ damnatas ab Inn. XI. *Non tenetur quis ſub pœna pec-* „ *cati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca* „ *furta, quantacunque ſit magna ſumma totalis.*

Quatuor tamen hic notanda ſunt puncta. 1. Si 30. mercatoribus ſingulis auferas unum pazium, non peccas mortaliter: Quia damnum non grave eſt. 2. Si modica fureris animo ditefcendi, V. C. multas vineas percurrendo, racemorum multitudinem colligas, peccas mortaliter: Quia unicum malignum propoſitum, cujus objectum grave eſt, a culpa mortali non excuſat. Secus eſt, ſi parum abſtuliſti a divite, & conſumpſiſti animo non amplius furandi, & tamen poſtea rurſum fureris: Nam hic non eſt unicum malignum propoſitum manens, ſed revocatum eſt per pœnitentiam, *(b)* Si tamen parva ſæpius furans venias ad damnum valde notabile, V. C. trium florenorum, mortaliter peccabis ratione injuſtæ detentionis. 3. Si per temporum intervalla famulus parum furetur, intra annum 11. pazios, ita, ut intra quatuor annorum ſpatium veniat ad unius aurei ducati quantitatem, non peccabit mortaliter: Quia furta, tanto temporum intervallo repetita, non continent unius, & ejuſdem damni habitudinem; partim, quia dominus non tam invitus eſt in hoc caſu. Quod ſi a pluribus per temporum intervalla abſque propoſito diteſcendi furta fiant, etiam duo, vel tres aurei non ſufficiunt ad mortale. 4. Furans hodie a Titio 6. Crucigeros, a quo etiam ante furatus erat, tamen reſtituit; tunc hoc furtum poſterius non habet ordinem ad furta præcedentia, nec ex illis aggravatur, ſed tantum eſt veniale.

„ (*b*) Si tamen inter iſta furta modicum intervallum „ temporis intercedat, furta hæc ſimul omnia coaleſcere „ credo, adeoque non excuſarem hunc a reſtitutione.

7 Qui in extrema neceſſitate aliquam rem invito domino accipit ad utendum, abſumendum, quatenus indiget, is non furatur, nec peccat; nec aliquid tenetur reſtituere (quandoquidem dominus ejus factus eſt) ſi ad meliorem fortunam deveniat. Ratio: Quia alioquin rerum communium diviſio Jure gentium introducta iniqua foret, niſi ea tacita conditione facta eſſet, ut tamen in extrema neceſſitate omnia communia eſſent. Excipe: Niſi ille in pari eſſet neceſſitate, cui aufertur; tunc enim melior eſt conditio poſſidentis. Quod ſi tu ante ejus neceſſitatem acceperas, potes abſumere. Etiam parentes liberi, & fratres in tali caſu domino; vel creditori præferri poſſunt. Præterea, ſi nec ego, nec dominus in poſſeſſione rei tunc ſumus, cum ad neceſſitatem extremam devenimus, licitum eſt mihi, dominum præveniendo, rem, qua indigeo, capere, atque abſumere. Ratio: Quia in extrema neceſſitate omnia communia cenſentur, ideoque primo occupatori cedunt.

NB. Negans aliquid alicui in extrema neceſſitate conſtituto, licet injuriam inferat, eo quod talia Jure naturali illi debeantur, tamen tranſacta neceſſitate debitum extinguitur. Ratio: Quia talia debita legalia ſolum durant durante neceſſitate.

NB. Probabile eſt, quod dives negando eleemoſynam pauperi in extremis, & cauſans mortem per hanc negationem, peccet contra juſtitiam. Ratio; Quia pauper in tali caſu habet jus petendi panem divitis; conſequenter illi injuria infertur denegando, quia contravenitur juri illius.

8 Qui in gravi neceſſitate poſitus a divite, præſertim ante rogato, aufert, non facile peccati mortalis damnari debet: Quia dives, cui aufertur, tunc non poteſt eſſe tam invitus *(c)*. Et S. Ambroſius ait: Quod eſurientium panis ſit, quem dives detinet. Qui in contraria Sententia ſunt, quæ communior eſt, dicunt, quod conſtitutus in gravi neceſſitate non habeat jus propria authoritate rem alienam auferendi: Ergo injuriam infert, ſi accipiat, & dives ex ſola charitate obligatur ad dandum tunc pauperi.

„ (*c*) Cave hic tibi a propoſitione 36. inter damna- „ tas ab Inn. XI. *Permiſſum eſt furari non ſolum in ex-* „ *trema neceſſitate, ſed etiam in gravi.*

NB. Licet ob neceſſitatem gravem fas non ſit rem alienam auferre, tamen rei jam habitæ reſtitutionem differre ob ſimilem neceſſitatem licitum eſt: Quia plus eſt rem alienam auferre, quam debitum non reſtituere: Et differendo rei debitæ reſtitutionem parum adimitur creditori; quod enim differtur, id non aufertur.

9 Si debitum certum, ac liquidum alio modo acquiri non poſſit, fas eſt clanculum accipere, vel occulta compenſatione uti, idque in eadem ſpecie, pecuniam pro pecunia; ob ſcandalum tamen, ne habeatis pro fure, illicitum eſt aliquando. Quod ſi debitum incertum ſit, non poteſt accipi ſine injuria: Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis.

10 Famuli occulta compenſatione uti non prohibentur, ſi liquido conſtet, ſtipendium juſto minus eſſe, ut alio modo conſequi non poſſint. *(d)* Ratio: Quia, ſicut qui mercem V. C. neceſſitate coactus minoris juſto vendidit, in conſcientiæ foro pretii defectum, quem donandi animus non fuit, exigere poteſt; ita etiam famulus ſtipendii defectum. Excipe: Niſi Nobilis, apud quem famulatur, eum ſit promoturus, aut ſi rogatus dominus eum conduxit; tunc conqueri facile non poteſt de ſtipendii exiguitate: Nam ſicut merces, ita & operæ ultroneæ viléſcunt.

„ (*d*) Caute in hoc agendum eſt, & attendenda pro- „ poſitio 37. inter damnatas ab Inn. XI. *Famuli, & fa-* „ *mulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſubripere ad* „ *compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant* „ *ſalario, quod recipiunt.*

11 Pœna furto decreta vel civilis eſt in duplum, aut quadruplum: Vel criminalis, quæ olim arbitraria erat. Hodie vero lege Carolina ob tertium furtum materiæ notabilis ſuſpendium inferri ſolet. Imo juſta poteſt eſſe conſtitutio, ut etiam pro primo furto gravi quis ſuſpendatur; maxime ſi ſit ſacrilegium. Hinc Claudius Saturninus in criminibus puniendis ſeptem conſideranda monet, nimirum cauſam, perſonam, locum, tempus, qualitatem, quantitatem, eventum.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum aliquis ſe accuſat de furto patrato, non ſtatim acquieſcat Confeſſarius audita ipſius quantitate; nam ad dijudicandum de gravitate furti, ex dictis, neceſſe eſt etiam intelligere, ſi Dominus rei furatæ erat dives, vel pauper, ſeu mediocris ſtatus.

Item interroget, an ſi unica vice rem ſurripuerit, vel pluribus vicibus. Si pluribus vicibus, interroget, an ab initio habuerit

intentionem pertingendi ad materiam gravem; nam tunc ab initio ſtatim graviter peccavit, ſicut etiam ſingulis vicibus, quibus levia furtula commiſit. Si vero poſtquam pervenit ad materiam gravem, adhuc proſequatur leves res furari, multi non improbabiliter aſſerunt, quod ſi non habeat animum pertingendi ad novam materiam gravem, iſta nova furtula non ſint niſi peccatum veniale, & non continuentur cum præcedenti materia gravi; quia dum in primis furtulis pervenit ad materiam gravem, conſummatum fuit primum peccatum mortale, unde nova furtula ſunt principium alterius novi peccati, quod non ſit grave, niſi uſque dum perveniant ad materiam gravem. Vel etiam dici poteſt novum furtulum additum quantitati, & furto mortali, ſolummodo leviter augere damnum jam illatum, adeoque non eſſe peccatum mortale: *Paſſer. t. 1. q. 186. n. 480.*, & alii apud ipſum. Si ab initio non habuit animum ad materiam gravem perveniendi, peccabit graviter quando ad eam perveniet. Semper tamen Confeſſarius interroget ſuum Pœnitentem, an crederet ſe peccare leviter, vel graviter; nam ſicut ignorantia poteſt illum multoties excuſare, ita ex conſcientia erronea poſſet graviter peccare, etiam ubi non eſt culpa gravis.

II. Qui damnificarunt emptores minuendo pretium, vel menſuras, ſolent velle reſtituere dando aliquid pauperibus; vel pro Miſſis celebrandis. Animadvertat ergo Confeſſarius communiter docere DD. hujuſmodi reſtitutionem faciendam eſſe ſolitis emptoribus, & civibus, nam ita melius damnum reparatur.

III. Animadvertat Confeſſarius ſæpe ſæpius uxores, & filios res domeſticas ſurripere, dicendo ita neceſſarium eſſe ad decentem veſtitum, moderatos ludos, & honeſtas recreationes. Hi tituli prima facie videntur legitimi; at bene perpendat Confeſſarius, quod dum domeſticæ facultates vix ſuppetunt; dum Domus gravatur ære alieno, & dum multi ſunt filii, & filiæ, uxori aliiſque minores competunt recreationes, & ludi, minor in veſtibus pompa &c. adeoque falſo dicunt ſurripere pro veſtibus ſibi convenientibus, vel pro ludis, & recreationibus, quæ ipſis debentur. E contra ſi injuſte mariti prohibeant convenientes eleemoſynas, aliaque uxori, & filiis debita, non puto debere Confeſſarium illos prohibere a ſurripiendis, quæ ad hujuſmodi ſunt neceſſaria; nam ex ipſorum conditione, & ſtatu conſurgit jus ad hæc obtinenda, quo jure uxorem, & filios privare non poteſt Paterfamilias.

IV. Quamvis ſit certum uxorem, & filim graviter peccare, quoties ſine juſta cauſa ſurripiant notabilem ſummam, nihilominus Confeſſarius antequam obliget ad reſtitutionem, conſiderare debet, an Paterfamilias vere potuerit eſſe invitus ſolummodo quoad modum. Item animadvertat ſi rogatus daturus fuiſſet. Item ſi condonaturus reſtitutionem, poſtquam fuerunt ablata. Hujuſmodi judicium pendet a prudentia Confeſſarii, qui debet conſiderare, ut jam dixi, facultates domus, liberalitatem Patrisfamilias, & ipſius amorem erga liberos, & uxorem. Si vero, his prudenter penſatis, Confeſſarius judicet patremfamilias daturum fuiſſe, ſi fuiſſet rogatus, ſeu condonaturum reſtitutionem &c., tunc liberare poteſt uxorem, & filios ab onere reſtituendi.

CAPUT II.

De Rapina.

1 Rapina eſt *acceptio rei alienæ per vim*. Nomine *rei* intellige non perſonam, nam raptus mulieris eſt crimen diverſum a rapina. *Per vim*, id eſt, violenter; quæ eſt ſpecialis injuria.

2 Vis injuſta alia eſt publica, quæ armis, id eſt, quocunque eorum, quæ corpori nocere poſſunt, palam infertur; item quando dolo malo homo includitur; fœmina, vel puer ſtupratur; Judex in judicando per vim impeditur. Alia privata, quæ ſine armis alio modo infertur.

3 Rapina a furto ſpecie diſtinguitur. Ratio: Quia rapina continet ſpecie diverſam malitiam a furto; nam vim alicui inferre in bonis ſuis ſpecies eſt realis contumeliæ. Quare fieri poteſt, ut aliquis a perſona illuſtri rem exiguam per vim auferat, & ſolum venialiter peccet in genere furti, mortaliter in genere contumeliæ, & e contra.

4 Extorquere aliquid per metum injuſtum rapinæ ſpecies eſt. 1. Quod latro mortis metu intentato accipit. 2. Injuſtæ tributorum exactiones. 3. Si publici Miniſtri aliquid ſibi poſtulent, quod rogati ob metum recuſare non audent; idque dicitur crimen concuſſionis. 4. Si alterum cogas ad inæqualem contractum tecum ineundum.

CAPUT III.

De Tributis, & Vectigalibus, eorumdemque defraudatione.

1 Tributum eſt penſio, quæ ſubditis imponitur, Magiſtratui ſolvenda, ut dignitatem, & onera Reipublicæ ſuſtinere poſſit. Vectigal eſt, quod pro rebus in civitatem, vel Provinciam invectis, vel avectis ſolvitur; alias *Portatorium* vocatur. l. omnibus, Cod. de Vectigalibus. A Summiſtis *Gabella* dicitur. Pedagium vero dici ſolet, quod a tranſeuntibus ſolvitur pro pontis conſervatione, viæ cuſtodia &c.

Tributum (perſonæ impoſitum, quod exiguum eſſe deberet, dicitur *Capitatio*) duplex eſt: Ordinarium, quod certam, & communi lege antiquam præſtationem continet. Extraordinarium, quod propter ſupervenientem cauſam, ſive neceſſitatem extraordinarie imperatur, & dici ſolet *Collecta*, ſeu *Tallia*.

2 Ad juſtitiam tributi, aut vectigalis tria requiruntur: Legitima imponentis auctoritas, cauſa juſta, modus impoſitionis, ut ſecundum cujuſque facultates fiat.

Cur autem vectigalis, & tributi impoſitio inter Regalia numerari debeat, cauſa eſt: Quia Principes ſupremi a ſubditis accipere debent ſumptus neceſſarios; Proreges vero, Duces, & Gubernatores ab ipſis Principibus, a quibus conſtituuntur, & dependent.

Juſta cauſa eſt neceſſitas, vel magna Reipublicæ utilitas, cui alia ratione ſubveniri non poteſt. Et licet ceſſet neceſſitas, tamen ſi neceſſarius ſit theſaurus ad terrorem hoſtium, & propter pericula, manet juſta cauſa exactionis.

3 Etiam iis rebus, quæ ad neceſſarium uſum familiæ invehuntur, vectigal ſtatui poteſt, ubi conſuetudo obtinuit.

4 Tributum directe a ſubditis exigitur: Nam tributum pendere ſignum ſubjectionis eſt, juxta Apoſt. ad Rom. 13. Datur enim Principi ad bonum ſtatum Reipublicæ tuendum, quod eorum tantum intereſt, qui Reipublicæ ejuſdem membra ſunt. Verum ab exteris, & non ſubditis ſolum per accidens exigitur, idque propter jus mercimonii, ſeu negotiationis, quod ipſis in aliena terra conceditur, & propter expenſas pontium, viarum, & ſecuritatis præſtandæ obligationem.

5 Si vectigal, aut tributum juſtum exiſtimetur, ſolvi debet, etſi Officialis per errorem, vel ſimilem cauſam non exigat, juxta Apoſt. ad Rom. 13. Ratio: Quia vectigalis, & tributorum ſolutio fundatur in juſtitia commutativa, ſecundum quam Principi publica onera compenſari debent ab iis, quorum gratia ſuſtinentur. Hoc autem commune eſt debitis illis, quæ ex juſtitia commutativa oriuntur, ut, etiamſi creditor per oblivionem non exigat, nihilominus illi ſolvi debeant. Quod ſi putetur injuſtum, vel ſi de ejus juſtitia non immerito dubitetur, & tributa in non neceſſarios uſus convertuntur, tunc ſolutionem ſubterfugere non eſt illicitum, juxta Molinam, qui etiam admonet, cum tot conditiones ad Juſtitiam vectigalis, aut tributi noviter impoſiti, vel aucti requirantur, non facile in conſcientiæ foro ad faciendam reſtitutionem condemnandos eſſe defraudantes, niſi ſatis conſtet de exactionis juſtitia, ac neceſſitate.

6 Officiales juſſi exigere tributum, de quo dubitatur, an juſtum ſit, parere non prohibentur; ſed Conſiliarii impoſitionem, vel auctionem tributi ſuadere non poſſunt, niſi ejus juſtitiam affirmative cognoſcant.

7 Officiales cum pauperibus quandoque diſſimulare poſſunt.

8 Si princeps, vel Magiſtratus populum tributo injuſto gravet, reſtituendi obligationem contrahit; quod fieri poteſt, minuendo ordinaria tributa.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Confeſſarii, & Conſiliarii Principum debent illos cum omni libertate admonere, quoties videant gravari populos ratione ſumptuum ſuperfluorum. Contra illos ita loquitur S. Th. 2.2. *q. 66. art. 8. ad 3. Tales Reges, ac Principes ad reſtitutionem tenentur, ſicut & latrones, & tanto gravius peccant, quam latrones, quanto periculoſius, & communius contra publicam juſtitiam agunt, cujus Cuſtodes ſunt poſiti.* Moneant eos, perpetuas eſſe non debere novas gabellas, ſed ceſſante, cauſa cujus ratione fuerunt impoſitæ, eſſe removendas, ni alia cauſa emergat. Moneant reſtituere debere, quæ ratione alicujus rei faciendæ exegerant, ſi poſtea non præſtiterunt, ac pro rata ad reſtitutionem teneri, ſi non integre præſtent. Dum agitur de novæ gabellæ impoſitione moneant abſtinendum eſſe quod fieri poteſt a communibus victualibus, nam alias faciendo facile pauperes injuſte gravantur.

II. Etſi Confeſſarius in ea eſſet opinione non dari obligationem reſtituendi ob fraudatas gabellas, videat nihilominus, ne quoad hoc indulgeat Potentibus, qui merces proprias, & aliorum ſine ſolutione gabellarum volunt ſæpe introducere. Oritur ex hujuſmodi abuſu publicum damnum, cum etenim hac ratione gabellarum pretium valde minuatur, hinc eſt cogi poſſe Principes ad novas imponendas gabellas, cum priores non amplius ſufficiant ad onera Principatus ſuſtinenda. Ex novi autem vectigalis impoſitione en commune onus, quod omnes tenentur ſubire ex Potentum multiplici vectigalium fraudatione: ac proinde illos excuſare neſcirem ab hoc publico damno compenſando.

III. Quamvis putem imponi poſſe vectigalia valde moderata ſuper communia victualia, nihilominus non obligarem ad reſtitutionem pauperes, qui ſemel & iterum hujuſmodi vectigalia non ſolverent. Judicare, mea ſententia, debet prudens Confeſſarius non poſſe eſſe mentem Principis, ut reſtituere teneantur pauperes quandoque talia vectigalia fraudantes, ſed potius velle illis indulgere.

§. Unicus.

De Subſidio Charitativo.

9 EPiſcopi, & ſimiles Prælati poſſunt a Clero petere ſubſidium charitativum (ideo ſic dictum; quia proficiſcitur ex charitatis, & unionis vinculo, quod inter Epiſcopum, & Clerum intercedit) ut patet ex ea, cum Apoſtolus, de cenſibus, §. prohibemus, ſumptum ex Concilio Lateranenſi: *Suſtinemus pro multis neceſſitatibus, quæ aliquoties ſuperveniunt, ut ſi manifeſta, ac rationabilis cauſa extiterit, cum charitate moderatum ab eis* (ſubditis) *valeant auxilium poſtulare.*

NB. Si dubium ſit de juſta cauſa inter Clerum, & Epiſcopum, recurrendum eſt ad Superiorem, vel arbitri partium conſenſu ſtatuendi: Non enim Clerici debent nimis gravari.

10 Si Clerici juſta de cauſa petitum ſubſidium conferre recuſent, compelli poſſunt etiam cum Cenſura Excommunicationis: Quia, ut Bellencinus ait, ſi deficit charitas, valere debet poteſtas.

11 Subſidium charitativum eſt onus adhærens Clericis in ordine ad Eccleſiaſticos reditus. Hinc, etiamſi prædia ſint in alieno Epiſcopatu, tamen debentur ſubſidia Epiſcopo proprio; quia eſt onus reale adhærens perſonæ: Unde ſoli beneficiati præſtare coguntur. Quod ſi nullos reditus habeant, etiam non tenentur. Qui habent penſiones Clericales, ſi ſpecialiter exempti ſint, non tenentur, nec qui habent tantum bona patrimonialia.

12 Capitula Collegiata etiam Eccleſiarum Cathedralium ſubſidium conferre tenentur.

13 Monaſteria Regularium non obligantur ad ſubſidium Diœceſano Epiſcopo præſtandum, niſi ratione Eccleſiarum habentium populum, ſeu curam plebis, vel quæ aliquando huic oneri ſubjectæ, poſtea Monaſterio exempto unitæ fuerunt. Prius prob. Quia ſubſidium charitativum eſt de lege diœceſana: Monaſteria autem Regularium exempta ſunt a lege diœceſana Epiſcopi; tametſi ſubdita ſint legi juriſdictionis. Prob. poſterius: Quia nunquam præſumitur, quod talis unio facta fuerit cum præjudicio jurium Epiſcopalium.

14 Epiſcopus ſubſidium charitativum remittere alicui non poteſt in perpetuum. Quia talis renuntiatio cederet in detrimentum Eccleſiæ, aliorumque gravamen, niſi Papa de plenitudine poteſtatis talem exemptionem confirmet. Poteſt tamen Epiſcopus ob juſtam cauſam ſemel atque iterum remittere, quia tunc proprio tantum commodo renuntiat, quod facere non prohibetur: Imo pauperibus Clericis remittere tenetur.

Immunitas a præſtando ſubſidio per præſcriptionem temporis immemorialis cum bona fide acquiri poteſt, præſertim ſi titulus præſumptus, puta, fama accepti privilegii, emptionis, eam comitetur. Si autem nullus titulus adſit, nec ſit fama, quod ab immemoriali tempore non fuerit exactum, tunc non præſcribitur, quippe contra charitatem procedens; quare præſcriptio non haberet juſtam cauſam.

CAPUT IV.

De Crimine falſi.

1 CRimen falſi eſt *perverſio veritatis cum dolo, & alterius jactura*. Ad id tria requiruntur: Veritatis immutatio, dolus operantis, & ut alteri inde damnum proveniat.

2 Crimen falſi variis modis committitur.

Primo: Monetam falſam cudens ſine legitima authoritate, aut adulterans.

Secundo: Teſtamentum, aliudve Inſtrumentum legitimum mutans, ſupprimens, lacerans.

Tertio: Alienas literas doloſe aperiens, legens, cum alterius injuria, vel damno injuſto. Excipe: Si id neceſſarium ſit tempore belli, tunc enim nullus intervenit dolus; item ſi Prælati ſuſpicentur, aliquid mali contineri in literis. Et quamvis peccet, quia alienas literas privatas aperiat; tamen, niſi adverſario oſtendat, non punitur pœna falſi.

Quarto: Qui falſis menſuris, & ponderibus utuntur, vel materiam adulterinam mercibus admiſcent.

Quinto: Alienum partum alicui ſupponens.

Sexto: Falſum teſtimonium proferens, Judicem corrumpens.

P. Layman P. I.

Septimo: Signum adulterinum faciens, vel ſculpens.

Octavo: Qui propoſita edicta dolo malo corrumpit. l. penult. ff. eod. Pœna criminis falſi hodie eſt arbitraria: Olim erat exilium perpetuum cum confiſcatione bonorum.

3 Non eſt licitum amiſſo legitimo Inſtrumento aliud ſimile confingere. Nam hujuſmodi falſationes Reipublicæ perniciofæ eſſe ſolent. Unde legibus ſevere prohibentur, &, cum prohibitio juſta ſit, in conſcientia obligat.

4 Literas laceratas, & in publicum abjectas quilibet colligere, & legere, earumque notitia in ſuum commodum uti poteſt: Quia literæ laceratæ habentur pro derelictis. Lex tamen charitatis obligat, ut V. C. ſi ſecreta ſint, aliis non manifeſtet. Imo, ſi cauſa ſit injuſti damni alteri eventuri ex tali collectione, peccabit contra Juſtitiam.

CAPUT V.

De Monetæ falſatione, & mutatione.

1 NUmmus publica lege conſtitutus fuit, ut rerum omnium, quibus indigemus, æſtimatio eſſet.

2 Nummus, ut legitimus, ac juſtus ſit, requirit materiam, & pondus metalli; ſicuti ſignum ipſi impreſſum indicat.

Fundamentum juſti nummi eſt metalli bonitas, & pondus. Hæc enim ab impreſſa publicæ æſtimationis figura ſignificantur; cui ſigno, niſi intrinſeca materiæ bonitas reſpondeat, falſus nummus erit.

Præterea, quod intrinſecus valor nummi partim ſumatur ex metalli raritate, & naturalibus proprietatibus, V. C. auri, vel argenti puritate, ductilitate, &c. partim vero ex communi hominum apprehenſione, & affectione, maxime aliarum gentium, etiam quibuſcum commercium, ſeu negotiatio eſt.

3 Nummi, ſeu pecuniæ valor, & æſtimatio, alia intrinſeca eſt, ac veluti ſubſtantialis; alia extrinſeca, & impoſititia, quæ, ut vera, & juſta ſit, intrinſecæ correſpondere debet. Quod ſi extrinſeca æſtimatio multum diſcrepet ab intrinſeco valore, injuſta erit, ſaltem materialiter: Quare diuturna eſſe non poteſt, cum ſit noxia Reipublicæ, niſi quod propter occurrentem neceſſitatem ad tempus tolerari queat.

4 Tria ad juſtitiam cauſæ monetæ requiruntur. 1. Legitima cudendi authoritas: Nam monetam cudere eſt Regale. Et pœna mortis in eos decernitur, qui monetam privata coſione formarunt. Cum enim nummus propter publicam utilitatem, & neceſſitatem inſtitutus ſit, non niſi ejus authoritate prodire debet, qui totius Communitatis curam gerit: Nam alioquin innumeræ fraudes orirentur. 2. Materiæ bonitas. 3. Juſtum pondus materiæ; ſicut ſignum nummi indicat.

5 Pecuniarum falſatio pluribus modis contingit. 1. Si quis cudat monetam non habens poteſtatem; Nam talis falſatio continet dolum, & jacturam Principis; quippe cujus jus uſurpatur. 2. Qui cuſtodit materiam adulterinam. 3. Qui de juſto pondere radit, abſcindit. 4 Qui adulterinæ materiæ nummos, V. C. ſtanneos, colorant, ut appareant aurei, vel argentei. Quod ſi publica authoritate nummis mixtum ſit cuprum, illudque temporis ſucceſſu appareat, non eſt mortale illos illinire, ut albiores appareant, dummodo publicam authoritatem habeant totius nummi, & per ejuſmodi tincturam deteriores non efficiantur. 5. Qui falſas monetas ſtanneas pro argenteis expendunt ſcienter, nihil obſtante, quod ante etiam ab aliis decepti fuerint.

NB. Donans alicui falſum thalerum, quem ſcit abuſurum, tenetur ad reſtitutionem, eo quod cooperetur ad multas falſationes inde ſecuturas.

6 Jus monetam cudendi inter Regalia numeratur: Quare illud, tanquam ſpeciale privilegium, Ducibus, Comitibus, Civitatibus, conceſſum, vendi, vel alienari non poteſt, quamvis uſus, & commoditas ad tempus, duos, vel tres menſes, alteri elocari poſſit, tamen cum debita inſpectione; alias (ſi fraus inde) Principalis ad damni reſtitutionem obligatur.

7 Princeps monetarum mutationem facere non poteſt abſque conſenſu Communitatis (Ratio: Quia pecuniæ uſus, & commoditas publica eſſe debet. At vero, *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*. Reg. 29. in 6. Vel ſaltem potioris partis; talis enim

conſenſus (cum impoſſibile ſit omnium omnino conſenſum poſtulare) cenſetur omnium. Excipe caſum publicæ, ac manifeſtæ neceſſitatis.

8 Ingentia incommoda ex monetarum, maxime intrinſeca mutatione, provenire ſolent; præbetur enim anſa arti nummulariæ, ut multi conflando pecunias cum aliorum damno diteſcant, negotiationes, & commercia impediuntur, cenſus, ac reditus perturbantur, occaſio præbetur plurimarum fraudum, ac litium coram judicio, imo ipſi Principes contenti eſſe coguntur, ſi tributi nomine vitiatæ monetæ ſolvantur, quales ex officina prodeunt, &c.

9 Graviſſime peccat Princeps, ſi ob commodum ſuum, & abſque publica neceſſitate monetarum mutationem introducat.

10 Mutatio pecuniæ alia intrinſeca tantum eſt, vel ſecundum intrinſecum valorem, vel de juſto pondere detrahendo, vel deteriorem materiam admiſcendo. Altera tantum extrinſeca, nempe ſecundum æſtimationem extrinſecam, ſi manente eadem materiæ bonitate pluris, ac minoris fiat. Quibus addi poteſt tertia mutatio, quæ eſt ſimul intrinſeca, & extrinſeca.

11 Interdum in obligationem venit certa pecuniæ ſpecies; interdum vero pecunia incerta, ac indeterminata. Exemplum primi. Si alicui mutuos dedi 10. Imperiales, eo pacto, ut etiam in thaleris ſolutio fiat. Exemplum ſecundi. Si alicui mutuos dedi 10. thaleros, æſtimatos tunc 15. florenis argenteis. Nam florenus Rhenanus argenteus apud nos in Inſtrumentis debitorum apponitur, non ut certa ſpecies pecuniæ, ſed potius ut genus, ſeu æſtimatio, ac menſura omnis pecuniæ probæ, ac receptæ. Interdum ſpecies pecuniæ, in qua ſolutio fieri debet, inſeritur cauſa demonſtrationis tantum; interdum æſtimationis tantum; interdum utriuſque. Exemplum primi. Si mutuo dans 15. florenos, V. C. in thaleris, paciſcatur, ut ſolutio etiam fiat in thaleris, nihil ſollicitus de æſtimatione thalerorum, ſed eam fortunæ committens. Exemplum ſecundi. Si 10. thaleros mutuo dans paciſcatur, ut nec minor, nec major numerus thalerorum reſtituendus ſit. Exemplum tertii. Si quis mutuo dedit thaleros, cum pacto, ut totidem omnino thaleri ſecundum ſpeciem reſtituantur, ſicut accepti ſunt.

12 Si moneta mutata ſit tam intrinſeca bonitate, quam extrinſeco valore, tunc alia pecuniæ ſpecies efficitur, quamvis forte nomine cum priore moneta conveniat: Quare novi nummi pro veteribus, qui in obligationem venerunt, ſolvi non debent; quia, cum nova pecunia veteri, quæ in obligationem venit, non æquivaleat, clarum eſt, ejus vicem in ſolutione ſubire non poſſe. V. C. Accepiſti mutuo Imperialem, teneris reddere antiquum, aut ſaltem ſecundum æſtimationem antiqui.

13 Si monetæ ſpecies certo numero in pactionem, vel promiſſionem deducantur, ſuperveniens earum mutatio extrinſeca creditoris commodo, vel incommodo cedit. V. C. Si dedi mutuo 1000. ducatos, eodem numero, ac ſpecie reſtituendos, ita ſolvi debent, nihil obſtante, quod eorum valor extrinſecus auctior fiat, dummodo pactio juſta fuerit; quia intereræ V. C. mutuatoris, qui aureos ad illud tempus auctionis ſervaſſet, vel ſi æquale periculum fuerat tum incrementi, tum decrementi monetarum. Ratio Aſſertionis eſt: Quia, univerſim loquendo, cum certa rei ſpecies debetur, illaque ante moram debitoris (quam ſemper excluſam volumus) auctior, vel diminutior fiat intrinſeco, aut extrinſeco valore, commodo, vel incommodo creditoris id accidit; ut ſi tibi promittam, hunc thalerum Imperialem me daturum, tuo commodo cedet, ſi ejus valor augeatur: Quia *contractus ex conventione legem accipiunt*.

14 Qui certam ſpeciem, vel materiam pecuniæ promiſit, aliam, quamvis extrinſece æquivalentem, invito creditori ſolvere non poteſt, V. C. argentum pro auro: Niſi promiſſa pecuniæ ſpecies perierit, aut acquiri nequeat; tunc alia debet ſolvi; nam *Utile per inutile non debet vitiari*: Vel niſi oſtendatur, nihil intereſſe creditoris, num in hac, an altera moneta debitum recipiat.

NB. Promittens alicui, ſe donaturum hunc aureum, ſi promiſſor ſine culpa deperdat, non tenetur ſtare promiſſis: Quia promiſſor non aliter voluit ſe obligare; ut prudenter præſumitur.

15 Si nulla facta deſignatione ſpeciei, aut facta quidem, ſed numero incerto, quantitas pecuniaria in obligationem deducatur, & poſtea extrinſeca monetarum mutatio fiat, ea commodo, vel incommodo debitoris accidit; quia tanto pauciores, vel plures nummos ſolvere cogetur. V. C. Si centum ducatos tibi mutuo dem, hoc ſolo pacto, ut tantundem in proba moneta reſtituas, extrinſeca auctio, vel diminutio proderit, vel oberit debitori. Probatur primo conſuetudine Imperii, ſecundum quam creſcentibus monetis ſecundum valorem extrinſecum tantum debita pecuniaria omnia minore monetarum numero ſolvuntur. Quomodo Ferdinandus I. Anno 1559. in Comitiis Auguſtæ florenum aureum, 18. pazios valentem, ſine ſui intrinſeca mutatione 3. Crucigeris auxit, & poteſtatem fecit debitoribus, eo valore meliore debita ſua diſſolvendi. Secundo probatur ratione. Nam auctio, vel diminutio pecuniarum ideo decernitur, ut ſecundum eam mercationes, & ſolutiones debitorum fiant. Ergo, ſi decretum æſtimationis juſtum eſt, ut ponimus, ſervari poteſt, ac debet; alioquin, ſi debitor unius V. C. ducati, æſtimati 2. florenis, poſtea ejus æſtimatione aucta ad duos florenos, & duos pazios, integrum ducatum ſolvere deberet, amplius ab ipſo exigeretur, quam in promiſſionem, obligationemve deductum fuerat.

16 Extrinſeci, ſeu impoſititii valoris mutatio in ſolutionibus debitorum antiquorum attendenda non eſt in his caſibus. 1. Si auctio, vel diminutio extrinſeca facta eſt non per legitimam poteſtatem. 2. Si auctio, vel diminutio valoris conſtituta eſt quidem publica lege, ſed non ut ſtabiliter, ac perpetuo duratura: Quia Principes ob neceſſitatem V. C. belli mutantes monetas id non faciunt, niſi quatenus neceſſarium eſt ad præſens periculum pellendum, non autem cum gravi præjudicio, & damno eorum creditorum, quibus veterum obligationum jus quæſitum fuit. 3. Si notabilis auctio extrinſeci valoris monetarum introducta eſt propter intrinſecam diminutionem aliarum minutiorum pecuniarum.

17 Mere extrinſeca auctio monetarum lege juſta, & ſtabili nunquam conſtitui poteſt, ita, ut ſit magna, ac valde notabilis. Si enim monetæ, ut ponimus, juſto metallo ac pondere cuſæ ſunt, non eſt ratio, cur earum valor multum excreſcat, ſi in monetis nulla intrinſeca depravatio fiat.

18 Si valor monetarum extrinſecus creſcat in manu Depoſitarii, Adminiſtratoris, aut cujuſcunque poſſeſſoris, ordinarie tale augmentum non ad ipſum, ſed ad dominum pecuniarum ſpectat. Ratio: Quia id augmentum eſt quoddam accidens monetæ: Ergo ejuſdem eſſe debet, cujus eſt moneta; quemadmodum etiam decrementum valoris, ſi contingeret, ad eundem pertineret. Unde, ſi ex gazophylacio alicujus Eccleſiæ alicui detur pecunia ad cuſtodiendum, ejuſque pretium poſtea augeatur, reſtituenda eſt pecunia ſecundum valorem temporis, quo reſtitutio fit. Excipe: Niſi Adminiſtrator jus habeat pecunias elocandi in cenſum; tunc enim ipſemet in cenſum accipere poteſt, ut pecuniarum dominium acquirat cum obligatione reſtituendi ſuo tempore Capitale una cum annua pecuniaria penſione ſecundum communem taxationem. Excipe ſecundo: Si Adminiſtratori tali lege tradatur pecunia, ut ipſe omne periculum etiam caſus fortuiti præſtare teneatur; tunc contractus tranſit in mutuum, dominiumque pecuniarum tranſit in ipſum accipientem, impoſita ipſi obligatione perſonali, ut eandem quantitatem pecuniarum tempore conſtituto reſtituat. Quo caſu augmentum, ſicut & decrementum valoris pecuniæ ad ipſum pertinere videtur.

Porro in Adminiſtratoribus Eccleſiarum, Tutoribus &c. etiam hoc bene notandum eſt. Si illi nollent ſperatum pecuniarum augmentum ad Eccleſiam, vel pupillum pertinere, deberent plerumque pecunias in cenſum elocare, vel ad negotiationem dare. Si igitur id non faciant, æquum eſt, ut augmentum pecuniæ ipſi Eccleſiæ, ſeu pupillo relinquatur.

19 Si mutatio monetarum facta eſt in bonitate intrinſeca, videlicet in materia, attendendum eſt tempus contractus, non ſolutionis. Id eſt: Debita pecuniaria ſolvenda ſunt ſecundum bonitatem monetarum, quam habuerunt tempore contractus. Ratio petitur ex natura juſtitiæ commutativæ; id enim juſtum eſt, ut in omni debito tantundem, ea ſpecie, genere, & qualitate, ſeu bonitate, ſolvatur, ſicut in obligationem deductum eſt.

20 Promittens, aut legans pecunias cenſetur intelligere de talibus, quales uſitatæ ſunt tempore diſpoſitionis, aut promiſſionis.

NB. L. 5. ff. de rebus creditis, recte dixit Pomponius:

ponius:

ponius a *In contrahendo quod agitur, pro cauto habendum eſt: id autem agi intelligitur, ut ejuſdem generis, & eadem bonitate ſolvatur, qua datum eſt.*

21 Pro bona moneta mutuo data non tenetur creditor aliam intrinſece deteriorem recipere. Si enim creditor accipiat 1000. bonos denarios, quales dederat, comparabit decem ulnas panni: Sin vero deteriores accipiat, tantum novem ſibi comparare poterit. Si autem hos cum bonis, quales dederat, permutare, ſeu cambire voluerit, non mille ipſi dabuntur, ſed ſolum nongenti.

22 Si intrinſeca imminutio monetarum, & conſequenter extrinſeca auctio aliarum bonarum pecuniarum modica ſit, ejus mutationis conſideratio nulla eſſe debet. Probatur ex generali conſuetudine. Conſtat enim, in plerisque Europæ Provinciis veteres monetas aureas, & argenteas melioris materiæ, majoriſque ponderis olim fuiſſe, quam quæ poſtea in earum loco conſtitutæ ſunt, & tamen cenſuum, ac prædiorum oppigneratorum redemptiones his ipſis aliquantulum levioribus monetis abſque creditorum querela fieri ſolent.

23 Quod ſi vero intrinſeca mutatio talis immodica, & valde notabilis ſit, creditor non tenetur in tali moneta antiqui debiti ſolutionem recipere. V. C. Anno 1600. Titius mille thaleros mutuo dedit Cajo, quorum ſinguli eo tempore æſtimabantur 18. paziis, & conficiebat hæc ſumma argenteos florenos 1200. Poſtea vero propter deteriorum monetarum frequentem procuſionem thalerorum bonorum, cujuſmodi accepti erant, valor multum auctus fuit, ut Anno 1620. vel 1625. quo ſolutio facienda erat, quatuor thaleri, licet intrinſece non meliores, ſed potius deteriores cudantur, extrinſeca tamen taxatione æquivaleant quinque thaleris datis tempore contractus. Hoc caſu Cajus debitor ſecundum præſentem monetarum valorem ſolvere vult tantum thaleros 800. Sed Titius quæſtus de iniquitate ſolutionis eam recipere recuſat. In hoc caſu ſecundum Jus Cæſareum pro creditore pronuntiandum. Ratio ſumi debet ex monetæ eſſentiali conſtitutione, complectente duas partes, quarum prior habet ſe ut materia, ac fundamentum, videlicet bonitas; altera ſe habet ut forma, videlicet character, ſeu ſignum æſtimationis materiæ, publica poteſtate, ac ſtabili lege impreſſum. Quo poſito ſic argumentor: Naturalis ratio juſtitiæ, Gentium, ac Cæſarea Jura poſtulant, ut in omni mutuo tantundem eodem genere, ac bonitate, adeoque æquivalens reddatur ei, quod datum fuit; dati autem fuerunt ante annos viginti thaleri mille, quibus tempore ſolutionis 800. non æquivalent, ſeu eandem bonitatem, æſtimationemque juſtam non habent: Ergo non ſatisfit creditori reſtituendo ipſi thaleros octingentos. Major eſt certa. Minor probatur. Olim enim valebat thalerus crucigeros 70. vel 71. nunc autem 90. Atqui noſtrates crucigeri 90. ſecundum veritatem (non enim loquor de extrinſeca fictitia ſpecie) & ſubſtantiam non plus valent, imo minus, quam ante annos 25. crucigeri 70. Ergo neque thalerus ſecundum veritatem plus jam valet, imo vero minus, quam valebat tempore mutuationis. Quamobrem neque in ordine ad commutationes melior, ſeu utilior eſt thalerus, quam erat ante annos 25. cum certum ſit, rerum omnium pretia ſimul cum pecuniarum mutatione augeri, iiſque creſcentibus accreſcere. Confirmatur doctrina. Eſt enim communis Doctorum Sententia: Si notabilis mutatio pecuniarum fiat, ſolutionem debitorum faciendam eſſe ſecundum æſtimationem, & valorem pecuniarum, qui erat tempore contractus. Hæc autem mutatio, quæ intra viginti annos accidit, intrinſeca, atque notabilis eſt. Cuduntur enim pazii longe deteriores, quorum quatuor vix æquivalent tribus antiquioribus, quales in mutationis contractum venerunt. Adde: Quod hæc depravatio pecuniarum originem non habeat ab ulla Imperiali Conſtitutione, ſed improba fœneratorum negotiatione, introducta per abuſum, interim toleratur, donec pecuniarum generalis reformatio in Imperii Romani Comitiis fiat. Unde hoc argumentum ſumere non licet a quarundam Provinciarum, & tribunalium conſuetudine, quæ facti tantum eſt, non Juris; cum non habeat legitimam originem, nec communem populi conſenſum, ſed quotidianam querelam. Et quod in quibuſdam locis pro creditore non judicetur contra debitorem, cauſa eſt, non quia id juſtum non ſit, ſed quia ob litium multitudinem non expediat; donec generalis de hac re Conſtitutio fiat: Præterquam quod judicibus Sententia Molinæi, & aliorum paucorum, quamvis contra communem ſit, tamen probabilis, & pro praxi judiciaria expeditior videri poſſit. Nos autem, abſtrahendo a praxi, quam ſicuti nec probamus, ita nec omnino damnare audemus, diſputamus hic, quid juſtum ſit, ſpectatis legibus Cæſareis, & ſpectata inſtitutione, & fine nummi.

24 Magnus, ſeu immodicus extrinſecæ taxationis exceſſus ſupra juſtum valorem intrinſecum monetarum, tanquam ſtabiliter duraturus, conſtitui, aut introduci non poteſt. V. C. Ante annos 40. cuſus fuit thalerus 17. paziorum; non potuiſſet anno ſequente conſtitui, ut valeret pazios 22. cum dimidio, niſi ad tempus aliquod, propter neceſſitatem: Alioquin fuiſſet injuſta lex, ſeu taxatio nummi. Sed mutatio valoris pecuniarii temporis ſucceſſu paulatim introducitur, ferme propter intrinſecam monetarum præſertim minutiorum aliquam depravationem.

NB. Si a 200. annis ſine populi contradictione paulatim introductum fuit, ut 4. thaleri, quæ tunc valebant 4. jam valeant 5. talis mutatio debet cenſeri tolerabilis, quæ nihil obſtaret debitori, quo minus ſecundum præſentem pecuniarum taxationem antiquum debitum ſolveret, idque propter obſervationem diuturnam, ſine populi contradictione ſtabilitam.

25 Si valde enormis, præſertim ut non duratura, monetarum intrinſeca depravatio fiat, &, quod jure conſequens eſt, bonarum monetarum valor extrinſecus augeatur, extra controverſiam eſt apud Doctores, in antiquis debitis ſpectandum eſſe intrinſecum valorem monetarum, quem habuerunt tempore contractus, ideoque veteres, non novos adulterinos nummos ſolvendos eſſe.

NB. Falſum eſt, quod aliqui Theologi, & Juriſtæ dicunt, quod omnis vis, ac poteſtas pecuniæ in extrinſeca, & impoſititia taxatione conſiſtat, ut nihil, aut parum referat, qualis materia ſubjecta ſit. Cudantur ergo nummi ænei, ferrei, imo coriacei impreſſo illis charactere valoris eodem cum argenteis, & aureis: Eo enim tandem devenire oportebit, ut hoc abſurdum fateantur.

26 Si impoſititius valor monetarum depravatarum, enormiter excedens valorem, & bonitatem intrinſecam, diminuatur, & ad normam veritatis redigatur, conſequenter etiam bonarum monetarum extrinſecus valor comparatione depravatarum decreſcat, extra controverſiam eſt apud Doctores, ſolutionem debitorum faciendam eſſe ſecundum valorem intrinſecum, quem habuerunt tempore contractus, ideoque vitiatos florenos, V. G. quales dati ſunt, non autem novos intrinſece multum meliores ſolvendos eſſe. Hæc aſſertio eadem omnino ratione nititur, qua antecedens: Quia contrariorum eadem eſt ratio contraria. Vide exempla in Authore.

27 Si nihil ſpecialiter expreſſum fuit, contractus quilibet cenſetur inſtitutus ſecundum naturales conditiones ejus. Hæc autem eſt natura contractus mutui, ut tantundem ſecundum genus, & qualitatem reſtituatur, quantum datum fuit. Cum ergo V. C. dati ſint decem floreni cuprei, verba illa in contractu appoſita, ut decem floreni reſtituantur, intelligi debent de monetis cupreis. Si aliud in mente habuit creditor, cur non expreſſit, aut in pactum deduxit? Nam non eſt concedendum, quod tacita, ſeu virtualis conditio fuerit ſubintellecta, eo quod iſtæ conditiones, quæ natura inſunt, expreſſione non indigent. Natura autem mutui poſtulat, ut tantundem ejuſdem generis, ac qualitatis reddatur, pro avena non triticum, ſed avena; ſic etiam pro cupreo floreno non probus, & argenteus, ſed cupreus. Etſi enim hæ duæ monetæ nomine impoſititio conveniant, re ipſa tamen maxime differunt, pluſquam avena peſſima a tritico optimo.

28 Etſi contrahens exiſtimet, plus ſe obligari, quam ſecundum contractus naturam obligatur: Quia interna perſuaſio falſa, naturæ contractus repugnans, non ſufficit ad obligationem, ſed opus eſt, ut in pactum externum deducatur. Si tamen plus exterius non permittat, error ipſi ſuus obeſſe non debet.

29 NB. Valor, & dignitas pecuniæ deſumi quidem poteſt ex utilitate ad mercandum, ſed ea, quæ ſuapte natura ineſt, & non ea, quæ per accidens ad tempus

incidit. Pecuniis autem ſecundum propriam inſtitutionem ita apud omnes gentes comparata eſt, ut, quanto plus bonitatis intrinſecæ habere cenſeatur, tanto magis idonea ſit ad mercandum, & neceſſaria comparanda. Etſi propter extrinſecas circumſtantias, adeoque per accidens contingat interdum, minore pecunia plus comparari, quam alio tempore majore comparari poſſit; non tamen propterea minor pecunia cenſetur æquivalere majori. V. C. Peſtis tempore, pluribus hominibus demortuis, uno thalero tantundem aliquis emere poteſt, quam alias quatuor, aut quinque thaleris: Non ideo tamen, qui eo tempore thalerum alteri mutuavit, poſtea 4. vel 5. exigere jure poteſt.

Creditor curioſus eſſe non debet, in quam rem debitoris pecunia ipſi credita vertatur: Nam, poſtquam pecunia mutuo data eſt, nihil juris in eam habet creditor, ſed in mutuatarii dominium tranſit, ipſiuſque diſpoſitioni, & induſtriæ ſubjacet.

NB. Non ideo pecunia, vel merx pluris æſtimari debet, quod illa mutuatario, hæc emptori ob ejus induſtriam utilis futura ſit.

30 Lucrum ceſſans, vel damnum emergens mutuatori reſarciendum non eſt, niſi in pactum expreſſe, vel tacite deducatur. Eſt communis doctrina, quam explicabo Tract. 4. infra Cap. 16. num. 10.

NB. Si creditor jure agere velit propter mutuandi officium, plus illi non debetur, quam mutuavit: *Contrarium enim eſt officio merces*, aut quævis actio retributionis, tanquam ex juſtitiæ lege debeatur, juxta l. 1. ff. mandati. Sin vero de gratitudine, & æquitatis ratione agatur, poſſunt ad amicabilem compoſitionem deduci, idque ob pacis, & concordiæ bonum, non reſtituendo V. C. pro uno thalero 6. aut 7. ſed pro uno duos, conſideratis rerum circumſtantiis (a).

„ (a) Cave tibi a propoſitione 42. inter damnatas
„ ab Inn. XI. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid*
„ *exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine*
„ *debitum; ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia*
„ *debitum*.

31 NB. Judices Inferiores ſecundum leges, non ſecundum æquum, & bonum, ſicuti ipſis videtur, judicare debent; cum inter jus, & æquitatem interpoſita interpretatio ſoli Principi reſervata ſit. Ratio Aſſertionis: Quia Judex in judicando non poteſt excedere limites ſuæ poteſtatis, ſed judicare debet ſecundum leges, utpote normam, & regulam. Alioquin jacebunt leges, tanta ſapientia, & authoritate conſtitutæ, tanta temporum diuturnitate, & uſu comprobatæ. Et ipſi etiam Juriſtæ, qui ætatem optimam in legum Cæſarearum ſtudio magnis expenſis inſumpſerunt, hujus ſui laboris, & ſcientiæ nullam retributionem non conſequerentur, ſi inſpectis extrinſecis cauſarum circumſtantiis ex æquo, & bono, ſicut Judici videtur, liceat judicare. Id enim quivis alius, in legum ſtudio non exercitatus, modo ingenii acumine, & naturali prudentia polleat, æque præſtare poterit.

CAPUT VI.

De damno injuſte dato.

1 DAmnificatio alia eſt lucroſa, V. C. furtum, rapina: Alia non lucroſa.

Damnificatio non lucroſa aliquando infertur abſque ulla culpa, utpote a non capace culpæ. V. C. Si infans, vel amens domum incendat, navem ſubmergat; vel quia juſta cauſa adeſt damni inferendi, puta, ob publicam vindictam. Item, ſi domus vicini deſtruatur ea parte, qua nondum igne correpta eſt, quando id neceſſarium judicatur ad arcendum ignem, ne latius diffuſus majus damnum inferat. In talibus caſibus nulla culpa damni reſarciendi contrahitur: Niſi, quod Bartolus, & alii ſecundum æquitatem reſponderunt, ſi domus vicina deſtruatur, ne ignis majus damnum vicinis inferat, ab omnibus communiter præſtandum, quorum cauſa accidit; quia ita etiam de mercium jactu ſtatutum eſt.

2 Qui, nullo pacto præcedente, damnum dedit abſque culpa theologica, in conſcientiæ foro ad nullam reſtitutionem obligatur: Secus eſt in foro externo, ubi actio datur, ex L. Aquilia, ex qua de damno dato ad integram ejus reſartionem compelli poteſt. V. C. Si ex ædibus aliquid ejeceris, inconſulto effuderis, ſi canem alligare, candelam extinguere, furnum claudere oblitus ſis; atque exinde damnum alteri evenerit: Item, ſi vel mancipium, vel beſtia damnum dederit abſque domini culpa, ut nihilominus damnum ab ipſo (ſed non ante Judicis ſententiam) compenſandum ſit, vel mancipium, aut animal noxæ dandum; unde & actio noxalis dicitur. Aut enim obligatio aliqua ex legum civilium conſtitutione, aut ex pacto antecedente tacito, vel expreſſo orietur. Non primum: Quia leges illæ, ad cives cautiores reddendos inſtitutæ, in ejuſmodi damnis reſpiciunt ad omiſſionem cautionis, ac proinde quaſi pœnales ſunt, quibus hoc commune eſt, ut ante Judicis ſententiam non obligent. Idque in noſtro caſu patet: Quia poſt mortem eorum, a quibus, vel in quorum domo damnum datum eſt, actio adverſus hæredes non tribuitur, niſi lis ante conteſtata fuerat, juxta l. inde Neratius, §. hanc actionem, ff. ad l. Aquiliam.

3 Quod veró ad alterum attinet: Suppono hic, nullum pactum interveniſſe: Si enim intervenit, negari non poteſt, damnificantem obligari ex culpa mere civili, ad quam præſtandam juxta cujuſque contractus naturam ſe tacite, ac ſponte obligavit, V. C. Commodatarius ad leviſſimam etiam culpam, Conductor ad levem, precario accipiens non niſi ad latam culpam, ſive dolum. Non enim audiendi ſunt Sotus, Toletus, qui ajunt, contrahentem non obligari ad reſtituendum damnum ſua culpa datum, niſi ea mortalis ſit. Qua ratione omne commodandi officium intercludimus; ſiquidem nemo facile reperiretur, qui V. C. commodare velit, ſi Commodatarius in conſcientia obligatus non ſit compenſare damnum, quod per ejus negligentiam, ſecluſo peccato, eoque mortali, illatum fuerit. Quinimo, ſi pactum ſive expreſſe, ſive tacite, ſecundum legem, aut conſuetudinem loci interveniat, ut V. C. nauta, vel caupo teneatur de damno, vel jactura rerum, ſine ulla ſua culpa accidente per ſervos ſuos, tunc in conſcientiæ foro etiam ante Judicis ſententiam obligatio orietur.

Quod ſi vero damnum per culpam theologicam, adeoque formaliter injuſtum illatum ſit, omni Jure compenſandum erit: Quare hæc obligatio etiam ad hæredes tranſmittitur ante conteſtationem litis, ſecundum Jus Canonicum, & naturale. Intervenit autem culpa theologica, & proprie dicta injuria, ſi vel ex directo propoſito abſque juſta cauſa damnum inferas, vel perſpecto inferendi periculo actione non abſtineas, cum poſſes, ac deberes abſtinere.

4 Qui damnum alteri intulit per culpam venialem, quia non ſatis conſideravit, is ſecluſo pacto damnum reſarcire debet non integrum, ſed ſecundum proportionem culpæ. Prior pars prob. Quia altera radix, unde reſtituendi obligatio oritur, eſt injuſta acceptio, vel læſio; qui autem per venialem injuriam infert damnum, is injuſte lædit: Ergo reſarcire debet, & quidem, ut arbitror, ſub mortali, ſi materia reſtituendi notabilis ſit. Conſtat enim, mortaliter peccare eum, qui notabilem quantitatem ex juſtitia reſtituere obligatus ſine juſta cauſa intermittit. Poſterior pars prob. Cum enim injuſta damni illatio cauſa reſtituendi exiſtat, conſequens videtur, ſecundum quantitatem injuriæ, tanquam cauſæ, oportere eſſe reſtitutionis effectum.

Interim fateor, Leſſii, & aliorum Sententiam eſſe tutam, & probabilem, damnificantem injuria tantum veniali, ob actus imperfectionem, ſecluſo pacto, ad nullam reſtitutionem teneri; propterea quod damna ex levi ejuſmodi inconſideratione, quæ facile intervenit, provenientia, caſui potius, quam culpæ adſcribi ſoleant.

PARS

Digitized by Google

PARS ALTERA.

De Obligationibus contractis ex injuſta læſione Famæ, & Honoris.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Fama, Honor, Laus, Gloria?

1 FAma eſt *Opinio, ſive exiſtimatio de alterius excellentia.* 2 Hooor eſt *teſtificatio* (exterioribus ſignis) *alienæ excellentiæ animo conceptæ.*

Laus differt ab Honore, eo quod Laut ſolum conſiſtat in verbis.

Gloria eſt effectus honoris, ac laudis. Nam exinde, qnod de alterius bonitate, & excellentia teſtificamur, clareſcit ejus excellentia in notitia plurimorum.

CAPUT II.

De temerario Judicio, Suſpicione, ac Dubitatione.

1 JUdicium, ſuſpicio, & dubitatio inter ſe differunt. Judicium enim eſt firma animi ſententia, ſive aſſenſus. Suſpicio eſt aſſenſus debilis, junctus cum formidine oppoſiti. Dubitatio non eſt aſſenſus, ſed veluti ſuſpenſio animi.

Suſpicio alia eſt levis, quæ valde debilem aſſenſum, multum tamen dubitationis habet. Suſpicio alia gravis, quæ plus aſſenſus, & parum dubitationis habet: Sæpe appellatur *præſumptio vehemens*. Alia dicitur certa ſuſpicio, & violenta, excludens omnem dubitationem, ideoque pertingit ad integram credulitatem ex conjecturis, ſeu indiciis hauſtam.

2 Dubitatio, ſuſpicio, judicium, aliud eſt prudens, quod nititur ſufficientibus indiciis, ſeu conjecturis ad generandam alicui dubitationem de alterius probitate, ſuſpicionem, vel judicium de improbitate. Aliud vero eſt temerarium, & imprudens, quod ſufficientibus indiciis non innititur.

NB. Majora indicia requiruntur ad ferendam contra aliquem ſententiam in externo publico judicio, quam interno cujuſque hominis: Atque in ſoro externo majora indicia, ſive probationes exiguntur ad criminis condemnationem, quam civilis cauſæ definitionem. Unde licet Salomon ex præſumptione violenta (quod enim parentes filios amore proſequantur, veluti naturæ præſumptio eſt) filiolum uni mulierum adjudicarit, alteram tamen tanquam nocentem non legitur puniviſſe.

3 Licet judicium, vel ſuſpicio temeraria, ſicut & hæreſis, blaſphemia, &c. ſint peccata ſubjective in intellectu; conſenſus tamen voluntatis neceſſario requiritur, ut formalem rationem peccati habeant.

4 Suſpicari, vel judicare de proximo, ubi ſufficientia indicia ſe produnt, nec charitati, nec juſtitiæ repugnat. Ratio: Quia proximus jus ſuæ exiſtimationis amiſit comparatione ejus, cui crimen ſufficientibus indiciis cognitum eſt, ſed, cum ſæpe decipiamur, expedit, ut animum extra neceſſitatis, ac utilitatis rationes cohibeamus, & incertis rumoribus in proximi infamiam cedentibus nullam fidem habeamus. Quod ſi neceſſitas poſtulet, V.C. in Prælatis, parentibus, quorum eſt corrigere errores ſuorum, expendere poſſunt, quantum probabilitatis indicia alicujus mali habeant, ut, ſi opus ſit, remedium adhibere poſſint; tamen cautio adhibenda, ne nimia ſuſpicione animos ſuorum alienent, & inquieros teddant.

5 Temere judicare proximum eſt peccatum contra juſtitiam, ſuopte genere mortale. Patet Marci 7. *Nolite judicare &c.* Item Jacobi 4. *Qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi.* Ratio: Quiſque jus habet ad bonam exiſtimationem ſui, donec de eo crimen cognoſcatur, juxta illud: *Quiſque præſumendus eſt bonus, donec demonſtretur malus.* Ergo injuriam infert, qui illum in corde ſuo temere judicat, & damnat.

NB. Ut ſit mortale, requiritur res gravis, id eſt; talis, ut ſpectatis circumſtantiis perſonæ is, de quo ſiniſtre judicatur, ſi ſciret, tale de ſe judicium temere conceptum eſſe, merito gravem injuriam & læſionem ſuæ exiſtimationis cenſeret. Item requiritur perfectio actus; alias veniale eſt.

6 Temere de proximo ſuſpicari, vel de ejus probitate dubitare, eſt ex genere veniale. Ratio: Quia per ſuſpicionem fama parum læditur; nam fama non eſt levis, & ſubitanea bona exiſtimatio, ſed eſt permanens de altero. Siniſtra autem ſuſpicio adeo imperfecta eſt, ut parum imminuat antea conceptam de proximo bonam opinionem, multo minus in animo reponat con-

P. Laym. T. I.

trariam malam famam; quippe cum ſuſpicans facile ſe corrigat, ſi opus ſit.

Quod ſi ſuſpicio ſit de re graviſſima, proditione, inceſtu, & de perſona honeſta, vix accidit ſine odio; ideo mortale fieri poteſt.

NB. Si dubitet de proximi bonitate, licet per ſe veniale ſit, tamen, ſi talem dubitationem exterius ſignifices, V. C. ob id in mores ejus inquiras, potes peccare mortaliter; tamen non prohibetur, ſi dubites V. C. de quodam, ut cuſtodias tua diligenter, filiæ prohibeat, ne cum tali adoleſcente loquatur, eo quod accidere poſſit, ut ab eo ſeducatur.

7 Dubia in meliorem partem interpretanda ſunt negative, ut, quamdiu ſcilicet dubia res eſt, in deteriorem partem ſententia non feratur. Quod etiam in externo foro uſuvenit; nam ſi reus de crimine convictus non ſit, abſolvitur, non affirmando, crimen non admiſiſſe; ſed de eo demonſtratum non fuiſſe, juxta illud: *Quamdiu aliquis non demonſtratur nocens, cenſendus eſt innocens.* Et regula 11. in 6. *Cum ſunt partium jura obſcura, Reo favendum eſt potius, quam actori.* Ratio Aſſertionis eſt: Satius eſt, in dubio frequenter falli bene opinando de proximo, quam male opinando vel ſemel decipi. Nam ille ſpeculative intellectus error, cum circa ſingularia verſetur, exiguum malum cenſetur: Hic autem error practicus eſt, cum voluntatis malitia, & proximi injuria conjunctus; idque propterea, quod in dubio nemo condemnandus, aut poſſeſſione famæ ſpoliandus ſit.

8 *Qui ſemel malus, ſemper præſumitur eſſe malus.* Intellige; in eodem genere delicti, & quamdiu ex indiciis emendatio colligi non poteſt. Ratio: Qui enim ſemel voluntatem deliberate inclinavit in malum peccati, in eodem veluti captus eſt, donec animum mutet, & corrigat. Quod vero animum mutaverit, hoc non præſumitur, ſed probari debet, vel indiciis oſtendi: ſicuti ſi quis ſemel deprehendatur eſſe pauper, non præſumitur eſſe dives, donec id probet, ſeu indiciis demonſtret.

Hæc regula vera eſt, quatenus agitur de cavendo alieno incommodo: Sic, qui fraudulenter tutelam adminiſtravit, etſi ſatisdare velit, a tutela tanquam ſuſpectus removendus eſt.

NB. Et marito ſemel ſævienti non eſt reſtituenda uxor, ob ſævitiam digreſſa, niſi ſecuritas ei provideri poſſit. c. literas. Et ſemel perjurus etiam emendatus non debet admitti ad teſtimonium ferendum. c. teſtimonium. Quod ſi ſciamus, aliquem ſemel mentitum, fornicatum eſſe, de ejus probitate merito dubitamus, donec emendationis ſigna prodat. Nam emendatio eſt quid facti; factum autem in dubio non præſumitur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Advertant Confeſſarii Virorum timoratorum, qui nimis torquentur ſcrupulis propter judicia, quæ putant temeraria, raro hujuſmodi Viros graviter ſaltem peccare. Primo, quia quamvis ipſis videatur judicare, revera tamen ſemper habent aliquam formidinem de oppoſito, unde non perveniunt ad judicium. Secundo, quia licet ipſorum intellectus per aliquod tempus moratus fuerit in expendendo cum plena advertentia motiva, & indicia, quibus videtur inclinari ad prave de altero judicandum, nihilominus voluntas non conſenſit, nec ſimul cum intellectu amplexa fuit tale judicium. Tertio, quia quamvis judicent de aliorum operibus, non reflectunt in eo judicio adeſſe poſſe peccatum, cujus rei ſignum eſt quod ſtatim ac timent ſe poſſe peccare, conantur intellectum a tali judicio removere. Demum quia dum ipſis videtur non poſſe removere intellectum a judicando, de facto non temerarie judicant propter rationes fere evidentes, quas habent.

II. In Suſpicionibus temerariis non ſtatim acquieſcat Confeſſarius, dijudicando nonniſi peccatum veniale interveniſſe ex illa fere communi regula, quod ſuſpiciones temerariæ non excedunt culpam venialem. Videat, an dum ſunt de materia gravi ex odio oriantur, vel invidia; nam tunc ex ſupradictis ſuſpiciones temerariæ pertingere poſſunt ad peccatum mortale: in praxi autem multoties ita ſolet accidere.

III. Bene edoceat Confeſſarius ſuos pœnitentes de modo, quo abſque judicio, & ſuſpicione temeraria poſſunt ſibi a malo præcavere, ſuſpendendo ſcilicet quamcumque ſuſpicionem, & judicium, ſed interea ita ſe gerendo, quaſi damnum immineret, dum agitur ſcilicet de perſonis, quarum probitas non ſit nota. Ita ſi habeam domi aliquem, cujus probitatem ignoro, poſſum ita cuſtodire res meas, quaſi eſſet fur. Si maritus videat aliquem non ſemel circumcurſare ante fores domus, poteſt imperare uxori, & filiabus, ut ſaltem raro ad feneſtras accedant, ſimulque prohibere eas ab illius colloquia; interim tamen poſitive judicare non debet eo ad malum finem tranſire. Ex his facile eſt ad cæteros caſus deſcendere.

CAPUT III.

De Detractione.

1 DEtractio eſt alienæ famæ injuſta diminutio: Vel ſit directe, vel indirecte. Directe quadrupliciter. 1. Imponere alicui crimen falſum. 2. Exaggerare crimen verum, vel falſum. 3. Manifeſtare crimen occultum. 4. Opus rectum ſiniſtre interpretari.

Indirecte tripliciter. 1. Alterius dotes inficiari. 2. Eaſdem elevare, ſive extenuare. 3. Malitioſe reti-

cere; ut ſi aliis hominem laudantibus ſubjicias: *Ego taceo*; aut frontem contrahas. Adde frigidam, & ſimulatam laudationem.

2 Detractio eſt ex genere mortale, gravius furto, minus homicidio. Tanto enim peccatum gravius eſt, quanto majore bono injuſte privat: Atqui, ut Salomon ait Prov. 22. *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*. Accedit, quod ſæpe per detractionem non ſolum ſama proximi lædatur, ſed etiam amicitia, & pax inter homines violetur, quod ſuſurronis peccatum dicitur. Eccleſ. 28. Quod ſi quis per detractionem cauſa ſit damni in corpore, aut bonis fortunæ, cum plures ſint ſpecies, in Confeſſione explicari debent.

3 Detractio ſæpe eſt peccatum tantum veniale vel ob materiæ levitatem, vel ob imperfectionem actus ex linguæ præcipitatione. Niſi enim hoc dicamus, totum genus humanum periclitabitur. De Religioſo dicere, quod ſit aſſuctus mendaciis, eſt mortale; veniale, ſi V. C. de milite, aut homine plebejo dicas, quod fuerit ebrius; veniale, ſi dicas, alium eſſe ſuperbum, avarum, iracundum, &c. quia audientes interpretari ſolent de naturali propenſione ad ejuſmodi vitia. Excipe: Niſi circumſtantiæ accedant, ut exiſtimatio hominis gravius lædatur.

4 Detractio alia eſt formalis, quæ fit cum propoſito nocendi: Alia materialis, quæ ex animi levitate fit ſine directo nocendi propoſito. Utraque eſt ex genere mortalis contra Juſtitiam commutativam; quandoquidem ad damnum injuſte inferendum ſufficit voluntarium indirectum, ac imputativum: Tamen detractio materialis ob imperfectionem actus frequenter eſt venialis. Hinc in Confeſſionibus quærendum, an erga illum, cui detraxit, habuerit odium, aut voluntatem nocendi.

NB. Præterea alia detractio eſt, per quam crimen falſum alicui affingitur: Alia, per quam crimen verum occultum de aliquo producitur. Illa ex genere (quippe mendacium perniciosum) graviorem injuriam continet: Nam, qui pernicioſo mendacio famam alicui detrahit, non ſolum poſſeſſione, ſed quaſi dominio famæ ipſum ſpoliat. Qui autem crimen verum occultum prodit, proprie tantum privat hominem jure poſſeſſionis, non etiam dominii; quandoquidem fama per ſe, & ſecundum veritatem crimіnoſo debita non eſt, ſed per accidens, id eſt, ob publicam ignorantiam. Nam, ſicut probabilis tua ignorantia ſæpe efficit, ut alienum equum V. C. juſte poſſideas, injuriamque infert, qui eum tibi eripit, antequam liquido conſtet, tuum non eſſe; ita publica ignorantia tui criminis efficit, ut juſte apud eos poſſideas bonam exiſtimationem, ſive famam, injuriamque infert, qui eam tibi eripit, antequam publice innoteſcat, tibi re ipſa debitam non eſſe, ſolum ob ignorantiam.

5 Crimen alterius occultum manifeſtare non ſemper eſt illicitum, ſed quibuſdam caſibus conceſſum, & præceptum. 1. Ut conſilium, vel auxilium capias a viro prudente; ſed operam dare debes, quatenus potes, ut id fiat cum minimo damno peccatoris: Nec perſona nominanda, niſi ſit neceſſe. 2. Si opus ſit ad impediendum majus damnum Communitatis, privatæ perſonæ, ipſiuſve criminoſi: V. C. Si homo ineptus ad Parochiam promovendus ſit cum damno animarum; ſi medicus imperitus ad curationem corporis accerſendus; ſi perſona in matrimonium accipienda, unde mali exitus timendi. Prius tamen monendi ſunt nocentes, ſi ſpes ſit, illos obtemperaturos.

NB. Si quis dotem virgini reliquit dandam, quæ publica virgo cenſetur, tu autem illam corruptam noſti, non licet tibi occultam ejus fornicationem prodere. Ratio. Quia virgo illa putatitia nullam injuriam infert dotem petendo: Cum enim publice virgo habeatur, in externa politia omnibus virginum privilegiis gaudet, ut juxta morem patrium ſertum geſtare poſſit; ſimiliter itaque & dotem petere poteſt. Neque alia mens fuit teſtatoris, cum inquirere in occulta crimina valde pernicioſum ſit Reipublicæ. Ficti tamen ſimulatio pauperis accipientis eleemoſynam pauperibus decretam detegi poteſt; quia ſimulatio illius, cum vere pauper non ſit, ut pono, injuſta, & pernicioſa eſt. Quod ſi pauper occulte criminoſus &c. ſi iis eleemoſyna ſit decreta, qui nulla infamia laborant, non ſunt prodenda occulta eorum crimina.

NB. Quotieſcunque jus habes aliquem accuſandi de crimine occulto, quod probari poteſt, tum, ſecluſo odio, fas eſt accuſationem inferre coram Judice competente, eo fine, ut V. C. repellatur adultera a dote, eaque alteri obveniat. Ita potes repellere aliquem a ferendo teſtimonio, vel competitorem tuum a beneficio &c. ut eo excluſo tibi obveniat; uteris enim hac in re jure tuo.

6 Crimen alterius grave etiam uni homini prudenti ſine juſta cauſa manifeſtare mortale eſt: Quia pleriſque etiam hanc jacturam magni æſtimant. Tamen ſæpe culpa minuitur, ſi quis ſolatii cauſa acceptam ab aliquo injuriam amico manifeſtet, quod eam in ſilentio decoquere, atque cum nemine communicare valde difficile videatur.

7 Si ita narretur crimen ex relatione aliorum, ut credibile ſit, audientes non credituros, non eſt periculum mortalis. Quod ſi ita narretur, ut alii credentes ex levitate animi malam ſuſpicionem accepturi ſint, peccatur contra Charitatem, ſed non contra Juſtitiam. Prius prob. Quia duplicis mali occaſionem præbet, tum, quod audientes temere judicando ſcandalum patiuntur, tum, quod alter famæ ſuæ jacturam apud eoſdem incurrit. Probatur poſterius. Cum enim audientes non ex pondere narrationis, ſed ex levitate animi fidem adhibeant, Eccl. 29. narranti tanquam cauſæ adſcribi non poteſt, ut nec ad reſtitutionem famæ obligetur. Quod ſi ita narret, ut narratio ſuopte pondere fidem apud audientes mereatur, vel ſiniſtram ſuſpicionem generet, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem.

8 Crimen in loco, ubi notorium eſt notitia facti (quale eſt, quod ſe ita plurium hominum conſpectui exhibet, ut nulla tergiverſatione celari poſſit) aliis ignorantibus manifeſtare non eſt illicitum. Nam criminoſus cenſetur tunc ſpoliatus jure, ac poſſeſſione famæ ſuæ, quando crimen adeo manifeſtum eſt, ut moraliter impoſſibile ſit, quin in aliorum cohabitantium notitiam deveniat. Eadem eſt ratio, ſi crimen notorium ſit non quidem evidentia facti, ſed publica præſumptione, ſuſpicione &c. V. C. Si dicas, ſacerdotem alere mulierem ſuſpectam, quod multis in vicinia notum eſt.

NB. Crimen notorium, vel famoſum exiſtimatur, ſi in domo ſint octo incolæ, ſufficit, ſi quatuor ſciant. Si viginti contineat, ſufficit, ſi octo crimen perſpectum habeant. In oppido, quod quadraginta domos continet, ſufficiunt decem domus. Si civitas quinquies mille habitatores alat, ſufficiunt triginta per civitatem diſperſi. Si in una ſolum, & alia domo ſciatur, non ad alias partes civitatis oportet divulgare, niſi criminis infamia etiam ad alia loca divulganda exiſtimetur.

NB. Crimen falſum ex relatione aliorum ignorantibus aliis narrare aliquando excuſatur a mortali, alias contra juſtitiam peccatur mortaliter: Quia innocentem infamare injuſtum eſt. Quod etiam facit, qui ex relatione aliorum adjuvat infamantem.

NB. Præterea infamato per vitæ emendationem famam recuperanti injuria infertur, ſi de præterito crimine denuo infametur, utpote jam oblivione obruto. Ratio: Quia ſicut malis moribus infamia facti contrahitur, & fama bona amittitur; ita contrariis bonis moribus infamia facti aboletur, & fama bona recuperatur.

9 Crimen in judicio notorium per Rei confeſſionem, vel teſtium depoſitionem (quod notorium Juris dicitur) non poteſt ſine injuria divulgari. Ratio: Quia tunc ſolum in ordine ad Judicem, ut Reum condemnare poſſit, & nondum in ordine ad populum publicum crimen cenſetur. Quod ſi vero crimen paulo poſt publicandum ſit, tunc gravis injuria non erit, antevertere; imo nulla, ſi ob juſtam cauſam id fiat. Sicut Chriſtus Dominus peccatum occultum Judæ manifeſtavit. Joan. 13.

10 Crimen per Judicis publicam condemnationem notorium etiam in aliis locis ſine injuria evulgatur. Ratio eſt: Quia ſicut Magiſtratus in criminis vindictam Reum corporis, & fortunarum bonis, ita & fama ſpoliandi jus habet, idque re ipſa efficere decernit, quando eum publica ſententia coram populo de crimine condemnat.

Quod ſi crimen ea conditione publicetur, ut tamen ejus notitia inter certos limites, V. C. Monaſterii maneat, injuriatur ille, de quo crimen manifeſtatur.

11 Infamem de uno crimine non licet infamare de aliis diverſi generis occultis, etiamſi minora ſint. V. C. De publico fure fas non eſt prodere occultum adulterium.

12 Laudatæ Communitati, V. C. Regularium Ordini, detrahere grave crimen eſt.

13 Licet detractio erga defunctum minus crimen

ſit,

ſit ; quam erga vivum ; poteſt tamen & illud eſſe mortale. Ratio: Quia mortuus vivit in hominum memoria, ac poſſeſſionem bonæ famæ, & gloriæ retinet, qua ſi illum per injuriam ſpolias, damnum inſers cum obligatione reſtituendi.

14 Auditor detractoris peccat, ſi detractioni conſentiat; ad detractionem expreſſe, vel tacite impellat; detractionem, cum facile poſſit, non impediat. Priora patent ex Apoſt. ad Rom. Poſtremum (contra charitatem) Prov. 25. Pſ. 100.

Elicere crimen occultum rogitando ex curioſitate, & exiguum inde detrimentum cauſare criminoſo veniale eſt. (a)

(a) „ Quæro, an peccet graviter ille, qui ex mea „ interrogatione manifeſtat mihi crimen alterius oc„ cultum? Peccaturum arbitror peccato detractionis; „ cur ergo & ego a peccato excuſabor, ſi per meam „ interrogationem illum ad peccatum ſollicito? Ad„ mitto utique ex imperfectione actus interrogatio„ nem meam fieri poſſe venialem.

15 Se ipſum ſine cauſa infamare non eſt peccatum contra Juſtitiam, ſed ſolum Prodigalitatis ex genere veniale. Ratio: Quia homo eſt dominus famæ ſuæ, quippe quam propriis virtutibus comparavit, ut proinde nemini injuriam inferat, ſi eam prodigat. Per accidens tamen poteſt eſſe mortale, ſi jactes te de crimine mortali, in eo delectando, juxta Pſ. 51. 2. Si crimen tuum manifeſtando propriam vitam in diſcrimen abſque cauſa conjicias. 3. Si criminis infamia cum aliorum damno, & ſcandalo juncta ſit.

Epiſcopus, vel ſimilis perſona publica, injuſte infamata, tenetur ſe defendendo infamiam repellere propter Communitatis bonum.

Regula in praxi obſervanda.

I. Non raro plures ex libellis famoſis, vel epiſtolis, quæ vulgo dicuntur *cieche*, moventur ad inquirenda crimina illius, qui tamquam Reus in talibus ſcripturis accuſatur. Id advertere debet Confeſſarius; nam jure prohibitum eſt ex talibus ſcripturis moveri ad inquiſitionem contra aliquem. Immo eſt contra jus naturale; unuſquiſque enim jus habet, ut contra ipſum non procedatur ſine ſufficientibus indiciis, qualia non ſunt, quando notitia de illius crimine non habetur, niſi mediantibus talibus ſcripturis.

II. Si Confeſſarius velit bene cognoſcere, an gravis, vel levis fuerit detractio, non ſtatim de hoc judicet audito crimine, quod Pœnitens dicit ſe propalaſſe. Bene, ut diximus, poteſt eſſe gravis detractio, etiamſi fuerit propalatus defectus levis, ſi id factum fuerit de honeſtiſſima perſona; vel de aliquo, qui non exiguæ bonitatis haberetur. Poteſt e contra eſſe levis detractio gravis peccati propalatio, quando id dictum fuerit de perſona, cujus famæ notabiliter non officiat. Ut ſi de Juvene ſolito amoribus fœminarum incumbere, dicatur cum fœmina peccaſſe, laborare morbo gallico &c. Semper tamen conſulendum eſt Pœnitenti tacere; raro enim, ut dici ſolet, tacuiſſe nocebit.

III. Debet Confeſſarius increpare Pœnitentem, tamquam Reum gravis detractionis, ſi adhibeat quaſdam generales formulas dicendi, quæ ſolent innuere graves defectus. Hujuſmodi ſe habent illi modi loquendi: *Scit me illum cognoſcere. Scit quid fecerit. Scis me poſſe illum ad tacendum cogere. Nam aſſero bonum non eſſe, ſed ſufficit. Habet domi ſuæ, de quo cogitare debeat, abſque eo quod cogites, & loquatur de me &c.* Hujuſmodi confuſæ loqutiones multoties aliquid pejus faciunt concipere, quam ſi in particulari grave quid diceretur.

IV. Eſt alter modus valde noxius detrahendi, quem omnino corrigere debet Confeſſarius, ſcilicet narrare alienos defectus ut ab aliis auditos. Hinc ſolent aliqui multoties dicere. *Ego ita eſſe non credo, ſolum narro quæ audivi, ille, vel illa &c.* Quamvis ita referens aliquod crimen, aſſerat ſe illud non credere; nihilominus audientes multoties pravum conceptum concipiunt de eo, de quo tale crimen divulgatur, & ita illius infamia, ut dici ſolet, vires acquirit eundo.

V. Solent etiam plures loqui de alterius crimine tamquam jam publico notorietate juris, eo quod aliquis fuerit de ipſo coram Judice accuſatus; & multo magis ſi illud Reus fuerit confeſſus. Verum id tamquam illicitum redarguere debet Confeſſarius, ſemper cum non fuerit etiam notum notorietate facti. Solum ergo ratione notorietatis juris licitum eſt loqui de alterius crimine poſt ſententiæ prolationem; nam tunc volunt Judices publica fieri aliorum crimina ad terrorem malefactorum &c.

VI. Quia ad alterius emendationem licite publicentur ipſius crimina, quando alia non ſuppetat via, ideo in tali caſu bene poteſt denunciari Patri Filius delinquens, Servus Domino &c. Item quia licite ad aliorum malum evitandum manifeſtatur alterius crimen, bene poteſt moneri ille, cum quo habitat aliquis fur, ut ſibi caveat. Item poteſt moneri qui habet ſocietatem cum habente perditos mores, ut illum relinquat, ſi periculum ſit, ut & ipſe pervertatur. Item poteſt infirmus moneri de inſcitia ſui Medici, clientulus de ignorantia Advocati, vel alter de imperitia Artificis, quoties his defectibus non manifeſtatis, poteſt alteri grave præjudicium inferri. Quam maxime etiam Charitas exercebitur, ſi dum videtur aliquis propter ignorantiam ſui Confeſſarii in multis errare, moneatur de illius ignorantia, ne dum uterque cæcus exiſtit, ambo in foveam cadant. Alterius falſa apparentia ſanctitatis non eſt detegenda, quoties non eſt periculum, ut ab illius hypocryſi alii ſeducantur.

Quod ſi ad impediendum malum perſonæ particularis licite manifeſtantur aliorum delicta, quanto magis ad impediendum commune? Immo tunc etiam cum noſtro incommodo eſſent detegenda, ut conſtat ex dictis, dum actum eſt de Charitate. Hac ratione omnino manifeſtanda eſt inſufficientia Medici, Chirurgi, Advocati, Confeſſarii, Concurrentis ad publicum officium, Agrimenſoris &c.: & idem dicendum, ſi quamvis eſſent ſufficientes, malitioſe & perverſe ſuum officium exercerent.

Univerſaliter autem in detegendis aliorum vitiis, eo quod immineat bono communi, vel innocentibus præjudicium, tria ſunt obſervanda. Primum, quod talia vitia ſint omnino certa. Secundum, quod non manifeſtentur pluſquam neceſſe ſit ad alterius damnum præcavendum. Tertium, quod manifeſtatio non fiat ex odio, vel invidia, ut frequenter evenire ſolet inter illos, qui ſunt ejuſdem artis, vel profeſſionis.

VII. Cum tot ſint cauſæ excuſantes ſaltem a gravi culpa audientem detractionem; ideo Confeſſarius moneat ſuum pœnitentem, maxime ſi ſit conſcientiæ ſcrupuloſæ, ne anxius ſit dum audit detrahentem. Suadeat utique illi, quantum poteſt, ut detractionem impediat, ſaltem triſtem faciem demonſtrando; at ipſum doceat ex doctrina S. *Th.* 2. 2. *q.* 73. *a.* 4. omittendo correctionem ex timore, vel ex quadam negligentia, ſeu verecundia plerumque venialiter peccaturum, ſi illi non incumbat ex officio corrigere detrahentem, vel non prævideat grave malum ex detractione ſequuturum. Doctrina autem S. Thomæ maxime attendenda pro ſcrupuloſis, qui neſciunt diſcernere, quando vere adſit obligatio impediendi detractionem, & aliunde valde grave illis eſt ſuperare illam repugnantiam, quam experiuntur, dum putant adeſſe corrigendi obligationem.

CAPUT IV.

De Denunciatione fraterna.

1 DUplex eſt Denuntiatio. Una eſt judicialis, quæ fit apud Superiorem, tanquam Judicem. Hæc duplex eſt: Vel criminalis, quæ publicam vindictam communis boni gratia ſpectat: Vel civilis, quæ privatum intereſſe, ſeu ſatisfactionem intendit. Altera Evangelica, ſeu charitativa, quæ ipſius ſpectat peccatoris emendationem, ut principalem finem. Cujus ſpecies ſunt, denuntiatio Canonica, quæ ſecundum Canonum ſtatuta fit ad impediendum damnum ſpirituale. V. C. Si Clericus denuntietur Prælato, ut deponatur ab officio, quia eſt pernicioſus plebi. Regularis Denuntiatio fit in Religione ſecundum cujuſque Ordinis ſtatuta.

2 Crimen fratris occultum interdum denuntiatur Prælato, quatenus eſt perſona publica, quamvis non judicialiter, & in ordine ad vindictam, ſed ad ſalutarem correctionem. Interdum, quatenus eſt perſona ſingularis, ad paterne corripiendum idonea. Nam cujus eſt ordinare homines ad finem, ejuſdem etiam eſt cognoſcere de mediis, quibus pervenitur ad finem: Quare, cum Prælati debeant Chriſtianos ordinare ad finem ſalutis æternæ, ad eoſdem etiam pertinebit tum præcipere ea, quibus ut mediis hunc finem aſſequi debent; tum vero prohibere, ac tollere ea, videlicet mortalia peccata (per monitionem ſecretam, vel ſi ea non juvet, publicam confuſionem; ſin minus, per ſeparationem veluti putridi membri) quibus a dicto fine excluduntur.

NB. Quædam crimina ſunt notoria; quædam privata; quædam noxia Communitati, V. C. hæreſis, proditio, crimen læſæ Majeſtatis, falſatio monetæ &c. quædam particulariter noxia, ſeu ipſis peccantibus, ut ſodomia; ſive alteri innocenti, ut furtum, adulterium.

NB. Ordinem corrigendi fratrem vide Matth. 18.

3 Crimina notoria ſtatim ad Prælatum deferri poſſunt, nulla alia monitione præcedente. Sumitur ex 2. Tim. 2. *Peccantem coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Ubi Apoſtolus loquitur de publicis peccatis; Chriſtus vero de occultis.

NB. Crimina, quæ Reipublicæ pernicioſa ſunt, licet adhuc occulta, ſi indiciis oſtendi poſſunt, ut denuntiatori fides habeatur, Prælato ſtatim denuntiari debent. Ratio: Quia majus eſt bonum publicum, quod tunc in periculo verſatur, quam ſit privatum bonum famæ peccatoris occulti: Ergo fama ejus negligi debet, ut bono publico ſuccurratur. Excipe primo: Si certa ſpes ſit, peccatum tale occulta monitione impediri poſſe; quia alias peccator ſine cauſa neceſſitatis infamaretur contra charitatis legem. Secundo; Si in aliquo caſu ſufficere videatur, ut crimen occultum Reipublicæ pernicioſum generaliter denuntietur, tunc non eſt exprimenda perſona juxta Regulam; Quod ſervanda eſt fama proximi, quotieſcunque major neceſſitas non urget eam jacetandi. (a)

(a) „ Hæc tamen exceptio fallit in crimine hære„ ſis, quam omnino tenemur denunciare ſuperiori, „ licet futurum ſperetur, ut facta ſecreta correctione reus „ emendetur, quod patet ex decreto S. Inquiſit. co„ ram Alex. VII. die VIII. Jul. 1660.

4 Crimina pernicioſa (non mere præterita) licet occulta

culta

culta ſint, plerumque ſtatim Prælato denuntiari poſſunt, ut caveat, impediat. Tale crimen eſt V. C. furtum, homicidium, ſolicitatio ad turpia. Ratio; Quia naturali Jure quiſque obligatus eſt ad defendendum innocentem ab injuria hominis nocentis, etiam poſthabito aliquo damno nocentis; niſi major famæ, vel vitæ jactura criminoſo timeatur, quam ſit damnum (V. C. exiguum furtum) proximo ex crimine alterius eveniens.

NB. Cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſi alio modo non poſſis teſtium teſtimonium infirmare, potes etiam occultum crimen, V. C. perjurii, &c. ſignificare. Idem dicendum de aliis criminibus occultis proximi, ceſſuris in tuum proprium detrimentum, quod alio modo tollere non potes, quam denuntiando.

5 Si crimen occultum, quod nec tibi, nec alteri, ſed peccantibus tantum pernicioſum eſt, V. C. blaſphemia, ſodomia, ſolus emendare potes, tunc peccas contra ordinem a Chriſto traditum, ſi Prælato ſtatim denunties. Nec Prelatos poteſt juſte hoc præcipere; uti ſumitur ex verbis Chriſti Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus &c.* quia tunc ſine neceſſitate fama fratris læderetur. (a) Si tamen timeatur recidiva in Religioſis, licet ſtatim Prælato denuntiare, tanquam patri, quia aptior eſt ad efficaciter emendandum; & gravia peccata Religioſorum propter aſſiduam familiaritatem, quæ inter illos eſt, multis ſunt pernicioſa: Idcirco hoc titulo poſſunt potius denunciari:

„ (a) Non facile admitterem ſententiam iſtam Lay„ mani; ac primo quidem blaſphemiæ hereticales de„ nunciandæ ſunt, ut patet ex edicto S. Officii, Blaſ„ phemiæ etiam ſimplices, ſi id jubeat Prælatus, „ denunciandæ ſunt, etiamſi reus fuerit emendatus; „ & Prælatus id præcipere poteſt, intendens punitio„ nem, & bonum publicum, ut ait Scotus in 4. Diſt. „ 14. q. 2.

6 Qui crimen occultum fratris per ſe emendare non poteſt, plerumque Prælato, tanquam patri, ad ſecretam emendationem denuntiare potius debet, quam aliis ignorantibus: Quia ille præſumitur magis idoneus ad emendandum, quam alius. Nec obſtat, famam peccatoris non nihil minuendam eſſe apud Prælatum, ſi ſpirituale commodum inde ſperandum ſit majus.

7 Crimen occultum, non pernicioſum, Prælato, tanquam publicæ perſonæ, ad evulgationem denuntiari non poteſt, niſi ſecreta monitio, imo & teſtium inductio anteceſſerit; modo tamen profutura putetur. Sumitur ex verbis Chriſti Matth. 18.

8 Si denuntiatio ob aliquam cauſam illicita ſit, utpote contra charitatem, vel ordinem a Chriſto traditum, non debet fieri, etiamſi Prælatus jubeat. Patet hoc ex eo: Quia Prælatus non cenſetur aliter præcipere criminis denuntiationem, niſi obſervato ordine a Chriſto præſcripto. Et ſi emendatus eſt peccator, ceſſat tunc finis præcepti, ideoque parcere oportet famæ fratris.

9 Impedimentum occultum matrimonii poſt Eccleſiæ promulgationem denuntiari debet, etſi denuntians, ſi perſona fide digna ſit, illud plene probare non poſſit: Aperitur enim via Prælato, ut impedimentum ulterius indagare, & matrimonium cum Sacramenti irreverentia, & non ſine ſcelere contrahendum adhibitis admonitionibus, ac terroribus impedire poſſit.

10 Interrogatus de occulto impedimento, aut occulta Irregularitate debet abſtinere a Sacramento matrimonii, Ordinis, vel abſtinere a Sacramento, vel defectum manifeſtare, licet occultus ſit; cum in tali inquiſitione non agatur ad criminis vindictam, ſed ad impediendum peccatum; & ad ſervandum honorem Sacramento. Unde ſequitur, quod Prælatus V. C. etiam Parochus (modo non in Sacra Confeſſione cognoſcat) inquirere debeat de impedimento occulto, cujus aliqua probabilis ſuſpicio, licet non publica infamia ſit.

11 In delictis puerorum, domeſticorum, non ita plerumque obſervandus eſt ordo correptionis, ſed ferme ſtatim ad Præceptorem, vel patrem familias deferri poſſunt, ut ſalubriter corripiantur. Ratio: Quia nulla inde ſequitur infamia, & talis denuntiandi conſuetudo ordinata eſt ad bonum denuntiatorum, qui paterna correptione indigent, ut a majoribus vitiis abſtrahantur, & alii ſtudioſi, aut filii facilius a criminibus contineantur. Et poteſt paterfamilias matrifamilias (utpote ſuo etiam modo jus habenti puniendi) & viciſſim, delicta domeſticorum, etiam gravia occulta, quorum punitio ad ipſos ſpectat, manifeſtare.

NB. Nec filii, nec ſtudioſi peccant denuntiando ſtatim occulta ſcelera, eo quod nullum (b) inde ſequatur diſpendium famæ, ideoque nec paterfamilias, nec Magiſtri tenentur ſervare Juris proceſſum, Judici forenſi præſcriptum.

„ (b) Idest parvum inde ſequatur famæ diſpendium, „ utpote quod tunc ſoli præceptores vel paterfamilias „ id delictum ſciunt, & plerumque levem pœnam de„ linquenti infligere ſolent, ac ad ejus tantummodo e„ mendationem deſtinata.

[12] Ita Paterfamilias, Magiſter, Prælatus, Indices conſtituere poſſunt, qui ſubditorum errata obſervent, & ad illos deferant: Tamen cavere debent, ne plus credant, quam oportet, non facile reprehendant perſonam (gravem, & honeſtam) niſi prius patienter audiant. Nec jubeant obſervare certam perſonam, quæ alioquin ſuſpecta non eſt, ne hominis famam abſque neceſſitate lædant. Item, ne obſervatorem ſuum ille qui obſervatur agnoſcat. Denuntiator etiam ex charitate procedat, certa, non incerta referendo.

13 Si quis crimen occultum fratris in externo foro punibile, quod probari poteſt, judiciali denuntiatione prodat (nam charitativa ſit Superiori, ut patri; hæc autem coram Prælato tanquam Judice, & Capite Eccleſiæ) antequam ſecreto monuit, is nihil contra juſtitiam peccat. Ratio: Quia homines externis actibus peccando contra leges offendunt Rempublicam, cujus partes ſunt; conſequenter merentur puniri a Magiſtratu, utpote Cuſtode legum, & Judice malefactorum. Et bonum multitudinis præferri debet bono unius. Nemo tamen tenetur denuntiare, niſi crimen ſit pernicioſum Reipublicæ.

NB. Judicialis denuntiatio poteſt etiam eſſe de crimine mere præterito. Evangelica autem, ſeu charitativa non niſi cum timeatur crimen, etiam impoſterum committendum: Peccat tamen contra charitatem, qui judicialiter denunciat occultum crimen probabile, quando ſperatur per occultam monitionem emendatio. Ratio: Quia ex ejuſmodi criminis, V. C. adulterii occulti publicatione, ac punitione non multum commodi accipit Communitas, ſed interdum magis offenditur, & fama perſonæ, V. C. Clerici, gravius læditur.

14 Coroll. Si conjux adulterium occulte commiſit, quod tamen probari poſſit, facilius permittitur alteri conjugi innocenti accuſare civiliter ad inſtituendum divortium: Quia hoc jus ſuum per ſecretam monitionem, vel ſeparationem non ita obtinere poteſt, ſicuti per Judicis ſententiam. Domeſtici autem in tali caſu procedere non poſſunt, ſed ſervare debent ordinem a Chriſto præſcriptum.

Denuntiationes de crimine occulto, non præmiſſa monitione ſecreta, olim in Eccleſiaſtico foro repellebantur, hodieque repelli poſſunt, ſi ſint contra perſonas graves in dignitate conſtitutas, niſi publica infamia laborent; id enim poſtulat ordo a Chriſto præſcriptus. Alias jam refrigeſcente charitate, & iniquitate abundante Judices ſæculares inquirere ſolent, V. C. in furta, adulteria, utpote Reipublicæ valde pernicioſa.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Prima regula notanda a Confeſſario eſt, quod etſi detur Edictum vel præceptum de denunciando delicto, non eſt obligatio denunciandi, quando eſt occultum, etſi per teſtes probabile. Ratio eſt, quia Judex non poteſt, adeoque non intendit, inquirere de talibus delictis, ſemper cum non laborent infamia. Hinc moneat ſuum Pœnitentem poſſe tuta conſcientia reum non manifeſtare, etſi in edicto adſit pœna excommunicationis contra non revelantes. Id tamen verificatur de occulto delicto ſoli Delinquenti nocivo; vel de delicto jam in damnum tertii perpetrato, cui damno jam ſatisfactum ſit; vel cui Delinquens ſatisfaceret per ſolam ſecretam monitionem. Non tamen verificatur, niſi in caſu rariſſimo, quoad delicta contra bonum publicum, ut ſæpe ſupra dictum eſt. Item, ſi certa non ſit ipſa profutura ſecreta monitionem, denuncianda ſunt delicta *in fieri* contra Tertium, non ut puniantur, ſed ut Judex poſſit ea impedire.

II. Secundo, moneat ſuos Pœnitentes, omnino tacenda delicta illis propalata ad petendum conſilium, vel alia ratione ſub ſecreto illis commiſſa. Taliter ſe habent multories Theologi, Conſiliarii, Medici, Obſtetrices, & quicumque alii quibus commiſſum eſt ſecretum; nam illud ſervare eſt de jure naturæ.

III. Tertio, moneat, ordinarie loquendo, non teneri ad denuncianda delicta, ſi non poſſint id præſtare ſine ſuo gravi incommodo. Hinc v. g. non tenetur denunciare rem furatam, quam aliquis apud ſe haberet, ſi per hoc Superior, ſeu Judex veniret in ſuſpicionem & ipſum denunciantem participem fuiſſe furti. Nec ſi aliquis ſolus ſciat furem, tenetur ex vi edicti denunciare, ſi fur ex denunciatione poterit cognoſcere quis fuerit denunciator, & exinde inter eos orituræ ſint graves inimicitiæ &c.

IV.

IV. Non adeſt obligatio denunciandi, quoties delictum non fuit formaliter tale: ut ſi inquiretur de homicidio, & qui occidit ex ſola mera inadvertentia occiderit, vel putaverit eſſe feram; vel inquiratur de furto, & qui rem abſtulit in juſtam compenſationem abſtulerit &c.

V. Moneat pariter non eſſe obligationem denunciandi, quando ea foret omnino inutilis, & delinquens non eſt obſtinatus in peccato. Inquiritur e. g. ſub pœna excommunicationis, & præcipitur revelatio illius, qui bona alicujus furripuit. Si ergo ſciam aliquem ſurripuiſſe, ſed interim eſſe impotentem ad reſtitutionem, nec eſſe proximam ſpem, ut fiat potens, abſtinebo a denunciatione, cum nemo ad inutile teneatur. Item ſi Superior inquirat de delicto ad procurandam emendationem, non teneor revelare, ſi ſit emendatum, dummodo non habeat effectum pendentem in futurum, ut in ſimplici fornicatione, ludo prohibito &c. Si vero habeat effectum pendentem in futurum, non eſt denunciandum, quoties illi jam ſufficiens remedium appoſitum ſit; ut ſi quis ſatisfecerit damno per furtum illato. Quod ſi fiat inquiſitio de delicto notorio, ſeu publico, & id non tantum ad emendationem, ſed etiam ad punitionem, denunciandum eſt, quamvis fuerit emendatum.

VI. Ultimo bene advertat Confeſſarius, quod ſi in præfatis caſibus non ſatis inſtruat Pœnitentes, vel accuſabunt quem non deberent, & aliquando etiam non poſſent accuſare; vel ex ignorantia pluribus mendaciis, & perjuriis inquinabunt propriam conſcientiam. Edoceant ergo illos, juxta etiam alias dicta, non teneri ad reſpondendum niſi juxta mentem Judicis interrogantis, & Judicem e. g. non intendere, ordinarie loquendo, ut denuncientur delicta, quæ non laborant infamia, vel non ſunt notoria, ſeu quæ non poſſunt ex vinculo fortiori, quale eſt ſecretum commiſſum, revelari, ſeu quæ fuerunt commiſſa ſine peccato &c. Quod ſi Pœnitens ſit rem rudis, ut quandoque mihi accidit, ut hæc percipere non valeat, moneat illum, quod etiam cum juramento dicat ſe neſcire delictum, habendo intentionem ſe conformandi iis, quæ illi dixit Confeſſarius, quamvis percipere non potuerit.

C A P U T V.

De obligatione Secreti.

1 QUi ſecretum (rem alicui clanculum manifeſtatam, quæ in plurimorum notitiam nondum pervenit) expreſſa, vel tacita conventione ſibi commiſſum revelat, contra fidelitatem, atque juſtitiam peccat ex genere ſuo mortaliter non minus, quam ſi in depoſiti contractu fidem violavit. Patet ex Proverb. 11. *Qui ambulat fraudulenter, revelat amici conſilium.* Tacita conventione ſecreti obligantur Conſiliarii, Medici, Obſtetrix, Juriſconſulti, amici, quibus ſolatii, vel auxilii cauſa ſecreta manifeſtantur ſine ullo pacto. Manifeſtare ſine neceſſitate eſt peccatum contra legem naturalem de non nocendo proximo in anima, corpore, honore, ſama, fortunæ bonis.

2 Secretum tibi commiſſum revelare potes, ſi neceſſe ſit ad avertendum damnum Reipublicæ, perſonæ innocentis, vel tuum ipſius grave periculum. Intellige de crimine pernicioſo, & non omnino tranſacto; nam ſi tranſactum ſit, non debes illud prodere. V. C. Si Titius homicida lateat, & pro ipſo innocens Cajus in quæſtionem adductus, & occidendus ſit, non oportet, Caji liberandi gratia, prodere Titium, qui crimen occultum commiſerat. Quandoquidem nec ipſemet Titius, tibi committens ſecretum, ſe cum æquali periculo prodere tenetur ad impediendam mortem Caji, cujus cauſam non præbuit, niſi per accidens. Si tamen Titius fuga ſibi conſulere poſſit, etiam cum ſamæ periculo debet prodito ſuo facinore liberare Cajum: Sin ille id facere recuſet, licebit tibi, eo de fuga monito, revelare ſecretum Caji liberandi gratia. Ratio Concluſionis ſupra data eſt: Quia ex ordine charitatis quiſque obligatus eſt ad liberandum innocentem ab injuriis nocentis, etiam cum damno aliquo nocentis, ſi innocens alia ratione defendi non poſſit. V. C. Si Titium a concepto propoſito hominem innocentem occidendi, quod tibi ſecreto revelavit, abducere nequeas, potes, & debes manifeſtare.

Quod ſi ſecretum ceſſurum ſit in grave nocumentum ejus, qui tibi revelavit, potes manifeſtare. V. C. Si quis occulto impedimento obſtrictus a matrimonio revocari non poſſit, niſi canonice denuntietur, licita erit denuntiatio ſecreti ob reverentiam Sacramenti, & ad peccatum evitandum.

NB. Si V. C. Titius homicidium a ſe perpetratum tibi revelaverit, conſilii capiendi gratia, poſtea tu ipſe abſque Titii culpa in homicidii ſuſpicionem venias, & capite pericliteris, fas tibi erit, Titium prodere, ſi alia ratione liberari non poſſis: Quia nemo cenſetur, promittendo ſecretum, etiam ad talem caſum obligationem extendere voluiſſe, ſed potius præſumitur quiſque ex ordine charitatis propriam incolumitatem alienæ anteponere.

NB. Sin autem ex revelatione ſecreti periclitetur vita ejus, qui commiſit; exinde autem, quod ſecretum celetur, graviſſime periclitetur honor, ſama &c. ejus, cui commiſſum eſt, viri prudentis arbitrio æſtimandum erit, utrum is, cui ſecretum concreditum eſt, tantam obligationem reticendi in ſe ſuſcipere voluerit, aut debuerit, nec ne? V. C. utrum ſecretum committens nocens ſit, an non? an ſponte commiſerit, an rogatus? an in ſuum dumtaxat commodum, an ejus, cui commiſit? Quare Doctores advertunt, Miniſtros, & Advocatos, quibus ob officium ſecreta committuntur, & ob eam rem ſalarium a Republica, vel partibus accipiunt, arctiſſima obligatione teneri ſervare ſecretum.

3 Secreta Exercitus, vel Reipublicæ ſæpe cum vitæ periculo ſervanda ſunt. Ratio: Quia ſalus Reipublicæ, tanquam bonum majus, atque divinius, anteponendum eſt propriæ vitæ.

4 Si expreſſe promiſiſti, ſecretum te ſervaturum, etiam cum vitæ periculo, ad id obligaris. Ratio: Quia, cum talis promiſſio objectum honeſtum habeat, non apparet ratio, cur ſervanda non ſit, fietque injuria alteri, ſi non ſervetur. Eſt probabilis Sententia Molinæ. Qui autem ſunt in Sententia, quod non liceat vitam ſuam profundere pro altero privato, aſſerunt id legi charitatis repugnare. Quod ſi non agatur de magno incommodo committentis ſecretum, tunc non teneberis ſervare ſecretum cum vitæ diſcrimine.

5 Qui per vim, aut fraudem ſecreti cognitionem aſſecutus eſt, prodere non poteſt ad vitandum qualecumque corporis ſui periculum, ſi ex evulgatione æquale periculum immineat illi alteri. Ratio: Quicumque injuriam aliquam intulit, is tenetur injuriam tollere, & non continuare: Ergo etiam, qui ſecreti cognitionem per injuriam acquiſivit, V. C. literas fraudulenter aperiendo, is tenetur ſecretum ſupprimere; manifeſtando autem continuabit injuriam. Sicut, qui rem alienam per injuriam abſtulit, non poteſt ea uti cum domini detrimento; alioquin continuabit injuriam, & gravius peccabit. Nec refert, diſcrimen eſſe æquale: Quia in pari cauſa melior eſt conditio injuſte læſi, quam lædentis.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si Confeſſarius, ut par eſt, interroget ſuum Pœnitentem, frequenter adinveniet in prædictis peccare potuiſſe etiam graviter. Facilis igitur fortaſſe erit in revelandis etiam rebus gravibus ſibi ſub ſecreto commiſſis iis, quibus, qui commiſit ſecretum, vellet omnino occultas. Facilis erit in legendo epiſtolas, ut aliorum ſciat ſecreta. Facilis erit in inveſtigando interrogationibus, ut dici ſolet, ſuggeſtivis, quæ ſcit aliquem habere ſub ſecreto, cui etiam fortaſſe tenetur ex juramento. Moneat ergo, ut ab his omnibus abſtineat. Quod ſi ſuus Pœnitens in judicio ſit de aliqua re interrogandus, edoceat non poſſe eam occultare, ſi illa res non fuit illi ſub ſecreto commiſſa, ſed ſolummodo ipſe promiſerit non loquuturum; & hanc tenetur revelare, quamvis juraſſet non revelaturum. E contra non poteſt manifeſtare in judicio, niſi in caſibus exceptis, quæ habet ſub ſecreto commiſſa; adeoque moneat Confeſſarius pœnitentem neutiquam futurum mendacem, & perjurum, ſi juramento affirmet illam rem neſcire.

II. Advertat Confeſſarius numquam deeſſe, qui per rimulas, feneſtras, & per inſidias, maxime tempore nocturno, velint omnimode de aliorum operibus certiorari; quam ingrediantur domum; cum qua colloquantur muliere &c. Hæc omnia utique illicite fiunt, & poteſt grave intervenire peccatum, quoties exinde proveniat alicujus gravis infamia. Videat ergo Confeſſarius, ne hujuſmodi fiant a ſuis pœnitentibus, & multo magis ne ſecios adhibeant ad aliorum facta inveſtiganda.

C A P U T VI.

De Contumelia.

1 COntumelia eſt injuſta honoris imminutio ſcienter facta. Nam ebrius proprie non infert injuriam, ſi calumnietur: Tamen ex juſtitia commutativa tenetur ad reſtitutionem, non aliter, quam ebrius lædens aliquem in corpore (a). Diſtinguitur a Detractione. 1. Objecto: Quia detractione fama læditur; contumelia honor. 2. Modo: Quia contumelia fit coram præſente: detractio occulte. Etiam contra abſentem contumelia fieri poteſt, ſtatuæ V. C. erectæ; ut Juriſconſultus fatetur in l. item apud, ff. de injuriis. Famam quoque in præſentia denigrari nihil prohibet; ut ſi alicui coram pluribus audientibus occultum vitium objicias. Eſt mortale Matth. 5. *Qui autem dixerit, fatue &c.* Veniale ob imperfectionem voluntarii, & ratione objecti in ſe levis. Nam contumelia, quæ erga patrem, dominum, virum prudentem mortale eſt, erga ſubditum, fœminam, vel puorum, veniale eſſe poteſt.

„ (a) Intellige, ſi contumelia illa ab ebrio illata etiam tunc rationem injuriæ habeat, quod difficile eſt.

NB. In-

NB. Injuria alia eſt atrox; alia levis.

2 Contumelia tribus modis accidit, verbo, ſcripto, & facto. Contumelia, quæ verbo fit, dicitur Convitium; ut ſi quis alteri defectum, ſeu vitium naturæ V. C. eſſe ſpurium, per contemptum objicit. Veniale eſt, ſi fiat joci cauſa, niſi periculum ſit alterum ad iram provocandi. Poteſt etiam fieri ab eo, qui correctionis jus habet. Luc. 24. Gal. 3.

NB. Convitium inferenti non licet referre, niſi fiat cum moderamine incolpatæ tutelæ, dicendo, illum mentiri.

3 Libello famoſo gravis pœna decreta eſt in Jore (etiam illi, qui invenit, & non laceravit) nempe pœna capitis: Dummodo tale crimen, quod in libello objectum erat, morte, vel tali pœna dignum fuerit. Jam autem arbitraria pœna imponitur. Quod ſi crimen ſit publicum, quod Republicæ punire intereſt, & de quo publice accuſare licet, non eſt mortale.

Contumelia facto fit, ſi pudicitia attentata ſit. 1. ſed eſt quæſtionis. item, ſi verberatus, loco concluſus. Vide Matth. 26. irriſionem Chriſto Domino factam.

4 Irriſio parentum grave peccatum eſt, quod Deus graviter punit, juxta Prov. 30. Item irriſio hominis ob virtutis exercitium, juxta 1. Reg. 2.

5 Injuriam interdum patiuntur directe, & per nos ipſos; interdum vero indirecte in aliis perſonis ad nos pertinentibus, uxore, filiis, ſervis ſponſa. Injuria Clerici ad Prælatum, Eccleſiam &c. pertinet. Qui alterius juri ſubjectus eſt, injuriarum agere non poteſt, niſi ille abſens ſit, & nullum Procuratorem conſtituerit; tunc ſufficit præſumpta licentia agendi. Quod ſi pater Religioſi ſic occiſus per injuriam, neque ipſi, nec Monaſterio competit actio, aut jus accuſandi, aut componendi: Nam Monaſterio nulla injuria illata fuit, & Religioſus, veluti mundo mortuus, non poteſt ſtare in judicio. Quod ſi occiſio ſit facta ante Profeſſionem, tunc jus componendi transfertur in Monaſterium, ſi bonorum, & jurium acquirendorum capax ſit.

NB. Defuncti cadaveri, ſepulchro, contumelia inferri poteſt, cujus actio ad hæredem pertinet.

6 Injuriarum actio eſt duplex. Una civilis, ad pœnam applicandam Actori, quanti is injuriam æſtimaverit, tamen cum moderatione Judicis, ne Actor in litem jurando ob affectionem excedat; ſicut habetur in l. in actionibus, ff. de in litem jurando. Item obſerva in poſtulatione expenſarum: Quia pars litigans exprimit quantitatem expenſarum, quam Judex poſtea taxat, & defert juramentum parti, non minus expenſum fuiſſe. Altera eſt actio injuriarum ad publicam pœnam Judicis arbitrio deferendam.

NB. 1. Injuriam paſſus, utram maluerit; civilem, vel criminalem actionem inſtituere poteſt, ſed una earum inſtituta altera ipſo jure tollitur. 2 Utraque actio pœnalis eſt, neque ad hæredes tranſit ante litis conteſtationem. 3. Si civili injuriarum actione poſtulatus pœnæ ſolvendæ idoneus non ſit, corporaliter puniendus erit, ſaltem ubi atrox injuria illata fuit: *Qui enim non habet in ære, luat in corpore*. 4. Si injuriam paſſus impoſterum ſibi timeat ab adverſario, implorare poteſt auxilium Judicis, ut compellatur ad cautionem præſtandam de non offendendo. Quandoque etiam Reus in carcerem ſecuritatis cauſa detrudi poteſt, teſte Gomez.

7 Actio injuriarum tollitur morte offendentis, & offenſi, nec tranſit ad hæredes, niſi lis ante conteſtata ſit. Secus eſt in actionibus noxalibus, aut ex L. Aquilia de damno dato compenſando; hæ enim tranſeunt ad hæredes injuriam paſſi, licet litem nondum intentaverit, aut conteſtatus ſit. Crimen publicum, quod quilibet accuſare poteſt, pertinet ad proximum hæredem.

NB. 2. Actio injuriarum tollitur remiſſione, item per diſſimulationem, aut ſi injuria affectus ſine neceſſitate locutus eſt, aut ſalutavit adverſarium. Pater poteſt condonare injuriam illatam filio, etiam reclamante filio, non autem econtra.

Quod ſi adverſarius injurians filium perſona vilis, filius autem honeſta ſit, tunc etiam filius invito patre poteſt actionem injuriarum inſtituere (*a*).

„ (*a*) Obſcura hæc verba ſic explica: Si pater filii injuriam paſſi ſit perſona vilis, filius autem honeſta, tunc filius invito etiam patre poteſt inſtituere actionem injuriarum.

Demum extinguitur actio injuriarum, ſi intra annum poſt illatæ verbalis injuriæ notitiam agere is intermittat, cui agendi jus competebat. Eſt enim actio injuriarum Prætoria, quæ annum durat.

8 Sublata actione injuriarum manet actio mere civilis ad damni compenſationem tendens ex L. Aquilia inter 30. annos.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum omnes contumeliæ tendant ad dehonorandam perſonam, conſequens eſt eſſe omnes ejuſdem ſpeciei; unde non opus eſt Confeſſarium interrogare pœnitentem qua contumelia aliquem affecerit, quoties confeſſus eſt ſe protuliſſe in proximum verba graviter contumelioſe. In ſententia nihilominus illorum, qui volunt explicandas eſſe in confeſſione circumſtantias notabiliter aggravantes intra eamdem ſpeciem, quædam contumeliæ atrociores viderentur explicandæ; puta ſi aliquis alterum vocaviſſet proditorem, hæreticum &c.

II. Noret Confeſſarius gravem eſſe ignorantiam circa obligationem honorem reſtituendi, & ita paſſim videmus illos, qui proximum vel verbis, vel factis dehonorarunt, nil curare de illata irreverentia, & contentos eſſe, ſi communia honoris ſigna perſonæ inhonoratæ exhibeant. Videat ergo Confeſſarius pro qualitate perſonarum minori, vel majori excuſatione honorem læſum eſſe reſtituendum, & juxta judicium prudentum obliget ad ſatisfaciendum.

III. Cum licitum ſit diſſolvere per ſuſurrationem amicitias pernicioſas, advertere debet Confeſſarius id faciendum eſſe minori infamia, qua fieri poſſit. Hinc ſi ad diſſolvendam amicitiam periculoſam, quam habeat juvenis cum aliqua muliere, ſatis ſit manifeſtare ipſius defectus naturales, ut quod ſit turpis, minus gratioſa &c. tunc abſtinendum erit a manifeſtatione defectuum moralium.

IV. Confeſſarius moneat pœnitentem magnam prudentiam eſſe neceſſariam, dum cauſa recreationis aliquis deridetur; nam facile graviter peccari poteſt propter magnam triſtitiam, & erubeſcentiam, quam prævidetur paſſurum illum, qui deridetur. Non deſinat etiam increpare illum, ſi derideat qui incumbunt operibus pietatis, & cum aliquo fervore Domino inſerviunt; hoc etenim eſt vitium maxime pernicioſum contra virtutem obſervantiæ; nam ita homines multoties impediuntur a bene agendo. De hac irriſione dicitur *Job* 12. *Deridetur juſti ſimplicitas*.

V. Quia maledictiones, quæ ex animo non pronunciantur, ordinarie non ſunt peccatum grave, ideo Confeſſarius non facile condemnare debet peccati mortalis mulierculas, quæ filiis maledicunt, vel Aſellis, & Ruſticos, qui idem præſtant ſibi, vel aliis; nam id ſolent facere iræ, & prave conſuetudine, & potius, ut ſignificent impetum furoris, & impatientiæ, non vero optando malum, quod imprecantur. Semper tamen maxime redarguat Parentes proferentes in filios hujuſmodi maledictiones, quamvis non ex animo; quæ ſi erunt ex atrocioribus, difficiliter excuſari poterunt a gravi culpa, quamvis non fuerint ex animo prolatæ.

VI. Advertet demum Confeſſarius non eſſe ſufficiens ſignum, quod maledictio non fuerit ex animo prolata eo quod ſtatim pœnituerit maledicentem eam protuliſſe: Bene potuit paſſio iræ, & furoris flectere ad conſenſum voluntatem maledicentis; & maxime ſi maledictio prolata fuit in inimicum, ſeu illum, a quo accepimus grave malum.

CAPUT VII.

De Reſtitutione Famæ.

1 Qui crimen falſum alicui impoſuit, etiam per errorem, is dictum ſuum retractare tenetur. Interdum tamen famæ alienæ conſultum ſatis eſt, ſi infamator dicet, ſe deceptum fuiſſe. Ratio eſt: Quia, quicunque cauſam poſuit, unde poſtea intelligit alteri damnum injuſtum oriturum, is ex juſtitia tenetur cauſam tollere, ſi facile poſſit; quia, ſi cauſam a ſe poſitam non removeat, cenſetur etiam injuſtum effectum illius cauſæ velle. NB. Qui per errorem detraxit, id eſt, materialiter, ille non tam ſtricte tenetur ad reſtitutionem, quam qui formaliter; ille enim reſtituere tenetur cum damno famæ æquali, V. C. falſum teſtimonium ferens tenetur retractare etiam cum vitæ periculo, ſi alterum in mortis periculum per falſum teſtimonium conjecit.

Judex, qui ſententiam materialiter injuſtam ſe dixiſſe cognoſcit; debet eam retractare.

2 Qui crimen alterius verum, ſed occultum prodiit injuſte, is conceptam criminis opinionem abolere tenetur, quatenus ſine mendacio poteſt, dicendo, ſe deceptum eſſe, ſe male dixiſſe; cum enim omne peccatum deceptio ſit, vere poteſt dicere, ſe deceptum fuiſſe, quando hominem taliter infamavit. Quod ſi tali formula loquendi non poſſis retractare, teneris, quotieſcunque ſe occaſio offert, laudare, & honorare infamatum a te.

3 Si quis injuſte famam ablatam omnino reſtituere non poteſt, omnino liberari videtur, ut non debeat pecunia ſatisfacere ante Judicis ſententiam. Ratio: Quia Juſtitia commutativa non aliud exigit, niſi ut reſtituatur res ablata, vel æquivalens; pecunia autem famæ non æquivalet. Tamen ex juſtitia vindicativa Judex poteſt compellere Reum ad ſatisfaciendum Actori in pecunia.

Axioma illud: *Qui reſtituere non poteſt, quatenus debet, reſtituere debet, quatenus poteſt*; ſolum verum

eſt in

eſt in rebus æquivalentibus, vel quæ ejuſdem ordinis ſunt, cujuſmodi non ſunt fama, & pecunia.

4 Si ex infamia alteri a te aſperſa aliud damnum ipſi ſecutum ſit, V. C. ſemmitu ab officio, debes ut cauſa integre ſatisfacere arbitrio Judicis; tranſitque hæc actio ad hæredes, & contra hæredes: Quia hæres repræſentat perſonam defuncti in bonis defuncti, non autem in bonis famæ; nam talia ſunt pure perſonalia.

Obligatio reſtituendi famam extinguitur. 1. Per condonationem ſpontaneam. Excipe: Niſi infamia redundet in familiam; tunc condonatio illi nihil præjudicat. 2. Si infamia hominis per oblivionem penitus deleta ſit; ceſſat enim tunc ratio, & objectum reſtitutionis. 3. Si ille, quem tu infamaſti, viciſſim te infamavit, famamque reſtituere nolit, juxta Regulam: *Quod non cogeris, jus ſuum alteri reddere, ſi ille recuſet tibi reddere tuum;* ſed interea jure compenſationis, vel retentionis uti potes. Contrarium ſentit Navarrus.

6 Ex contumelia alicui irrogata non oritur obligatio reſtituendi, niſi inde honor, vel fama perſonæ apud alios læſa fuit: Nam pro ſola injuria ſecluſo damno nulla reſtitutio facienda eſt ante Judicis ſententiam, V.C. Si Titium ſolum privatim ſpurium nominaſti, nullum ei damnum intuliſti, niſi quod ipſum contriſtaris; idcirco teneris petere veniam juxta Matth. 5. Excipe: Niſi hoſtis tuus ægre ferens denuo memoriam fieri iſtius contumeliæ malit omnino diſſimulari, aliis officiis debes hominis offenſi animum demulcere. Superiores offendentes inferiores non tenentur petere veniam, ne, *dum nimia ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas;* ut monet in ſua Regula S. Auguſtinus.

P A R S III.

De Obligationibus contractis ex injuſta læſione Corporis.

Homicidium, & mutilatio vel eſt ſui ipſius, vel alterius: Si alterius; aut publica id authoritate fit, aut privata. Si privata, vel ob neceſſariam defenſionem, vel non: Et tunc rurſus vel caſu fit, vel voluntate. Atque iterum vel voluntate directa, ſive ex propoſito, vel indirecta, & interpretativa voluntate.

CAPUT PRIMUM.

De Occiſione, & Mutilatione ſui ipſius.

1 Seipſum ſine cauſa neceſſitatis mutilare aut caſtrare eſt injuria contra Deum. Ratio: Quia homo membrorum ſuorum non eſt dominus, ſed ſolum Deus: Ergo abſcindens injuriam infert Deo.

2 Majoris vitandi mali cauſa, puta, ſi alioquin ab alio occidendus ſis, licitum eſt ſeipſum mutilare. Ratio: Nam, licet homo non ſit dominus vitæ, ac membrorum, eſt tamen conſervator; ſecando autem unum membrum, ne majus damnum corpori inferatur, prudenter cuſtodit vitam: Quare talis poteſtas ipſi a Deo naturæ auctore conceſſa eſſe cenſetur.

NB. Peccant parentes, curantes propter cantum caſtrare filios ſuos; quippe cum hoc ſæpe cum animæ periculo conjunctum ſit.

3 Seipſum occidere nunquam licet, niſi Deus jubeat: Quia homo non eſt dominus vitæ ſuæ. Sicut enim miles non poteſt diſcedere a ſtatione ſua ſine juſſu Imperatoris; ita nec licet homini ab hac vita migrare ſine Dei voluntate. Confirm. 1. Aut enim homo innocens eſt, & tunc non licet, prohibente Deo, Exod. 23. *Inſontem, ac juſtum non occides.* Nocentem vero Judex interficere debet: Nemo autem Judex ſui ipſius eſſe poteſt. Confirm. 2. Nec alia animalia ſe ipſa occidunt; adeo alienum eſt hoc a natura.

NB. Sancti Martyres ex zelo, & amore martyrii ſuam ipſorum mortem operati ſunt; ſicuti legimus de S. Apollonia. Samſon excuſatur, non ſeipſum ex propoſito occidiſſe, ſed dum aliorum juſtæ occiſioni incumberet, mortem propriam fortiter pertuliſſe. Sicut Leſſius ait, licitum eſſe, ut horrendam incendii flagrationem effugias, ex alto loco deſilire, quamvis cum certo periculo mortis: Non enim intendis te occidere, ſed dirum tormentum fuga evadere. Ita excuſantur milites in prælio navali navem incendentes, ne in hoſtium crudelium manus veniant.

4 Ad mortem ſe offerre, & ab alio inferendam permittere, non ſemper illicitum eſt, imo interdum præceptum pro fide, aut Republica; quippe quæ præferenda eſt vitæ privatæ, V. C. ad civitatem ab hoſtium obſidione liberandam, tradendo hoſti innocentem, non ut is occidatur, ſed ut Reſpublica ſervetur; cum hæc non ſit cooperatio formalis ad homicidium, ſed tantum permiſſio.

NB. Propriam vitam non teneris ſervare abſciſſione pedis. Ratio: Quia præceptum ſervandi vitam affirmativum eſt, non omni tempore, ac modo obligans.

5 Corporis voluntaria caſtigatio debet eſſe moderata, juxta 1. Cor. 9. Jejuniis, & vigiliis vitam notabiliter minuens peccat mortaliter.

6 Martyrium eſt perfectiſſima confeſſio veritatis, quando homo mortem ipſam perferre potius eligit, quam ut fidei veritatem verbo, aut opere derelinquat. Vide dicta hoc Lib. Sect. 3. num. 3.

NB. Apud hæreticos, ubi nullus fructus ſperatur, concionari, ſacrificari, cum vitæ periculo eſt opus temeritatis, & contra legem charitatis; quippe præbens cauſam infidelibus peccandi. Involare Idola non licet, niſi Superior Paganorum ſis, aut Deus jubeat.

NB. Aliquando expedit fugere infideles, ut diutius vivendo pluribus prodeſſe poſſis, juxta verba Chriſti Matth. 10.

7 Opus Martyrii, etſi laudabiliter obiri poſſit, non tamen ſemper in præcepto eſt, ſed tantum in caſu neceſſitatis, ubi ſcilicet honor Dei, & ſpiritualis ſalus proximorum damnum patitur, ſi abſtineas a fide Catholica prædicanda publice.

8 Qui ſeipſum voluntarie interimit, in loco ſacro ſepeliri non debet, niſi hoc fiat ex furore, amentia. Nam ſicut aliæ paſſiones, ira, timor, &c. adeo vehementes interdum ſunt, ut animo plenam deliberationem adimant, efficiantque ex opere mortali veniale; ita etiam contingere ſolet, ut vehementiſſima paſſio triſtitiæ, concurrente atra bile, ita hominis animum, & phantaſiam occupet, ut rationis uſum adimat.

NB. In Dubio, utrum quis deliberate, an ex amentia ſe occiderit, Jura Eccleſiaſtica ſignificant, & praxis Eccleſiæ obſervat, ut tales ſacra ſepultura, & ſuffragiis ſint privandi; partim, quia id pertinet ad reverentiam ſacri loci; partim, quia, ſicut in aliis criminibus, ita & in hoc inſpicitur factum per ſe malum, ideoque cenſetur voluntarie admiſſum, & pœna dignum, niſi præſumptio contraria adſit (*a*); veluti ſi fuit vir ſpectatæ probitatis, quem nullo modo credibile ſit, tale facinus deliberato animo admittere, in animum induxiſſe. Quod ſi aliquis reperiatur in puteo mortuus, vel in carcere, & non conſtet, cenſeri non debet, ſe ipſum præcipitaſſe, niſi magna indicia anteceſſerint. Quia *non probat hoc eſſe, quod quandoque contingit abeſſe*; & in tali dubio non eſt præſumendum delictum.

„ (*a*) Hæc tamen præſumptio contraria plerum-
„ que adeſt, ut notat P. Roncaglia in ſua Theolog.
„ moral. vix enim credi poteſt, ut aliquis, ſi non
„ fuerit emotæ mentis, eo perveniat, ut ſibi mor-
„ tem conſciſcat. *Præſumptio ergo ſemper ſtat pro*
„ amentia.

Homo ſe ipſum occidens, ſi ante mortem ſigna pœnitentiæ edidit, poteſt ſepeliri in loco ſacro. Sed in foro judiciali propter talem pœnitentiam non remittitur pœna decreta confiſcationis omnium bonorum, ſi Reus delatus metu futuræ ſententiæ mortem ſibi conſcivit. Bona eorum, qui inſania ſe occiderunt, a fiſco vindicanda non ſunt.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quamvis ſemper ſit peccatum mortale occidere directe ſeipſum, & privandus ſit Eccleſiaſtica ſepultura, qui ita operatur *ex can. placuit 13. q. 5. & ex Rit. Rom. in Rubr. de exeq.*; advertere nihilominus debet Parochus poſſe in Eccleſia ſepelire eum, qui vel invenitur laqueo ſuſpenſus, vel demerſus in puteo, ni certo conſtet id voluntarie feciſſe. Ratio eſt, quia, niſi id certo conſtet, de nulla eſt præſumendum quod deliquerit: *leg. merito, ff. pro ſocio, & cap. 1. de reg. juris*, adeoque præſumendum eſt, vel ab alio fuiſſe occiſum, vel id feciſſe ex vehementiſſima paſſione, quæ omnino perturbaverit uſum rationis, ſeu amentiam induxerit. Videatur *Barb. de Off. Paroch. p. 3. c. 26. num. 49.*

II. Cum unuſquiſque debeat non omittere media ordinaria ad vitam conſervandam, non debet infirmus reſpuere medicinam, quæ prudenter, & fere certo judicaretur ipſi profutura: nam

hujuſ-

hujuſmodi medicina ; ſi non eſſet ingentis pretii , judicatur medium ordinarium pro vitæ conſervatione . Quia tamen multoties incertum eſt , an pharmaca potius proſint , quam noceant , ideo non facile damnandus peccati mortalis , qui pharmacum ſibi oblatum reſpueret .

III. Quia non tenemur mediis extraordinariis vitam conſervare, ideo neque tenemur conſervare vitam pharmaco ingentis pretii , neque ſubſtinendo graves dolores, ut evenit in magna adustiona, in magna ſectione, v.g. tibiæ, brachii &c. Idem dicas de fœmina honeſta potius eligente mortem, quam tangi in partibus ſecretioribus a Chirurgis, quamvis id poſſet permittere cauſa ſanitatis : neque motus turpis , qui poſſet oriri , remoto conſenſu , eſſet ei ad peccatum imputandus , quia per accidens oritetur ex cauſa justa , & neceſſaria . Putarem tamen non facile excuſandam fœminam honeſtam , quæ a ſui curatione fœminas etiam honeſtas reſpueret cum periculo vitæ ; nam eſſet irrationabilis ingens illa verecundia , quæ in caſu tantæ neceſſitatis etiam perſonas ejuſdem ſexus reſpueret .

IV. Docet S. *Th.* 2. 2. *q.* 147. *art.* 5. *ad* 2. non eſſe ita attendum pœnitentiis , ut vita notabiliter abbrevietur , ex ea ratione ſæpe inſinuata , quod ſcilicet non ſumus Domini noſtræ vitæ , ſed ſolum adminiſtratores . Verum quamvis nunquam liceat pœnitentiis corpus macerare , ea intentione , ut vita abbrevietur , nihilominus doctrina S. Thomæ non tam ſcrupuloſe venit intelligenda , ut omnino abſtinendum ſit ab iiſdem pœnitentiis , quamvis prævideretur vita per aliquot annos abbrevianda . Licitum ergo ſemper eſt his pœnalitatibus ſe macerare ; neque laudabiliter Religioſi omitterent pœnitentias , a regula injunctas , cum fuerint approbatæ a viris SS. Perſonæ pariter , quæ non vivunt intra clauſtra , optime faciunt macerationibus corpus in ſervitutem redigere , quamvis , ſi velint prudenter operari , pendere debeant ab arbitrio prudentis Confeſſarii . Et quidem , ſi non condemnantur peccati gravis , qui multo cibo , & potu ſibi vitam abbreviant , cur damnandi qui , ut Divinæ Juſtitiæ ſatisfaciant , ut paſſiones refrænent , pœnitentiis ſe macerant , quamvis per accidens vita ipſorum poſſit per aliquot annos abbreviari ?

CAPUT II.

De Homicidio , quod publica authoritate fit .

1 LIcet Magiſtratus non habeat jus ad arbitrium occidendi ſuos ſubditos , quippe non habens dominium in corpora ſubditorum , tamen jus habet occidendi ſubditos in juſtam criminis vindictam , juxta Exod. 22. & ad Rom. 13. Ratio : Quamprimum homines in vitæ ſocietatem coeunt , naturalis ratio dictat , ad ejus conſervationem neceſſarium eſſe , ut Reſpublica , Princeps , tanquam Caput , jus habeat delinquentes puniendi , etiam morte , ſi opus ſit . Communitas enim ita ſe habet ad cives ſingulos , ſicut ſe habet homo ad membra ſingula ; atqui homo , ne totum corpus pereat , habet jus tollendi , vel abſcindendi infectum : Ergo a pari .

Coroll. Quintum præceptum , "*Non occides*", concernit innocentes privata authoritate extra caſum neceſſariæ defenſionis .

2 Proſcriptum , & bannitum per publicam ſententiam mortis cuivis e populo occidere conceſſum eſt , ſi fiat non ex odio , ſed zelo , & non pendente appellatione , aut extra territorium proſcribentis , & non ſint parentes , uxor , liberi , qui proſcriptum alere tenentur ; ſiquidem Jus civile Jura naturalia non tollit , niſi actualis Reipublicæ hoſtis ſit . Probatur Concluſio . Cum enim Reipublicæ interſit de malefactoribus , vel hoſtibus pœnam mortis ſumere , id autem efficere non poſſit , poſtquam Reus auſugit , niſi publicam facultatem omnibus tribuat occidendi malefactorem , poterit quandoque , ſi res exigat (ob graviſſimam cauſam) hanc facultatem dare , & conſequenter quivis e populo accipere , & exercere .

3 Fas non eſt proſcripto ſe defendere contra juſtum aggreſſorem , cum occidendo , vel mutilando : Nam aggreſſor eſt veluti publicus Miniſter juſtitiæ , jus habens occidendi bannitum : Ergo ſi proſcriptus reſiſtat , reſiſtit publicæ poteſtati , & injurioſus erit , non minus , quam ſi reſiſteret carnifici . *Non enim eſt permiſſa defendendi facultas , ubi offendendi eſt data libertas* , ajunt Doctores in l. 1. C. quando liceat . Confirm. Alioquin poſſet dari bellum ex utraque parte formaliter juſtum , ſecluſa ignorantia ; quod omnes negant .

NB. Extra territorium proſcribentis fas non eſt proſcriptum , vel bannitum occidere : Nullus enim Magiſtratus jus dicere poteſt extra territorium ſuum ſine expreſſa , vel rationabiliter præſumpta licentia .

4 Iniquæ ſunt leges civiles , ſi adulteros a privato , patre , marito , occidi permittant approbative . Ratio : Quia *non eſt ſingulis concedendum , quod per Magiſtratum publice poteſt expediri* . Reg. 136. ff. Et inauditum , & non condemnatum a privato occidi , nulla æquitas patitur , imo contra charitatem eſt hominem adeo imparatum , & impœnitentem occidere . Juſtæ tamen ſunt iſtæ leges , ſi permittant ſolum negative : Quia talem homicidam ob juſtum dolorem , quem in tali caſu decoquere difficile eſt , non puniunt , nec actionem criminalem , nec civilem recipiunt . Unde Sacri Canones Excommunicationis ſententiam removent ab eo , qui in Clericum , cum uxore , matre , filia , ſorore turpiter inventum , manus injecerit violentas .

CAPUT III.

De Homicidio ob defenſionem .

1 ACtualem ſui aggreſſorem , occidere volentem , quilibet prævenire , & occidere poteſt cum moderamine inculpatæ tutelæ , juxta c. ſi vero . 1. de ſentent. Excomm. *Vim vi repellere omnia jura , omneſque leges permittunt* . Et l. 3. ff. de Juſtit. & Jure : *Jure hoc evenit , ut , quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit , jure feciſſe exiſtimetur* . Ratio : Quia ſecundum ordinem charitatis quiſque propriam vitam præferre poteſt alienæ , dummodo tantum agatur de bono privato , non etiam publico . Nam ſicut fieri poteſt , ut non tantum liceat , ſed debeas etiam te defendere ab aggreſſore vili , ſi tu ſis Reipublicæ valde utilis ; ſic etiam fieri poteſt , ut tenearis potius mortem innocens perferre , quam aggreſſorem Reum valde utilem Eccleſiæ , & Reipublicæ occidere .

Moderamen inculpatæ tutelæ (Ein recht meſſige Nothvvehr) eſt , ſi alio faciliori modo te defendere non poſſis , quam occidendo . Idem ſentiendum de inſidiatore vitæ tuæ , & quovis innocente dormiente in via , & a te per accidens proculcando , ſi alio modo fugere hoſtem non poſſis .

2 Vir nobilis , & militaris , licet fuga declinare poſſit impetum aggreſſoris , plerumque tamen non obligatur . Ratio : Quia hujuſmodi hominibus fuga plerumque ignominioſa eſt . Aliter ſentiendum de homuncionibus , item Clericis , quorum laus non in uſu armorum , ſed virtutum charitatis &c. conſiſtit .

3 Provocato ad duellum plerumque non eſt licitum comparere , ſeu acceptare . Ratio : Quia nemo prudentum vitio vertet tibi , quod legem Dei obſerves , hominiſque occidendi periculum abſque juſta neceſſitatis cauſa non adeas : Imprudentium autem vana judicia in re adeo gravi attendenda non ſunt . Dixi : *Plerumque* . Nam in rariſſimo caſu , ſi miles in exercitu , Vir equeſtris in aula regia officio , dignitate , Ducis , aut Principis favore ob ignaviæ ſuſpicionem excidere debeat , niſi identidem provocanti ſe ſiſtat , non audeo damnare eum , qui mera defenſionis gratia paruerit (*a*).

„ (*a*) Hæc olim forte probabilitatem aliquam
„ præſeferebant . Verum modo nec vir militaris ,
„ nec vir nobilis , nec dux , nec officialis militiæ pot-
„ eſt acceptare duellum ſine gravi culpa , & ex ſola
„ acceptatione incurrit excommunicationem , aliaſque
„ pœnas in jure præſcriptas . Ita ſtatuit Bened. XIV.
„ ſpeciali Bulla an. 1752. IV. Idus Novemb. data .
„ Hæc attendenda ſunt etiam in ſequentibus caſibus
„ hic propoſitis .

Idemque ſentiendum , ſi ad pugnandum laceſſens alterum crebra convitia adjiciat , qua ille moleſtia , & ſubeundo dedecore aliter liberare ſe non poſſit , niſi armis congrediatur . Nam ſi ad defendenda bona fas eſt occidere ; multo magis ſi ita neceſſe ſit ad defendendum honorem , cum honor plus valeat , quam bona : Dummodo ſpes ſit contra hoſtem prævalendi ; alioquin illicitum erit certo mortis periculo ſe exponere ad vitandum dedecus , quod non ex hominis delicto eſt , ſed ex vulgi ſiniſtra opinione : Nam vulgi error eſt , pro honore moriendum eſſe .

NB. Licet nefas ſit poſt acceptum vulnus , alapam , ceſſante periculo ulterioris plagæ , adverſarium repercutere , quia talis percuſſio poſt illatam , & non amplius impendentem violentiam non defenſio , ſed ultio cenſenda eſt , quam conſtat privata authoritate illicitam eſſe , juxta c. ſignificaſti , 2. de homicid. *Vim vi repellere , omnia jura , legeſque permittunt , &c. non ad ſumendam vindictam , ſed ad injuriam propulſandam* . Tamen ſi Vir ſtrenuus illatum ſibi dedecus ex alapa , V. C. nulla alia ratione a ſe removere poſſit , quam repercutiendo , licet id agere (*b*) ; ſicuti furem licet perſequi , ut ablata recuperentur . Excipe : Niſi , qui contumeliam intulit , petat veniam . Vide Leſſium contrarium docentem .

„ (*b*) Videntur hæc comprehendi in propoſitione
„ 30. inter damnatas ab Inn. XI. *Idem quoque dicen-*
„ *dum* (fas ſcilicet eſſe viro honorato); *ſi quis im-*
„ *pingat alapam , vel fuſte percutiat , & poſt im-*
„ *paſſum* .

„ *pactam alapam* , *& illum fuſtis* , eum interfi„ cere .

4 Non ſolum pro defenſione vitæ, aut honoris, ſed etiam facultatum, quæ non modicı momenti ſunt, & alia ratione liberari non poſſunr, cnoceſſum eſt, etiam Clerico, aggreſſorem, vel raptorem mutilare, interficere. Ratio eſt; partim, quod lex naturæ ad propriam ſui defenſionem contra injuſtum ſui invaſorem inclinata id permittat; partim, quod eiviles etiam conſtitutiones ejuſmodi facultatem omnibus rribuant. Quod etiam confirmant bella inſtituta a Reſpublica ad recuperanda bona, uſque ad hominum ocelſionem: Nam alioquin ſcelerum impunitas improbos ad peccandum audentiores redderet.

NB. Etiam ſurem nocturnum non licet occidere, ſi quis poſſit res ſuas ſine occiſione recipere; ſed quia plerumque neſcitur, an veniat talis ad occidendum, an ad rapiendum, tunc periculi declinandi cauſa, niſi clamore homines accıri poſſint, impune occiditur.

5 Si quis jus habeat aggreſſorem, vel raptorem occidendi defenſionis cauſa, etiam aliis conceſſum eſt, vim paſſo opem ſerre. Quin interdum obligatio incumbit, ſeu ex charitatis (V. C. parentibus, liberis) ſeu ex juſtitiæ lege, ut Principes vias tutas a latronibus reddant. Vaſalli, milites, famuli, eo pacto taeito conducti a dominis, ut eos contra iniquns aggreſſores defendant, defendere teneatur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum a nobis in noſtre Theologia dictum ſit licere prævenire aum, qui vellet aliquem occidere, ſi aliunde non poſſet ſuam vitam tueri ille qui eſſet invadendus, obſervare debet Confeſſarius hanc doctrinam difficiliter in praxi poſſe locum habere. Si etenim aliquis ſciat velle aliquem ipſum occidere, cur non poterit ſe occultare; ſe continere domi? Judicis adſiſtentiam, vel aliorum invocare? Præterea cum ſolum locum habeat talis doctrina, quando ſaltem certum moraliter eſt aliquem ab altero occidendum, advertere eſt non proinde poſſe occidi eum, qui mortem minitatur, ſi alias non fuerit ſolitus minas executioni mandare &c.

II. Quamvis licitum ſit occidere propriæ vitæ invaſorem, nihilominus nemo tenetur ipſum invaſorem occidere, ııı forte invaſus ſit in peccato mortali, adeoque timeat damnationem, ſi occidatur. Tunc, ſi poſſet, deberet invaſorem occidere ex charitate erga animam ſuam. Idem dicas ſi ex ejus morte ſequatur maximum damnum ſuæ familiæ, Uxori, Filiis, aliiſque quos alere teneatur. Extra hos caſus poteſt ſuam vitam temporalem expouere pro ſalute ſpirituali invaſoris; nam ſi occidatur, propter peccatum mortale, quod commiſit in ipſa aggreſſione, eſſet ſtatim ad infernum damnandus.

III. Cum non liceat occidera furem, ni quando ſurripiat rem magni momenti, & non alia ſuppeteret via ad illam recuperandam, advartare aſt in praxi difficile dari caſum, in quo licitum ſit occidere furem, ai forta eripuiſſet crumenam nummorum, gemmas, vel quid pretioſum, quæ non poſſent Judicis authoritate recuperari. Ratio eſt, quia alia res domeſtica, quam poſſet fur ſurripere, ordinarie loquendo, non erit res tanti valoris, ut magnum afferre poſſit incommodum. Secus dicendum, ſi noctu plures eſſent fures uniti ad ſurripienda, quæ aſſent in aliqua domo; nam tunc, ſi non timerent, & ſi non fugarent, quando Dominus clamaret, certa grave immineret damnum.

IV. Nunquam videtur licitum occidera, qui alterum appetit verbis, nam contra verba ſufficit ſe verbis defendere; & cum patienter ſuſtinere contumelias ſit modus augendi honorem, quem alter verbis vellet denigrare. Ulterius communiter verbis nullus dehonoratur, nam nemo credit vere eſſe ea improperia, quæ aliquis iracundia motus contra alterum evomit, ac proinde ita contumelioſe loquens nullum dehonorat.

V. Multoties licebit puellæ non ſolum dum violenter deoſculatur, tangitur &c. ſed etiam immediate poſt, pugnis, alapis, fuſtibus, & etiam ictibus non periculoſis percutere Juvenem, qui voluit illam tangere, deoſculari &c. Ratio aſt, quia niſi ita agat, non demonſtraret animi puritatem, & conſtantiam; & redderet Jueenem in poſterum animoſiorem. Semper cum igitur non ita agat ad vindictam, ſed ut deterreat Juvenem, ne redeat, poterit id facere: immo conſulendum ipſi eſt, ut ita agat; nam ni puellæ ita demonſtrent ſui animi puritatem, ſolent a Juvenibus inhoneſtis denuo ſolicitari, repentinis oſculis dehonorari &c.

CAPUT IV.

De Homicidio voluntario, & caſuali.

1 Homicidiom aliud eſt caſuale (caſu contingens eſt, quod ſit præter agentis intentionem: Sive licite fiat, ſive illicite, vacat omni culpa) Aliud voluotarium: Idque vel directe (ex propoſito, & non impediendo mortem, ſi debueras, V. C. nauta naufragium) Vel indirecte, & interpretative cum culpa, ſed ſine dolo. Si ſit doloſa occiſio, capitis diminutionem meretur. Nobiliores mitius puniuntur, & in Inſulam deportantur.

Qualificatum homicidium (parricidium, uxoricidium) gravius puniri ſolet.

Præterea aggravatur homicidium voluntarium ex modo occidendi, V. C. per conductionem, inſidias, venenum; adimitur enim homini jus naturale ſui defendendi, juxta l. 1. Cod. de maleſ. *Plus eſt hominem veneno extinguere, quam occidere gladio.*

NB. Qui per aliquam culpam, quamvis latiſſimam (non enim hæc æquiparatur dolo) hominem occidit, oon ordinaria pœna homicidii, ſed arbitraria Judicis afficiendus eſt; gravitas, aut levitas culpæ a Judice æſtimanda eſt ſecundum quantitatem periculi ex genere, & qualitate ſacti, perſonæ &c.

2 Qui in amentia, ſomno, ebrietate involuntaria, & inculpata hominem occidit, extra culpam, & pœnam eſt. Talis ebrietas erat Noe, Gen. 9. Qui vero voluntarie, & culpabiliter ſe inebriavit, & in ebrietate conſuetudinem rixandi perſpectum habens homicidii periculum ſuſpicatus fuerat, prætet peccatum Intemperantiæ, & Injuſtitiæ, pœnæ arbitrariæ Judicis ſubjectus eſt. Ratio: Quia tale homicidium non eſt ex propoſito, ſive voluntarium directe, ſed indirecte tantum, & in cauſa ſua culpabile. Quare ſi quis, cognitam habens ſuam propenſionem, ideo ſe inebriaſſet, ut hominem occideret, ſecuto effectu ordinaria pœna afficiendus foret, teſte Covarruv.

Quod ſi quis culpate ſe inebriavit, ſed de homicidii periculo nihil ſuſpicatus, nec inclinatus fuit ante ad pugnam, non eſt pœna afficiendus. Ratio: Tale homicidium neque eſt directe voluntarium, ut patet; nec indirecte, & in cauſa: Nam, ut aliquid voluntarium cenſeatur, neceſſe eſt, effectum ut plurimum, & frequenter conjunctum eſſe cum aliqua voluntaria operatione; alioquin non cenſebitur effectus per ſe, & ſecundum intentionem virtualem, ſed caſualis, ac per accidens; atqui hominis occiſio raro cum ebrietate conjuncta eſt: Ergo non voluntarium ſed caſuale, & inculpabile homicidium cenſeri debet. Ita excuſatur factum Loth, Geneſ. 19. Quod ſi in aliqua Republica conſuetudo ſit ebrios puniendi ob eventum homicidii, in externo ſoro pœnam augeri fateor.

3 Qui malitioſe impedit, ne fœtus concipiatur, aut conceptus animetur, non vere, ſed quaſi homicidium committit, & mortaliter peccat. Ratio: *Homicidii feſtinatio eſt, prohibere naſci. Nec refert, natam quis eripiat animam, an diſturbet naſcentem: Homo eſt, qui futurus eſt; nam fructus in ſemine eſt.* Qui autem fœtum animatum enecat, vere homicida eſt, & efficitur irregularis. Commuoiter autem maſculus accipit animam rationalem quadrageſimo die a conceptione, fœmella vero octogeſimo.

4 Si fœtus inaoimatus eſt, facilius permittitur, propter matris ſalutem, Medico eum expellere (*a*). Ratio: Quia tali modo fœtus eſt quodammodo aggreſſor, ſeu cauſa efficiens materni obitus; igitur eum abigere inanimatum naturali Jure licet. Tamen, ſi medicinæ tales ſint, quæ directe tendunt ad fœtus occiſionem, puta, venenum adhibere, nunquam licet; cum hominem innocentem directe, & per ſe occidere neſas ſit. Medicinas autem directe ordinatas ad ſanitatem matris, licet per accidens timeatur occiſio fœtus, V. C. ſectionem venæ, purgationes, licet adhibere; ſi certo putetur mater cum prole ante nativitatem moritura, niſi ejuſmodi medicamentum adhibeatur. Ratio: Quia innocentem per accidens, & præter intentionem in caſu neceſſitatis occidere, a recta ratione alienum noo eſt: In propoſito autem caſu occiſio maxime per accidens contingit. Quod ſi (quod tamen vix erit poſſibile) credatur, fœtum matre moriente vivum naſciturum, & baptizandum fore, tunc ordo charitatis poſtularet, ut mater abſtineret a medicamentis, etſi moritura, & ita vita ſpiritualis animati fœtus (quæ merito præſerenda eſt corporali matris) præſervaretur.

„ (*a*) Cavenda hic eſt propoſitio 34. inter damna„ tas ab Innoc. XI. *Licet procurare abortum ante ani„ mationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occi„ datur, aut infametur.* Ex qua condemnatione in„ fertur nunquam licere abortum procurare actione di„ recta, etiamſi fœtus non eſſet animatus.

5 Suadens, aut mandaos homicidium injuſtum fieri, crimine, & pœnis patrati homicidii tenetur. Quod ſi mandatum quis revocaverit ante executionem coram mandatario, liber eſt ab Irregularitate.

NB. Inter mandantem, & conſulentem diſpar ratio eſt: Quia mandatum ſit in gratiam mandantis; conſilium autem datur in gratiam capientis, & ante diſpoſiti ad homicidium. Unde ſequitur, ſi ſuadeas Titio occidere, qui antea tale propoſitum firmiter conceperat, quod nihil efficias: Sin vero mandes, iſque

exe-

exequatur ; efficis , ut tuo nomine homicidium fiat , tibique ut cauſæ adſcribatur.

6 Qui homicidium ſuo nomine patratum poſtea ratum habet , licet alias Juris pœnas , V. C. Excommunicationis cenſuram incurrat , non tamen Irregularitatem , quæ ſolum macula , & non pœna eſt , neque etiam damni reſarciendi obligationem . Ratio : Quia Reg. 10. in 6. dicitur : *Ratihabitionem retrotrahi , & mandato non eſt dubium æquiparari* . Quod ſi quis homicidium non ſuo nomine patratum approbet , non cenſetur ratificare . Ratio : *Quia nemo ratificare poteſt , quod ſuo nomine geſtum non eſt* . c. cum quis , de ſent. Excomm. in 6.

7 Qui hominis necem , cum facile poſſet impedire , negligit , Irregularitatem non contrahit , niſi ex juſtitia obligatus fuerit ad defendendum . Non enim talis peccat contra juſtitiam , cum homicidium non committat , nec irregularis fit , tamen peccat contra charitatem .

8 Quædam perſonæ ſpecialiter obligatæ ſunt ad impediendam necem injuſtam , id eſt , Principes , parentes .

NB. Medicus homicida eſt , ſi , cum poſſet impedire mortem infirmi , negligat , fitque irregularis .

Regulæ in praxi obſervandæ .

I. Sciat Confeſſarius in noſtra Diœceſi Lucenſi eſſe caſum reſervatum *Homicidium voluntarium etiam quoad Mandantes effectu ſequuto* . Notet autem pro ipſius intelligentia illius dici homicidium voluntarium , quod eſt volitum in ſe , vel in ſua cauſa proxima , ita , ut occidens vere ex ſua voluntate dicatur occidiſſe . Ligatur proinde reſervatione , non ſolum qui de induſtria aliquem occidit , ſed etiam qui apponit cauſam proxime inductivam homicidii , ut ſi quis aliquem lethaliter vulneret , vel propinaſſet illi mortale venenum . Neque ſe poſſet excuſare ; dicendo , non habuiſſe animum occidendi ; eſſet enim proteſtatio contra factum .

E contra quamvis graviter peccaret , non diceretur homicida quoad effectum reſervationis , qui aliquem occideret in ſubita ira , dummodo non habuiſſet antea animum occidendi ; qui occideret aliquem ex gravi metu ipſi illato , ſi non occidat ; qui occideret aliquem , ſe defendendo , quamvis exceſſiſſet moderamen inculpatæ tutelæ , qui nolebat infligere vulnus lethale , quamvis præter intentionem graviter vulneraſſet . Ratio horum omnium eſt , quia ita occidentes non intelliguntur occidere ex induſtria , & inclinatione voluntatis , quapropter non committunt homicidium voluntarium , ea ratione , qua voluntarium a legibus appellatur .

Item excuſatur a reſervatione , qui ponit cauſam ſolummodo remotam homicidii . Ita ſe habet , qui ſe inebriat , quamvis prævideat in ebrietate aliquem occiſurum , & qui non adhibet ſufficientem diligentiam ad præcavendam mortem alterius , ut dum quis a tecto tegulam in viam projicit , non appoſito ſigno , ut tranſeuntes ſibi caveant . Omnes iſti dicuntur perpetrare homicidium caſuale ad diſtinctionem homicidii voluntarii . Illud univerſaliter notet Confeſſarius , quod ſemper , cum lis eſt inter DD. , an homicidium ſit caſuale , vel voluntarium , occidens immunis eſt a reſervatione , utpote quia dubium eſt , an commiſerit homicidium voluntarium . De his plura habes , ubi egi de Irregularitate , quæ contrahitur ex homicidio . Multo magis non habet locum reſervatio in caſibus , in quibus diſputant DD. , an licita ſit occiſio , nec ne .

Quia caſus reſervatus comprehendit etiam Mandantes , obſervare debet Confeſſarius , quod , cum ſimus in odioſis , ad incurrendam reſervationem mandatum debet eſſe expreſſum , itemque voluntarium , hoc eſt , non in ſubita ira factum ; quamvis voluntarium cenſeatur , ſi dum paſſio potuit quieſcere , adhuc tamen mandatum non revocetur . Demum mandatum debet eſſe de ipſo homicidio , vel de cauſa ejuſdem proxima . Eo quod tamen nec homicida , nec mandans incurrunt reſervationem , niſi effectu ſequuto , hinc eſt , quod , ſi quis ſacramentaliter abſolvatur , antequam ex lethali vulnere mors ſequatur , immunis erit a reſervatione , quia hæc non habebat locum , niſi morte ſequuta , & quando hæc evenit , non eſt amplius culpa , quæ reſervetur .

II. Advertat Confeſſarius ad avertendum periculum occidendi puerum , in noſtra Diœceſi caſum eſſe ſequentem eſſe reſervatum : *Detentio infantium in lecto ante nonum menſem completum extra capſulam* . Quicumque ergo , ſcilicet ſive Mater , ſive Nutrix , ſive Pater , ſive quicumque alius ita tenet intra ſuum lectum puerum , ut ab ipſo immineat periculum illius ſuffocandi , hac reſervatione innodatur . Hinc incidet in reſervationem quicumque , etiam brevi tempore , extra capſulam extrahit , ſi prudenter timeat ſe ſomno corripiendum , quia tunc tale periculum imminet . Secus ſi expertus ſit inſomnem manere , quamvis aliqua vice per accidens ſomno correptus . Multo minus in reſervationem incideret illa Mater , quæ ex aliqua cauſa puerum e capſula extrahit , ſi interim aliquem faciat evigilare , ne ſomno corripiatur . Poterit etiam excuſari a reſervatione illa mulier , quæ extraheret puerum implacabiliter plorantem animo ſtatim illum capſulæ reſtituendi , quia difficile eſt a ſomno opprimi , uſque dum puer ita plorat . Secus , ſi experientia ſciret , puero etiam plorante , a ſomno opprimendam . Item excuſatur Mater gravi infirmitate laborans ſi cum non poſſit ſine gravi periculo a lecto aſſurgere , puerum plorantem a cunis extrahit , ut ibi ipſum reſtituat , poſtquam conſopierit . Idem multo magis dicendum , ſi vel ratione frigoris , vel infirmitatis , neceſſarium ducat ad ſalvandum puerum , illum in ſinu ſuo fovere . Illud univerſaliter notet Confeſſarius , quod ſi ipſa extractio e capſola propter aliquam circumſtantiam non ſit graviter peccaminoſa , non ſubjacet reſervationi , quamvis extrahentes ex conſcientia erronea ſe graviter peccare putarent . Notare etiam debet reſervatione non ligari extrahentes , ſi ſibi non efforment conſcientiam peccati gravis , ad quam culpam multoties non attendunt Nutrices , dum non plene vigilantes extrahunt infantulos .

Cum etiam litera caſus loquatur de detinentibus in lecto , ſequitur non ſubjacere reſervationi extrahentes puerum e capſula , ſi lecto aſſideant , quamvis peccare poſſint , ſi periculum ſit , ut ita aſſidentes ſomno opprimantur cum periculo ſuffocationis . Item quia præcipitur detentio in capſa ad tale periculum removendum , hinc non habet locum reſervatio , ſi e. g. ita aggerantur panni circa puerum , ut illud periculum abſit . Ita etiam dicendum , ſi aliquis longe a puero dormiat in eodem lecto , dum pene immotus ſoleat dormire . Demum Immunis eſt a reſervatione , qui puerum prope ſe non haberet , ut ſi e. g. inter puerum , & ipſum mediet Mater , ſeu Nutrix , quia tunc ab ipſo non imminet periculum ſuffocationis .

Cæterum quamvis caſus loquatur de detinentibus puerum extra capſulam ante nonum menſem completum , debet Confeſſarius admonere præcipue Matres , & Nutrices , ut etiam poſt tale tempus omne ſuffocationis periculum removeant , alias graviſſime etiam tunc peccabunt , quamvis ceſſet reſervatio .

C A P U T V.

De Duello .

DUellum non eſt medium aptum ad demonſtrandam veritatem , & in teſtimonium innocentiæ ; ſæpe enim accidit , ut innocens ſuccumbat .

1 Licitum non eſt Judici duellum Reo indicere propter ſcandalum , ſi reus innocens ſit : Sed quandoque licitum eſt Reo in tali neceſſitatis caſu acceptare , tum ex zelo publicæ juſtitiæ (ſi uterque reus ſit) tum propriæ vitæ ſalvandæ gratia (*a*).

„ (*a*) Attamen ſi tunc reus acceptaret duellum ,
„ non eſſet proprie reſpectu illius acceptatio duelli ,
„ ſed proprie defenſio vitæ ſuæ contra aggreſſorem .
„ Si vero Judex reo minitaretur hoc modo : *vel acce-*
„ *pta duellum cum Titio provocante ; vel ſi negas , ego*
„ *te occidam propter crimina tua ;* id ſi accideret , cre-
„ do duellum acceptari non poſſe ; non enim licet di-
„ recte tendere in rem malam , ut ex hoc tanquam
„ medio vitam noſtram ſervemus .

NB. Si alicui certo cognitum ſit , ſe per calumniatorem (accuſatorem falſum) injuſte in judicio oppreſſurum iri , licet ipſi duellum offerre , & acceptare , quando unico hoc medio periculum mortis , infamiæ , amiſſionis omnium bonorum a ſe avertere putat . Aſſerunt Molina , Navarrus , & alii .

Sententia Laymanni hæc eſt : Ad liberandam vitam e certo periculo mortis quandoque fas eſt cum iniquo accuſatore duellum inſtituere quocunque modo , eo quod contra iniquum accuſatorem , & inſidiatorem vitæ naturali Jure cuivis permiſſa ſit defenſio : Ergo ſi aliud medium non ſuppetat evadendi , poteſt duello quis ſe defendere : Tamen cum conſenſu Principis . Quoad honoris , & fortunarum defenſionem vix in praxi occurret caſus . Nam vel innocentiam tuam demonſtrare potes , vel non ? Si primum , nulla erit duelli neceſſitas . Si ſecundum , etſi duello certes , ac vincas , non ideo criminis ſuſpicionem abolebis . Ob bona temporalia non videtur hoc Chriſtiano homini conſentaneum . Calumniatorem autem te in vitæ diſcrimen adducentem clam e medio tollere ſi voles , peſſimum exemplum , ac ſcandalum dabis , ſi innoteſcat , a te hominem de calumnia non convictum occiſum eſſe , & alii ſequentur malum hoc exemplum cum maximo Reipublicæ detrimento (*b*).

„ (*b*) In toto hoc capite cavendæ ſunt propoſi-
„ tiones nonnullæ tum a Bened. XIV. damnatæ de
„ duello , tum etiam alia ab Inn. XI. cenſura ino-
„ ſta . Quæ de duello ſupra ſignificatæ ſunt ; quæ ve-
„ ro ab Inn. XI. hic ex me dantur . Propoſitio 30.
„ *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem , qui nititur*
„ *calumniam inferre , ſi aliter hæc ignominia vitari ne-*
„ *quit ; idem quoque dicendum , ſi quis impingat ala-*
„ *pam , vel fuſte percutiat , & poſt impactam alapam ,*
„ *vel ictum fuſtis fugiat* (nota hæc poſteriora verba
„ contra ſententiam Laymanni ſupra relatam) . Huc
„ etiam ſpectat alia propoſitio 18. inter damnat. ab
„ Alex. VII. *Licet interficere falſum accuſatorem , fal-*
„ *ſos teſtes , ac etiam Judicem , a quo iniqua certo*
„ *imminet ſententia , ſi alia via non poteſt innocens da-*
„ *mnum vitare .*

3 In bello ſeu offenſivo , ſeu defenſivo plerumque licitum non eſt duellum cum hoſte inſtituere (quippe cum inefficax ſit modus reſiſtendi per unum ; efficacior autem modus reſiſtendi conjunctis viribus : Ergo inique communis defenſio uni ſoli committitur) niſi in his caſibus : Si hoſtis duellum exercitui offerat , ad avertendam ignominiam ; & finiendum bellum , juxta exemplum Davidis . 1. Reg. 17.

4 Pœna Excommunicationis decreta eſt contra duello

con-

congredientes ; & eorum patronos , auxiliatores , ſpectatores , & Eccleſiaſtica ſepultura privandi ſunt.

Regulæ in praxi obſervandæ .

I. Cum non detur verum duellum , ni adſit periculum gravis vulneris , mutilationis &c. dicendum eſt non committere duellum , neque in excommunicationem incidere eos , qui pergunt ad deſtinatum locum ſine animo pugnandi , cum jam convenerint cum Amicis , ut ibi adſint , impediant pugnam , & pacem componant . Verum tamen eſt difficiliter id fieri poſſe abſque gravi peccato propter ſcandalum aliorum , qui putabunt rorum id ſerio fieri . Idem aliqui dicunt de accedentibus ad conventum locum , non animo vere pugnandi , ſed ſolum inferendi aliquos ictus cum morali ſecuritate nullum damnum ſequuturum , ſed potius exinde pacem conciliandam , quia non eſt verum , ſed ſimulatum duellum : *Dian. p. 2. tr. 16. reſol. 55. &* *p. 3. tr. 6. reſol. 1. concluſ. 7. Floron. de duello c. 6. §. 2. Filiuc. tr. 15. c. 5. qu. 5. num.* 13. Idem probabiliter dicas de iis , qui provocati ad duellum eo accedunt , ſolummodo animo honoris defendendi , ſi ex aliqua cauſa moralem habeant certitudinem ſe non pugnaturos ; *Pignatell. t. 2. conſ.* 88. n. 37.

II. Cum regula generalis ſit non incurri pœnas Eccleſiaſticas, & maxime Cenſuras , quando adeſt opinio probabilis aliquem excuſans n talibus cenſuris , hinc eſt , Confeſſarium debere animadvertere , ſi adſit opinio vere probabilis aliquem non commiſiſſe duellum , vel fuiſſe excuſandum a Cenſuris , nullatenus illum habendum pro excommunicato .

Hinc licet inferre non eſſe excommunicatos eos , qui alibi incœpta rixa ſe invitant eodem calore iræ ad exeundum e tali loco , ut alibi liberius pugnent , quia non eſt pugna ex condicto cum determinatione loci , & temporis , ſed intelligitur eſſe moraliter eadem rixa primo incœpta ſine deſignatione temporis , & loci : *Aloyſ. Ricc. in prax. rer. for. Eccleſ. deciſ.* 634. *ſeu* 537. Idem dicas , ſi quis alteri diceret , *tecum pugnabo prima vice , quando tibi obvius fuero per urbem* , etſi alter acceptet ; nam non videtur ſufficienter deſignatum certum tempus , & locus . Illos poterit Confeſſarius abſolvere ; quamvis enim multi teneant commiſiſſe duellum , revera tamen probabile eſt non commiſiſſe : *Dian. p. 5. tr. 14. reſol.* 25. Secus dicendum , ſi certus locus determinetur , nam determinatio temporis adeſt : *Pereg. de Duell. q. 15. num.* 3., *Sanch.* in *Decal. l. 2. c. 39. num.* 28. *Reginal. l. 21. c. 5.*

Item poterit Confeſſarius abſolvere eum , qui dedit conſilium ad duellum , ſed revocavit quantum potuit ; quia probabile eſt non incurriſſe excommunicationem , quamvis ſit ſequutum duellum .

Idem dicatur de ſpectatoribus duelli , qui ibi ſiſtunt ſolum curioſitatis cauſa ; nam probabile eſt excommunicationem ſolum afficere illos Spectatores , quorum præſentia movet duellantes ; ſeu ibi adſunt animum , & authoritatem dantes duellantibus , ſeu ut Teſtes , Judices & Arbitri , vel etiam ut Approbatores : *Tamb. l. 5. t. 2. d. 13. num.* 21. *Dian. p. 5. tr. 14. reſol.* 100.

Denique puto poſſe Confeſſarium abſolvere provocantes , & acceptantes duellum , ſi pugna non ſequatur , etſi acceſſerint ad locum duelli . Verum igitur eſt ſupracitatos Pontifices velle ligatos excommunicatione reſervata omnes quomodolibet cooperantes ad duellum , etiamſi pugna non ſequatur : nihilominus quia ibi nulla ſit mentio de Principalibus provocantibus , & acceptantibus duellum , ſatis probabiliter multi Theologi negant eos ligari excommunicatione ; nam pœnæ ſunt ſtricte intelligendæ , adeoque non cenſentur habere locum , niſi poſt delictum exterius conſummatum , ni aliter expreſſiſſime ſtatuatur . Neque valet opponere ſtylum Curiæ , quo iſti Principales habentur pro excommunicatis ; nam ſtylus Curiæ non facit legem , niſi ubi adeſt præceptum ſaltem virtuale Papæ : *Petr. Hurtad. diſp.* 107. §. 100. , *Anton. a Spir. Sanct. tr.* 8. *diſp.* 3. num. 57. , aliique apud ipſos .

C A P U T VI.

De Obligatione compenſandi damnum ex Homicidio , vel Mutilatione .

1 NB. Contra iniquum aggreſſorem duæ actiones oriuntur . Una ad compenſationem damni illati ſecundum commutativæ juſtitiæ æqualitatem , cujuſmodi obligatio ex ipſa natura facti oritur ante ſententiam Judicis : Sed ſi homicidæ pœna mortis a Judice decernatur , compenſatio damnorum ferme exigi non ſolet , cum tamen in rigore exigi poſſit , eo quod damna privata per publicam punitionem non reſarciantur . Altera eſt actio civilis , & criminalis ad ſatisfactionem pro injuria , de qua dixi hoc Tract. Parte 2. Cap. 6. num. 6.

In æſtimationem damni , quod injuſte vulnerans reſarcire tenetur , imprimis veniunt impenſa facta in Medicos , Chirurgos : Deinde operæ , quibus homo caruit , vel cariturus eſt . V. C. ſi opifex vulneratus in labore impeditus fuit , lucrum illi ceſſans compenſari debet , deductis tamen expenſis , quas facere oportuiſſet , non vero moleſtiæ , laboris , cum lucrum plerumque labori commenſuratum ſit .

2 Pro cicatricis deformitate , membri , ipſiuſque vitæ jactura , nulla compenſatio facienda eſt ante Judicis ſententiam , juxta l. ultimam , ff. de his . *In homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt* . Id eſt : Vita hominis liberi , & membrorum integritas alterius generis , & altioris ordinis ſunt , quam ut in commutationem pro pecunia venire , & quaſi venalia fieri poſſint :

Tamen poteſt Judex in foro externo ſecundum juſtitiam vindicativam mulctam pecuniariam homicidæ decernere , applicandam offenſo , ejuſve hæredibus . Et Confeſſarius in foro interno pro pœnitentia poteſt imponere Reo ſacrificia , preces , &c. animæ occiſi applicandas .

NB. Sumptus funebres non veniunt in reſtitutionem , niſi occaſione necis illatæ , V. C. in alieno loco , vel extra patriam majores fieri oportuerit .

3 Homicida damnum compenſare debet , quod exinde provenit occiſi parentibus , liberis , uxori , ob conjunctionem , quam gerebant cum perſona defuncti , atque inde ortum legale jus petendi ab eo alimenta . Quod ſi ipſis hæredibus ob injuſtæ mortis accelerationem minuatur , compenſatio illati damni facienda erit , niſi percuſſus percuſſori ſponte omnem reſtitutionem condonarit . Damnum vero , quod familiaribus , & clientibus per accidens provenit , non videtur ex juſtitiæ lege compenſandum eſſe , eo quod defunctus ex juſtitia nihil debuerit .

4 Creditoribus illatum damnum ex juſtitia reſarcire debet homicida , eo quod occiſus arctiore obligatione juſtitiæ tenebatur erga creditores , quam erga parentes , liberos , & uxores : Cujus rei ſignum eſt ; quia his alimenta , & hæreditas non præſtatur , niſi deducto ære alieno : Ergo , ſi homicida filiis , uxori , damnum illis eventum reſarcire tenetur , multo magis creditoribus , quamvis id in praxi non obſervetur .

5 Ut homicida , vel vulnerans in conſcientia obligatus ſit ad damni compenſationem , neceſſe eſt , eum adverſus juſtitiam deliquiſſe . Unde , qui alium ad duellum provocavit , vulnerans illum non tenetur ad ullam reſtitutionem . Ratio : Quia volenti non fit injuria . Idem cenſendum de occumbente in haſtiludio propter pactum remiſſionis , quod implicite inter ludentes intercedere cenſatur .

NB. Qui aggreſſorem vulneravit ultra moderamen inculpatæ tutelæ , tenetur reſarcire damnum ſecundum proportionem injuſti exceſſus . Alii autem dicunt , quod ad totum damnum teneatur propter peccatum mortale commiſſum propter exceſſum , quod ſecum trahit integram reſtitutionem ; niſi Judex in tali caſu damni reſtitutionem condonet .

Regulæ in praxi obſervandæ .

I. Obſervet Confeſſarius quod licet verum ſit vitam hominis liberi , vulnus illatum &c. non eſſe pretio æſtimabilia , nihilominus homo injuſte læſus poteſt tranſigere cum offenſore , & ex pacto aliquid accipere in pecunia &c. , & hoc vel ſequendo illam opinionem , qua dicitur vulnera , & mutilationem eſſe pecunia compenſabilia ; vel quia ita decrevit Judex in pœnam delicti ; vel quia vulneratus , vel conſanguinei occiſi poſſunt criminaliter agere in judicio contra offenſorem , unde ut deſiſtant a querela , ſeu accuſatione , quod eſt pretio æſtimabile , poterunt ſumere pecuniam , de qua in tranſactione convenerunt .

II. Bene advertat Confeſſarius , qui moribundo aſſiſtit , iſtum monendum , ut ante mortem declaret ; an provocaverit ad pugnam offenſorem , vel pari conſenſu cum ipſo pugnam fuerit aggreſſus ; nam cum in tali caſu nulla ſit obligatio reſtitutionis reſpectu homicidæ , debet ante mortem id declarare moribundus , ne ipſius hæredes ab ipſo aliquid exigant . Item debet manifeſtare , ſi occiſus fuerit ab eo , quem abſque provocatione invaſit , quamvis invaſus exceſſerit modum in ſe defendendo ; nam ex ſupradictis probabiliſſimum eſt , invaſum tunc non teneri integre reſtituere damna , ſed aliquid minus arbitrio prudentum , qui debent conſiderare invadentem ſibi fuiſſe cauſam damni , alterum injuſte invadendo ; ſicut etiam debent perpendere quem exceſſum commiſerit invaſus in ſe defendendo .

III. Advertat demum Confeſſarius , nullatenus ſuadendum vulnerato , ut remittat offenſori damna ſequuta ex vulnere , vel ſequutura ex ipſius morte , quoties verum ſit ipſius filios , ſeu alios hæredes neceſſarios indigere reſtitutione talium damnorum .

C A P U T VII.

De Irregularitate orta ex Homicidio , vel Mutilatione , publica authoritate facta .

1 AD Irregularitatem contrahendam ; V. C. ob defectum perfectæ lenitatis , non requiritur culpa , ſed ſufficit voluntas etiam virtualis ſecuto effectu . Ratio : Quia Irregularitas non eſt pœna , ſed macula moralis , ſive indignitas ad Altaris miniſterium . Indecens enim eſt , ut is , qui voluntarie ſine neceſſitate hominis ſanguinem fudit , Chriſti manſuetiſſimam perſonam in Altari repræſentet . Tales ſunt Advocati , Judices , Aſſeſſores , Accuſatores , Demonſtratores , Teſtes , Tabelliones , qui torquendo exprimunt confeſſionem Rei ; qui dictant , ſcribunt , ſignant , publicant litteras pro vindicta ſanguinis deſtinatas ; item Executores ſententiæ , & ſatellites

illius. Illi omnes Irregularitatem incurrunt ob defectum perfectæ lenitatis: Item lictores, ſi capti deinde occidantur.

2 Neceſſe tamen eſt, ut cooperatio ad mortem notabilis ſit, & non admodum remota. Unde opifices, facientes ſcalas, patibula, non ſunt irregulares. Sed, qui applicant funes, & ſcalas, irregulares fiunt: hi enim cenſentur cauſa propinqua. Item, ſi Titius litteras ſibi miſſas (continentes mandatum capiendi malefactorem) Clerico det ad legendum, non fit irregularis Clericus, eo quod ſit cauſa remota. Non irregularis fit, qui imperat, ne Reus per viam publicam cum ſuo, & familiæ majore dedecore ducatur, ſed via breviore, etſi per accidens contingat, mortem accelerari. Nec Clericus ſpectans Reum, ſupplicio afficiendum; indecens tamen eſt ob curioſitatis vitium.

NB. Si Confeſſarius hortetur Reum, ut in via procedat, non fit irregularis; nam parum pro nihilo reputatur: Si autem cooperatio, vel acceleratio notabiliter facta ſit, Irregularitatem contrahit.

3 Prælati abſque Irregularitatis periculo Reum veluti incorrigibilem ſæculari poteſtati tradere poſſunt. Ratio: Quia ipſi mortis ſententiam non pronuntiant, imo generatim adhortari poſſunt Magiſtratum, ut exequatur.

4 Si Epiſcopi, & ſimiles Prælati temporalem etiam juriſdictionem obtinent, leges adverſus malefactores condere, Judices creare, iiſque cauſas criminales committere non prohibentur, adjecto mandato, ut Juris ordo ſervetur. Poſſunt tamen etiam pœnam ignis mutare in leviorem: Quia hoc modo non cauſa mortis, aut ſupplicii exiſtunt, ſed potius, ut pars ſupplicii dematur, qui miſericordiæ, non ſeveritatis, actus eſt.

NB. Clericus fit irregularis, ſi ſuadeat ex Jure, aut conſulat, etiam generaliter rei veritatem aperiendo, poſſe talem, & talem accuſari, & mutilatio, vel mors ſequatur. Confeſſarii poſſunt Judicibus in Confeſſionibus denegare Abſolutionem, niſi Reum noxium Reipublicæ morti adjudicare proponant; item poſſunt hortari Reum, ut crimen fateatur. Nam Eccleſia noluit Irregularitatis obicem ponere, quo minus Juriſperiti, & Confeſſarii ſcientia, ac munere ſuo ſalubriter fungi poſſent.

5 Qui in perſona (etiam Clerici) vel rebus ſuis, aut ſuorum domiciliorum, conjunctorum (non aliquorum extraneorum) injuriam paſſus eſt, abſque Irregularitatis periculo malefactorem Magiſtratui denuntiare, & civiliter contra ipſum agere poteſt cum expreſſa proteſtatione, quod ſanguinis vindictam non intendat. Ratio: Quia alioquin daretur [illegible] pleriſque trucidandi eoſdem, & eorum bona libere deprædandi. Imo etiam Eccleſiaſticus poteſt malefactorem ſuum, ſi neceſſe ſit, eo fine capere, detinere, & Judici tradere: Quia, cui conceſſus eſt finis, ei etiam media neceſſaria ad talem finem conceſſa ſunt:

NB. Talis proteſtatio non prodeſt Judici, aut Advocato: Quia tales non propriam, ſed alienam cauſam proſequuntur. Quæ etiam ratio eſt, cur Clerici ordinarie compelli non poſſint ad ferendum teſtimonium in cauſa criminali; quia illis per Canones prohibitum eſt.

6 Canones non infligunt notam Irregularitatis propter officium debitum ex lege charitatis, alteriuſve virtutis. Unde licitum eſt abſque Irregularitatis periculo, accuſare malefactorem, ſi ita neceſſe ſit ad defendendam, vel liberandam Rempublicam, aut innocentem a gravi periculo.

NB. Irregularis non fit, qui aqua frigida infantem baptizat, etſi contingat ideo citius mori. Nec incurritur Irregularitat ab eo, qui clamat, ut fur deprehendatur ſuſpendendus: Quia opus charitatis exercitum eſt.

NB. Dixi: *Civiliter contra ipſum agere poſſe*. Nam actio criminalis de delicto, quod mortem, vel mutilationem meretur, a Clerico ſine peccato, & periculo Irregularitatis non poteſt inſtitui: Nec juvat proteſtatio, utpote inutilis, & facto contraria.

Dixi: *Cum expreſſa proteſtatione*. Nam qui denuntiat, vel accuſat (etiam civiliter) de crimine, quod ſcit dignum morte, vel mutilatione, is indirecta voluntate cenſetur eſſe cauſa mortis; quippe ad quam decernendam Judex ratione officii ſui moveri ſolet occaſione ejuſmodi denuntiationis. Verum talis indirecta voluntas ſecundum Canonum conſtitutiones retractari cenſetur per proteſtationem illam, eo ſaltem caſu, quo quis ſuam, vel ſuorum injuriam proſequitur.

CAPUT VIII.

De Irregularitate ex Homicidio contingente in bello offenſivo.

1 QUi in bello offenſivo hominem propria manu occidit, vel mutilat, irregularis efficitur, in bello juſto ex defectu perfectæ lenitatis, in injuſto vero ex injuſta deformatione.

2 Qui bello juſto interſunt, opemque adferunt, ſi neminem propria manu mutilent, Irregularitatem non contrahunt, idque ideo, ne homines metu Irregularitatis a bellando abſterreantur. Secus eſt in bello injuſto, in quo ob unius occiſionem, vel mutilationem omnes, qui auxilium attulerunt, irregulares efficiuntur, tanquam una cauſa moralis.

CAPUT IX.

De Irregularitate ex Homiridio ob defenſionem.

1 QUi ob neceſſariam corporis ſui defenſionem occidit, vel mutilat hominem, irregularis non fit, nec infantes, nec dormientes, nec Clericus, nec occidentes invaſores ſuos.

2 Qui ob neceſſariam Reipublicæ, vel hominis innocentis defenſionem ex obligatione charitatis pugnant, Irregularitatem non contrahunt: Ratio: Irregularitas non incurritur, niſi ex homicidio ſpontaneo; hoc autem, de quo loquimur, non omnino ſponte, ſed cogente neceſſitate legis patratum eſt: NB. Judex, Carnifex, ſponte aſſumpſerunt officia ſua.

NB. Clerici in Majoribus pugnantes propria manu in bello defenſivo incurrunt Irregularitatem, quando per laicos vis, & injuria depelli poteſt. Secus, ſi per laicos patria ab iniquis invaſoribus liberari nequeat.

3 Qui iniquum aggreſſorem (furem etiam) ob famæ, aut bonorum defenſionem mutilat, occidit, irregularis efficitur ob defectum manſuetudinis: Quia magis conforme eſt Chriſtianæ charitati ad imitationem manſuetudinis Chriſti injuriam ſuſtinere. Secus eſt in defendenda vita: Hunc enim caſum Canones exceperunt, quod tanto minor in ea cernatur manſuetudinis defectus, quanto major, & naturæ conformior vitæ defendendæ neceſſitas.

CAPUT X.

De Irregularitate ex Homicidio voluntario, & caſuali.

1 OB Homicidium mere caſuale; ac fortuitum non incurritur Irregularitas, ſive aliquis dederit operam rei licitæ, ſive illicitæ: Quia Irregularitas non incurritur, niſi in caſibus Jure expreſſis.

2 Adulter irregularis efficitur, ſi occaſione adulterii homicidium, occidendo maritum aggreſſorem, ſecutum eſt; modo ille tale periculum præviderit: Quia indirecte cauſam præbuit ſecuti homicidii propter vitæ defenſionem.

NB. Irregularis efficitur, qui jubet aliquem verberari, prohibens, ne mutilet, vel occidat, ille vero mandati fines egreſſus mutilarit, vel occiderit juxta deciſionem c. ult. de homicid. in 6. ubi ratio additur: *Cum mandando in culpa fuerit, &, hoc evenire poſſe, debuerit cogitare.*

3 Clericus in Sacris irregularis efficitur, ſi exercendo artem Chirurgicam per inciſionem, vel aduſtionem, quamvis omni adhibita diligentia, hominem occidat, vel mutilet, juxta Reg. 19. in 6. *Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe miſcet.* Excipe caſum neceſſitatis, ubi Chirurgus haberi non poteſt. Nec Clericus fit irregularis, ſi præter intentionem in venatione occidat hominem: Quia perraro cum venatione conjuncta eſt hominis occiſio.

4 Ad contrahendam Irregularitatem ex homicidio indirecte voluntario requiritur culpa mortalis, ſi quis operam dedit rei licitæ: Sin vero rei illicitæ, ſufficere videtur culpa venialis.

Excepta prioris habes in Judice, præter intentionem Reum, ad Carcerem damnatum, ita victus tenuitate premente, ut fame conficiatur; in Judice Reum torquente, & præter intentionem occidente; in Magiſtro diſci-

diſciplinæ cauſa puerum caſtigante, & præter intentionem occidente; in Medico, vel Chirurgo per negligentiam, vel imperitiam reſpectu ægroti; in infirmario movente ægrum in lecto, & præter intentionem mortem accelerante; in patre paupere prolem præter intentionem in lecto opprimente; in patrefamilias ferocem canem alente, & incaute ligante. Excepta poſterioris habes in Clerico in venatione hominem præter intentionem occidente; in Clerico ſaltante cum gravida, unde abortus prolis animatæ contingit. In praxi tamen nemo niſi ob mortale cenſetur incurrere Irregularitatem: Nam utrum homicidium ſecutum ſit ex operatione ſecundum ſe licita, an illicita, pertinet ad forum externum tantum, in quo præſumptio fieri ſolet contra eum, qui rei illicitæ operam dedit, non ſine lata ejus culpa homicidium accidiſſe; præſumptio autem cedit veritati.

5 Si vulneratus vulnere non lethali mortuus eſt ob Chirurgi penuriam, aut imperitiam, inique vulnerans irregularis efficitur. Nam hoc caſu ſolum vulnus cauſa phyſica mortis exiſtit. Eademque ratio eſt, ſi occaſione vulneris alius morbus acceſſit, mortem inferens: Nam *cauſa cauſæ cenſetur etiam cauſa cauſati*.

Econtra, ſi vulneratus convaluit, & relacidit, vulnerans ab Irregularitate, & obligatione homicidii immunis erit; idque judicio Medicorum relinquendum, an mors acciderit ex vulnere, nec ne.

CAPUT XI.

De Irregularitate ex Mutilatione.

1 MUtilaſſe is ſolum dicitur, qui alicui membrum abſcindit.

2 Qui alteri autem, naſum, aut digitum unum ex majoribus amputavit, videtur Irregularitatem incurrere (nam de minoribus dubitat Suarez) Ratio: Quia Canones intelliguntur quamlibet partis organicæ abſciſſionem, ob quam corpus humanum notabiliter ſua integritate privatur.

3 Qui ſibi ipſi digitum, aliudve membrum per iniquitatem abſcidit, irregularis eſt.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. In præſenti materia ſemper præ oculis habeat Confeſſarius illud principium, quod nempe in dubio juris non eſt admittenda Irregularitas, atque hoc dubium utique conſurgere, quando DD. pro parte negativa, non ſine rationabili fundamento, ſuam ſuſtinent opinionem. Ex hac ratione reflexa certum eſt non eſſe Irregularem, qui abſcindit membrum alterius, quod peculiare non habet officium, ut ſi digitum abſcindat; quia alterius membrum peculiare habens officium non abſcindit, ſed inutile, & mortuum reddit; qui omittit defendere Innocentem, ad cujus defenſionem ex juſtitia tenebatur; qui occideret injuſtum invaſorem rerum temporalium gravis momenti, quia alio pacto non poſſet illas liberare &c. In his caſibus, cum non ſine gravi fundamento ſuſtineant DD. non habere locum Irregularitatem ex homicidio ſive voluntario, ſive caſuali, ut dictum eſt capite ſuperiori, verum dubium juris conſurgit, an inducenda ſit Irregularitas, adeoque omnino eſt excludenda, nec Confeſſarius, attenta hac ratione reflexa, debet Pœnitentem inquietare propter authoritatem, & rationes contrariæ ſententiæ. Idem dicendum in omnibus particularibus caſibus, in quibus hinc inde gravi ratione diſputatur; an inducenda ſit Irregularitas.

II. Moneat Confeſſarius Sacerdotes, alioſque Clericos Infirmis aſſiſtantes, ne propter timorem Irregularitatis, Infirmo e. g. ſiti æſtuanti aliquid bibendum denegent; neque renuant illum revolvere, ſive in aliud latus vertere, ut ſolatium aliquod accipiat. Non deſunt vel Ignorantes, vel ſcrupoloſiores Sacerdotes, qui ex eo quod timeant mortem Infirmo accelerare, ac ſeipſos Irregularitate innodare, omnino abhorreant a præſtandis his Charitatis officiis. Cum igitur hæc præſtando, incumbant rei licitæ, & quando etiam ſequeretur aliqualis mortis acceleratio, jubeat Charitas, ut in tanto angore Infirmi non relinquantur, hinc eſt, non eſſe ab eis pertimeſcendam pœnam Irregularitatis. Immo non deſunt Theologi, qui dicant nec habere locum Irregularitatem, etſi hujuſmodi fierent animo mortis accelerandæ, nam actio externa, cui correſpondere debet Irregularitas ex delicto, mala non eſt.

E contra Confeſſarii moneant Sacerdotes, & Clericos, ne temere e ſuo cerebro medicamenta præbeant Infirmis, vel ea varient contra præſcriptum Medici; nam tunc darent operam rei illicitæ; unde faciliſſime fierent Irregulares, ſi ſequeretur mors vel notabiliter acceleraretur. Idem dicendum, ſi Infirmo ſitienti tribuerent immoderatum hauſtum aquæ, quando ob ejus debilitatem timere quis poſſet illi graviter nociturum.

III. Si accidat aliquem occidere ſuum Invaſorem, non omnino ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, Confeſſarius non ſtatim illum pronunciet Irregularem. Diligenter illum interroget, & videat, an graviter cognoverit exceſſiſſe; nam ſi ex iræ impetu, vel inopinato eventu non cognovit graviter excedere, cum non peccaverit graviter, neque incidit in Irregularitatem.

CAPUT XII.

De Diſpenſatione ſuper Irregularitate ex Homicidio, & Mutilatione.

NB. 1. PRivilegium Epiſcopis a Tridentino Concilio conceſſum eſt diſpenſandi ſuper omni Irregularitate proveniente ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario: Dico: *Privilegium*. Alioquin enim Epiſcopi non poſſunt diſpenſare in lege Pontificia.

NB. 2. Qui occultum homicidium perpetravit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri poteſt, nec ad ulla beneficia. Si vero vim vi repellendo modum exceſſit, jure ipſi quodammodo diſpenſatio debetur.

1 Cum homicida voluntario, quamvis occultus ſit, ſolus Papa diſpenſare poteſt.

2 Probabile eſt, Epiſcopum diſpenſare poſſe in Irregularitate ex mutilatione illicita, ſi occulta ſit. Ratio: Quia Concilium tantum exprimit homicidium. Quare hæc exceptio firmat regulam in aliis. Et licet in Jure æquiparentur homicidium, & mutilatio quoad cauſas incurrendi Irregularitatem, non tamen quoad cætera. Item Epiſcopus diſpenſare poteſt in homicidio occulto, facto cauſa defenſionis, ſed excedendo moderamen inculpatæ tutelæ. Ratio: Quia tale homicidium non cenſetur ſimpliciter voluntarium eſſe.

NB. 1. Probabile etiam eſt, Epiſcopum diſpenſare poſſe cum homicida occulto, qui tamen hominis necem non intendit directe, ſed ſolum indirecte, & in cauſa, V. G. Si quis mulierem gravidam percuſſit, & abortum procreavit: Si quis tegulam improvide ex tecto dejiciens, hominem occidat: Si quis alterum inique verberari mandavit prohibens, ne occideretur; mandatarius vero fines mandati egreſſus omnino occidit. Nam talia homicidia, cum non ſint ex propoſito directo, ac formali, non ſunt ſimpliciter, ac perfecte voluntaria, ſed veluti mixta ex voluntario, & caſuali: Idcirco ejuſmodi occulta homicidia indiſpenſabilia non ſunt, nec comprehenſa ſub exceptione Concilii Tridentini.

NB. 2. Parochus poteſt abſolvere homicidam occultum, ſi aſſerat, ſe non habuiſſe propoſitum occidendi, ſed ſolum rixandi, poſtea vero neceſſitate compulſum fuiſſe, ut occideret, ne ipſe occideretur; nam hoc non cenſetur reſervatum, niſi ſit notorium.

NB. 3. Licet is, qui ex commiſeratione infirmum vertit, ut liberet eum anguſtiis mortis, graviter peccet, & accelerando mortem irregularis fiat; tamen poteſt Epiſcopus cum tali diſpenſare: Quia homicidium voluntarium indiſpenſabile intelligitur, quod animo crudeli, & inimico fit.

3 Cum homicida indirecte volontario, quamvis notorio, Epiſcopus diſpenſare poteſt, ſaltem ad Ordines minores, & beneficium ſimplex.

4 Nomine homicidii indiſpenſabilis intelligitur homicidium tantum directe voluntarium injuſtum: Unde cum Clerico in bello juſto occidente poteſt diſpenſare Epiſcopus: Regulares tantam habent poteſtatem ſolum in foro interno.

5 Epiſcopus per facultatem in Tridentino Concilio conceſſam diſpenſare non poteſt ſuper Irregularitate ob lenitatis defectum cum milite, Judice, accuſatore, teſte, &c. & ſimilibus Irregularitatibus abſque delicto contractis. Ratio: Quia talis Irregularitas non provenit ex delicto.

6 Irregularitas non ligat cum gravi periculo vitæ, aut famæ. V. C. Sacerdos, qui occultum homicidium commiſit (etſi ſtatim debeat ſollicitare diſpenſationem) ſed niſi Miſſam celebret, in ſuſpicionem ſceleris veniet, poteſt poſt pœnitentiam celebrare ad vitandam infamiam. Ratio: *Quia lex naturalis, & divina*, inquit Navarrus, *de defendenda propria fama præſtat legi humanæ de abſtinendo a Sacro in Irregularitate*. Eadem ratio eſt in aliis Irregularitatibus, & Excommunicatione. Et ſi in tali caſu difficilis ſit aditus ad Papam, poteſt Epiſcopus diſpenſare.

CAPUT XIII.

De Stupro.

1 STuprum (*eſt virginum illicita defloratio*) non continet diſtinctam ſpeciem peccati a ſimplici fornicatione, ſi abſit dolus, vis. Unde etiam in confeſſione non eſt neceſſario manifeſtandum. Ratio: Cum enim ſtuprum, ſive fornicatio cum virgine modo naturali concubitus fiat, præterquam quod extra legitimum matrimonium, non poteſt habere intra genus intemperantiæ, & luxuriæ aliam deformitatis ſpeciem, quam eam, quæ eſt ſimplicis fornicationis.

Nec reſtitutionis obligatio oritur virgini, ſi libere conſentiat: Quia *nulla eſt injuria, quæ in volentem fiat*. lib. 1. ſ. uſque adeo, ff. de injuriis. Nec parentibus: Quia puella libertatem habet in corpus ſuum, quo vel nunquam uti, vel uti, vel abuti poteſt. Quare, licet peccet, ſi abutatur, tamen non facit ulli injuriam, quia utitur jure, ac facultate ſua. Alia ratio eſt, ſi filia volens, patre invito, domo abducatur, aut venundetur: Tunc enim injuria patri infertur, utpote cujus jus, ac poteſtas patria violatur, ideoque ei actio injuriam proprio, non filiæ conſentientis, nomine competit.

2 Stuprator virginis, libere conſentientis, ad nullam damni reſtitutionem in conſcientiæ foro obligatur. Ratio: Quia nullam injuriam intulit. Et licet intuliſſet injuriam patri, non tamen damnum; quia damnum corporis filiæ volenti illatum non redundat in patrem, eo quod filia non ſit poſſeſſio patris, ſed liberum ſui corporis uſum habeat.

Excipe 1. Si ſtuprator occultum facinus puellæ non ſine injuria infamavit, tenetur damnum inde ſecutum filiæ, & parentibus ejus reſarcire.

Secundo. Si Judex in externo foro, ſecutus Sententiam probabilem Molinæ, &c. quod injuria inferatur parentibus, quorum filia etiam volens conſtupratur, ſtupratorem condemnet ad pœnam illis ſolvendam, obtemperare debet.

3 Stuprator puellæ per vim, fraudemve, debet eam dotare, aut in uxorem ducere; cum in alternativis debitoris ſit electio. Lex Exodi 22. de virginibus ſtupratis dotandis, & in uxorem ducendis eſt pœnalis, non obligans ante Judicis ſententiam.

4 Si puella occulte per vim ſtuprata nullum aliud damnum paſſa fuit, & æque virum honeſtum accepit, non videtur ille, qui ſtupravit, ad aliquam damni compenſationem in conſcientiæ foro obligandus. Ratio: Quia pro injuria, ſecluſo damno, nulla debet fieri reſtitutio; puella autem nullum damnum paſſa eſt, & clauſtri virginalis violatio non eſt pecunia æſtimabilis.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quamvis dictum ſit Defloratorem Virginis conſentientis, ſine ulla prævia promiſſione, non eſſe obligandum ad aliquam reſtitutionem, nihilominus advertas Confeſſarius, quod ſi deflorator ſit valde nobilis, & dives, & fœmina pauper, videtur obligandus ad aliquam reſtitutionem, nam licet non interceſſerit pactum expreſſum, videtur tamen implicitum interceſſiſſe, eo quod enim mulier pauper conſentiat a viro nobili, vel divite deflorari, cenſetur in id conſentire, quia putat defloratorem ſibi poſtea proviſurum de opportuno remedio &c. Hinc communiter etiam illi Theologi, qui non admittunt dari ex juſtitia talem obligationem, nihilominus monent Confeſſarios ut imponant diviti defloratori aliquam pœnam pecuniariam ſolvendam defloratæ.

II. Cum extra præfatum caſum, deflorator virginis libere conſentientis nihil ex juſtitia reſtituere teneatur, debet Confeſſarius cogere mulierem ad veritatem dicendam, ſi ipſa, vel ipſius Parentes agerent contra *ipſum* in judicio, ut eam dotaret, vel duceret. Verum utique eſt, quod a Judice cogetur eam ducere, quia præſumitur fuiſſe deceptam: *cap.* 1. *&* 2. *de Adulter. leg. unic. ff. de raptu*: nihilominus quia hæ leges fundantur in præſumptione deceptionis; ſicut non obligant in conſcientia, ſi falſa ſit præſumptio, ita tenetur mulier detegere veritatem, ne deflorator propter falſam præſumptionem cogatur a Judice ad id, ad quod non tenetur.

III. Item advertas in praxi Confeſſarius non eſſe excuſandum ab obligatione vel dotandi, vel ducendi Puellam illum, qui eam vi, & fraude cognovit, quamvis certo reperiat non eſſe Virginem, ut communiter judicabatur. Etenim accedens ad eam vi, & fraude, modo injuſto eam exturbavit ab opinione virginitatis, & conſequenter tenetur compenſare damnum, ſi ſequatur, uno ex modis præfatis.

IV. Non ſolent animadvertere Confeſſarii virum, vel mulierem laborantes morbo gallico teneri ad reparanda damna, quæ exinde obveniunt illis, cum quibus peccant, quando iſti ignorant tali morbo laborare. Id ergo bene notet Confeſſarius, ut quantum fieri poteſt obliget maxime divites ad reparationem damnorum, quæ puellis, præcipue honeſtæ famæ, ex hac cauſa obvenire.

CAPUT XIV.

De Adulterio.

1 ADultera plerumque non tenetur manifeſtare, prolem eſſe ſpuriam, quæ publice legitima cenſetur. Eſſet enim hæc obligatio valde difficilis, parum utilis, & plus noxia: Uxor enim odium excitaret, ſe, & filium infamaret. Atqui Doctores ajunt, reſtitutionem bonorum fortunæ ordinarie faciendam non eſſe cum detrimento altioris boni, videlicet famæ. Nec filius tenetur credere matri, niſi indubiis probationibus oſtendatur, tunc maritum tempore conceptionis abfuiſſe: Nam mater ſemper certa eſt, pater vero Juris præſumptione eſt is, quem nuptiæ demonſtrant.

Idem etiam locum habet, licet mulier circa tempus conceptionis in adulterio deprehenſa fuerit; cum enim poſſit eſſe filius utriuſque, potius præſumendum, mariti eſſe, quam adulteri, niſi graves conjecturæ ſint in contrarium; ut ſi maritus ſit ſterilis.

NB. Si agatur, V. C. de ſucceſſione in Regno, Ducatu, & filius ſpurius ſit hæreticus, vel peſſimus moribus a quo Reſpublica grave nocumentum acceptura putatur, legitimus autem filius, cui re ipſa hæreditas debetur, Reipublicæ utilis futurus ſperetur, tunc adultera poſthabito famæ ſuæ, imo etiam vitæ diſpendio, rem palam ſignificare debet, ſi ſpes ſit, illegitimi ſucceſſionem tali ratione impediri poſſe.

2 Si adulter ſibi perſuadeat, vel merito perſuadere debeat, prolem ex ſe genitam eſſe, debet compenſare damnum patri putativo, & liberis legitimis, quatenus id fieri poteſt (*a*). Ratio: Quia adulter ejuſce damni cauſa moralis extitit, quando hujuſmodi injuſtam actionem exercuit, ex qua ſuapte natura prolis generatio conſequi ſolet, ut plurimum conjuncta cum damno mariti, & liberorum. Sæpe tamen adulter excuſatur, eo quod reſtitutio fieri non poſſit abſque vitæ gravi diſpendio, & famæ.

„ (*a*) Tempore tamen lactis, ideſt triennio tene„ tur ipſa adultera compenſare, quæ toto eo ſpatio „ obvenire potuerunt marito; ſi tamen ipſa id poſ„ ſit, vel laborando ultra id, quod debet, vel ex „ bonis paraphernalibus, ſi quæ habeat; dummodo „ tamen ipſa ſponte conſenſerit in adulterium, & „ non coacta.

3 In dubio, utrum proles ex adulterio genita ſit, adulter obligandus videtur ad reſtitutionem ſaltem ſecundum dubii proportionem: Nam, ſi conſtet, delictum admiſſum fuiſſe, præſumptio eſſe ſolet contra nocentem. Et in dubia cauſa potius favendum eſt innocenti, quam nocenti. Quod autem filius illegitimus in dubio ſe legitimum reputare poſſit, adulter non, ratio eſt: Quia innocentia, & favor filii omni jure id meretur, ut legitimus cenſeatur, donec probetur illegitimus, cum hactenus fuerit in poſſeſſione filiationis: At adulter fuit cauſa injuſta, ut maritus præbeat alimenta filio tanquam certo, qui tamen dubius eſt.

4 Fas eſt, filios illegitime natos interdum exponere, ſi ita neceſſe ſit ad gravem infamiam vitandam, adhibita tamen cautione, ne frigore moriantur, & ut prius baptizentur; appoſita ſchedula: Nec cum periculo infamiæ tenetur parens filium ſic expoſitum ſuſtentare.

Regula in praxi obſervanda.

I. Solet dici Matres debere ſuadere filiis conceptis ex adulterio, ut in Religionem ingrediantur. Advertat tamen Confeſſarius non licere Matribus vim, neque preces adhibere nimis moleſtas, & importunas, cum unuſquiſque debeat frui plena libertate in electione ſui ſtatus. Si ergo adhibitis moderatis precibus, & conſiliis, filius nolit Religionem ingredi, neque alia ſuppetat via ad reparandum malum filiis legitimis imminens, ad nihil amplius tenetur.

II. Non

II. Non facilis ſit Confeſſarius in obligando mulierem, quæ concepit ex adulterio, ut ſi præmoriatur Marito, det Confeſſario, vel alteri licentiam manifeſtandi poſt ipſius mortem illius crimen ad avertenda damna, quæ ex illegitimo legitimis provenerint. Ut ergo mulier teneatur dare hanc licentiam, debet primo certa eſſe ex hac manifeſtatione damna eſſe reparanda, quod ex dictis valde difficila eſt. Secundo, debet prudens Confeſſarius animadvertere, an manifeſtando moribundæ hanc obligationem, illa facile adnuet. Si etenim Confeſſarius putet fortaſſe non conſenſuram in hujuſmodi manifeſtationem, nec verbum debet de ea facere; nam eo quod manifeſtatæ obligationi nollet ſatisfacere, in peccato moreretur.

TRACTATUS IV.

DE

Pactis, & Contractibus.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Pactum.

1 PActum eſt *duorum, vel plurium conſenſus in idem*, videlicet ad aliquid faciendum, vel non faciendum, vel ad aliquid dandum.

2 Effectus pacti eſt obligatio, cui ex altera parte reſpondet actio, ſeu jus petendi, id eſt, *jus perſequendi quod ſibi debetur*: Juxta Reg. 84. ff. *Is natura debet, quem Jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus*.

3 Promiſſio, niſi acceptata ſit, obligationem nullam parit: Alia ratio eſt de voto, quod a Deo ut cordium inſpectore acceptatur. Excipe: Niſi promiſſio ſacta ſit civitati propter incendium; tunc enim obligat ante acceptionem. Ratio: Quia Princeps generali lege, propter bonum publicum lata, talem pollicenti obligationem imponere potuit, ac voluit. Quod ſi donatio ſit facta ad pias cauſas, revocari poteſt, eo quod omnis promiſſio ſuapte natura ſit reſpectiva, cujus proinde vis, & obligatio ex alterius partis conſenſu, tanquam a forma ſua, dependet, nec aliud Jure ſpeciali poſitivo in Eccleſiarum ſavorem ſtatutum eſt. Juramento tamen firmata valet ante acceptionem. Ratio: *Quia juramentum ſervandum eſt, quotieſcunque ſine diſpendio ſalutis ſervari poteſt*, c. ſi vero. de jurejur. Idque obligat non ex virtute Juſtitiæ, ſed ex virtute Religionis (*a*).

„ (*a*) Juramentum additum promiſſioni, quantum „ capio, videtur eſſe acceſſorium, quod corruit prin„ cipali corruente; ideoque cenſerem ante acceptatio„ nem promiſſionis, ſicut ipſa promiſſio revocari pot„ eſt, & cadere, ita etiam cadere juramentum.

4 Non permittitur, ut quis pro altero paciſci, ſeu ſtipulari poſſit, niſi ſit perſona ſubjecta, puta, filius pro patre, ſervus pro domino, Regularis pro Prælato, aut Monaſterio. Prius probatur: Quia certi Juris eſt, factum alienum promitti non poſſe. l. inter ſtipulantem, in princip. Et cit. l. ſtipulatio iſta, §. *Alteri ſtipulari nemo poteſt*. Poſter. probatur: Quia propter arctam conjunctionem quodammodo eædem perſonæ cenſentur cum iis, pro quibus ſtipulantur; tamen ante acceptatam ſtipulationem a Capitulo, patre, domino, &c. ſi pactum reciprocum ſit, puta, mutui, commodati, &c. claudicat circa mandatum.

NB. Donatione acceptata a donatario, etiamſi donator ante rem traditam diſcedat, tamen hæredes non liberantur, ſed tenentur.

5 Si donator miſſo nuntio ad donandum, antequam donatio acceptetur, e vivis excedat, exſpirat jus accepiandi, & res donationi deſtinata ad hæredes donatoris ſpectat. Ratio: Nam vel donatarius in hoc caſu haberet jus acceptandi donationem ex vi pacti, ſeu donationis, vel ex vi mandati. Primum dici non poteſt: Quia omne pactum requirit conſenſum duorum in idem; ante mortem autem donatoris donatarius nec per ſe, nec per alium conſenſit, aut acceptavit, per mortem autem extinguitur conſenſus donantis. C. ſi gratioſe. de reſcript. in 6. Ergo utriuſque conſenſus in pacti obligationem concurrere nunquam potuerunt. Nec ſecundum: Quia mandatum extinguitur morte mandantis, ſi executioni nondum dari cœpit, juxta l. mandatum C. mandati.

6 Specialiter decretum fuit in proviſionibus beneficiorum, diſpenſationibus, & ejuſmodi gratiis, quæ ex debito officio Eccleſiaſticæ poteſtatis procedunt, ut ea ex parte concedentis valida, & irrevocabilia cenſeantur, licet alter jus, & dominium non ante acquirat, quam re intellecta conſenſum præbeat. Unde etiam collatio, ut abſenti fiat, non requirit perſonam intermediam: Secus autem eſt in pactis, & contractibus.

P. Layman P. I.

Et gratia facta a Principali debet executioni mandari etiam poſt mortem Principalis: Non autem facienda, V. C. a Commiſſario, ſi res adhuc ſit integra.

CAPUT II.

De Pacto nudo, & veſtito.

1 PActum aliud eſt nudum; quod in civili foro actionem non parit, licet pariat exceptionem. V. C. Si alicui volenti, & acceptanti nude promiſiſti, mutuo te daturum, dicitur nuda conventio, cujus naturalem, ſive in conſcientiæ foro ortam obligationem Jus civile quidem non tollit, nec prohibet ſolutionem ejus rei, de qua conventum fuit; tamen ad vitandam multitudinem civilium actionum, & litium ejuſmodi ſimplices conventiones non confirmat, id eſt, non vult, ut Judex ad earum executionem debitorem compellat: Nihilominus exceptionis beneficium contra actorem, ex ſimplici pacto, ſive conventione obligatum, tribuit.

Exemplum. Titius ex vendito debet tibi 100. aureos ſolvendos in die S. Georgii; tu autem eidem promiſiſti mutuo daturum aureos 100. Hoc caſu petentem te coram Judice 100. aureos debitos Titius exceptione promiſſi mutui repellere poteſt: Idque ob remanentem obligationem naturalem, quæ Jure civili non penitus extincta eſt, ſed aliquos effectus retinet, V. C. tribuens jus excipiendi, & compenſatione utendi.

Pactum veſtitum, ſive Jure civili confirmatum dicitur, quod civilem actionem parit. V. C. Ex empto competit emptori actio adverſus venditorem ad mercem ſibi tradendam, numerato pretio, qua actione inſtituta, & cauſa cognita Judex compellit venditorem ſecundum juſtam petitionem actoris.

2 Pacta, ſeu conventiones ſex modis confirmantur, ut ex iis actio civilis oriatur. 1. Pacta natura, ac ſuo nomine ſunt veſtita, V. C. emptio, venditio, locatio, conductio, ſocietas, commodatum, depoſitum, &c. 2. Veſtiuntur pacta interventu rei datæ ob cauſam, quod accidere ſolet in contractibus innominatis. V. C. Conveniſti tu, & Titius, ut dares ei 10. oves pro uno bove: Uterque civili Jure (non naturali, & Canonico) altero etiam invito, reſilire poteſt ante rei traditionem. Poſtquam autem tradidiſti oves Titio, competit tibi adverſus eundem actio civilis, ſive ea, quæ dicitur *condictio, ſeu repetitio dati ob cauſam, cauſa non ſecuta*; ſive ea, quæ dicitur *actio in factum*, ſeu *verbis præſcriptis*, per quam compellitur contrahens ad præſtandum id, de quo conventum eſt, id eſt, ad dandum bovem. 3. Veſtitur pactum adjectione ad aliud pactum Jure civili firmum. V. C. Si ædes Titio vendidiſti, atque in continenti pactum adjeciſti, ut inquilinum te recipiat, pactio iſta, alias per ſe informis, adjectione ad venditionem confirmatur. 4. Confirmantur pacta per ſtipulationem. V. C. Promittis decem oves pro bove daturum? Promitto. Unde & verborum obligatio dicitur. Hodie vero pacta confirmantur publico tabellionis inſtrumento, vel etiam ſimplici ſcriptura, propria manu promiſſoris ſubſcripta, aut obſignata. 5. Confirmantur pacta legis auxilio. Nam Jure novo, C. de donat. ex ſimplici donatione actio conceditur ad rei ita promiſſæ traditionem. Item ex ſimplici dotis promiſſione. 6. Confirmantur pacta juramento, ut etiam civili Jure actionem pariant.

3 Si pactum ſimplex initum ſit cum expreſſione cauſæ, in foro Canonico actio ex illo inſtitui poteſt, quod attinet cauſas, quæ vel ratione materiæ, vel perſonæ ad tribunal Eccleſiaſticum pertinent. V. C. Si manu Titii ſcriptum reperiatur, vel teſtibus probari poſſit, aut Titius ipſe fateatur, ſe tibi promiſiſſe donaturum 100. propter præſtita obſequia, compellitur tibi fidem ſervare. Si vero nihil aliud coram Judice oſtendi poſſit, quam ſimplex promiſſio, tunc Titius ex-

cipere poteſt, ſe promiſiſſe quidem, ſed cum cauſa, ſeu conditione pendente in futurum, V.C. ſi ipſi obſequia præſtiteris, quæ præſtita tamen nondum fuerunt; ejuſque contrarium probandi onus in te actorem rejiciet. Nam neque Jure civili ex ſtipulato actio conceditur contra promiſſorem, niſi conſtet, vel probata fuerit cauſa promiſſionis; ſicut conſtat l. 2. §. circa primam ſpeciem, ff. de doli mali, & metus exceptione.

C A P U T III.

Quid ſit Contractus, & quotuplex?

1 CONtractus idem eſt, quod pactum. Pactum aliud eſt gratuitum, quod ex una tantum paciſcentium parte obligat, V. C. promiſſio ſtipulata, vel nude acceptata ſecundum Jus naturale, vel Canonicum ſine reciproca obligatione. Item donatio ſimplex etiam ſine traditione, modo ſola liberali voluntate declarata ſit, actionem parit. Huc pertinet acceptilatio, per quam debitum a creditore debitori gratis remittitur & quaſi acceptum habetur. Aliud eſt pactum reciprocum, ſive oneroſum, quod ex utraque paciſcentium parte obligationem parit.

2 Contractuum alii ſolo conſenſu perficiuntur; ut emptio, venditio, locatio, &c. donatio, ex Juris privilegio hypotheca, ſponſalia, matrimonium. Quamprimum enim emptor, V. C. & venditor de merce, ac pretio convenerunt, ratus eſt contractus, ut actio, & obligatio Jure civili utrinque oriatur. Alii perficiuntur verbis; ut ſtipulatio, & obligatio verborum. Alii ſcriptura, inſtrumento, quod neceſſario requiritur ex Juris utriuſque diſpoſitione ad formam, & ſubſtantiam alicujus contractus, ſcripturam requirentis. V. C. ad donationem 500. ſolidos excedentem, ad emphyteuſin Eccleſiaſticam: Alias ſæpe Inſtrumentum conficitur non ad ſubſtantiam, ſed ejus probationem. Alii re, ſive traditione, qui ipſo ſuo nomine dationem, vel factionem ſignificant. Tales ſunt mutuatio, commodatio, depoſitum.

3 Iterum dividitur contractus in nominatum, qualis eſt, qui in nomine generali pactionis non ſtat, ſed tranſit in proprium, & ſpecificum nomen contractus; ut emptio, venditio, locatio, conductio, ſocietas, commodatum, depoſitum, mandatum, mutuum, pignus, hypotheca, feudum, emphyteuſis, ſponſalia, matrimonium: Si contractus late accipiatur, etiam donatio, gratuita ſtipulatio, & acceptilatio. Et in innominatum, qui proprio, ac ſpecifico nomine caret. V. C. *Do, ut des*. Id eſt: Do tibi aurum, ut des argentum. *Do, ut facias*. Id eſt: Do tibi pannum, ut colas mihi agrum. *Facio, ut des*. Id eſt: Colo tibi agrum, ut des mihi pannum. *Facio, ut facias*, Id eſt: Colo tibi agrum, ut vehas mihi frumentum. His omnibus contractibus commune eſt, quod per pœnitentiam recedere poſſit pars contrahens, etiamſi ex ſua parte contractum impleverit, ſi ex altera parte impletum non ſit. V. C. Dedi pecuniam tibi, ut Romam ires, Jure civili repetere poſſum pecuniam, antequam iviſti; niſi tua interſit non revocari, quia re ad iter parando aliquid expendiſti, aut lucrum omiſiſti: Tunc enim te indemnem ſervare debeo. At vero in contractu nominato non eſt locus pœnitentiæ, ſed, qui ex ſua parte implevit, agere debet, ut etiam pars altera impleat, niſi placeat contractum mutuo conſenſu diſſolvere.

Alii contractus ſunt bonæ fidei, ſumptæ non ut opponitur dolo, ſed ut idem ſit, quod benigna interpretatio ſecundum æquum, & bonum; quales ſunt emptio, venditio, depoſitum, conductio, negotiorum, geſtorum, mandatum, & cæteri omnes, qui numerantur §. actionem. Reliqui omnes, qui ibi non numerantur, ſunt ſtricti juris, ut plerique contractus innominati, item mutuum, & cenſus, emphyteuſis, gratuita ſtipulatio, donatio (vota, & legata ad pias cauſas) juxta l. 99. ff. de verb. obligat. *Quidquid aſtringendæ obligationis eſt, id, niſi palam verbis exprimatur, omiſſum intelligendum eſt: ac fere ſemper ſecundum promiſſorem interpretamur.*

NB. Principis donatio, & beneficium, ſi nemini præjudicet, latiſſime interpretandum eſt; idque ob liberalitatem, quæ de Principe præſumitur.

C A P U T IV.

De Qualitatibus Contractuum.

1 QUod pure, & ſimpliciter promiſſum eſt, confeſtim peti debet, juxta Reg. 14. ff. de reg. Juris. *In omnibus obligationibus, in quibus dies ponitur, præſente die debetur*, arbitrio prudentis. Deinde expectare plerumque poteſt debitor, donec promiſſarius, ſeu creditor exigat, ſi nullum ſolutioni tempus, aut conditio appoſita erat. Unde ſponſus ad nuptias non obligatur, niſi alter petat: Si enim taceat, cenſetur eſſe contentus mora, modo tamen facile petere poſſit; ſecus ſi ob metum reverentialem, aut ob deſperationem obtinendi, aut per oblivionem petere omittat. Quod ſi vero promiſſio facta ſit in diem certum, id ſolvi non debet, antequam dies ille tranſactus ſit, & poteſt debitor uti exceptione, ſi ante determinatum diem petatur ſolutio: Quia adjectio diei in favorem debitoris facta eſt, non ſtipulatoris. Sin vero annua quantitas, V. C. decem anni eleemoſynæ, vel alimentorum nomine promiſſi ſint, videtur ſolutio facienda in principio anni: Quia ita de legatis annuis decretum eſt in l. 5. C. Quando dies legati.

2 Si promiſſio facta eſt in diem incertum, cenſetur conditionalis, ideoque obligationem ſuſpendit. V. C. Cum naves ex India appulerint, dabo tibi 1000. Nam ſi non appulerint, non teneris. Quod ſi vero certo conſtet diem futurum, licet incertum, quando V. C. promitto, cum pater meus morietur, non dies cauſa obligationis ſuſpendendæ appoſitus cenſetur, ſed ſolutionis differendæ: Quapropter tale legatum ad hæredes tranſmittitur. Ita habetur l. hæres meus, ff. de condit.

3 Conditio de præſenti, vel præterito, V. C. Promitto me daturum, ſi pater meus vivit, ſi mater mea mortua eſt; ſi vera eſt, ſtatim confirmat actionem, & obligationem; ſin falſa eſt, ſtatim infirmat.

4 Conditio de futuro impoſſibilis ſecundum naturam reddit contractum, ſeu promiſſionem irritam, juxta reg. 145. ff. *Impoſſibilium nulla eſt obligatio*.

5 Conditio de futuro poſſibilis, & honeſta, promiſſioni adjecta, ejus obligationem ſuſpendit, & tranſit ad hæredes.

NB. Pactum conditionale, mortuo paciſcente, ad hæredes tranſit, ſed non legatum mortuo legatario. Ratio diſcriminis eſt: Quia in contractu, vel ſtipulatione intervenit factum ſtipulantis, ſeu contrahentis, volentis ſibi, & hæredibus ſuis proſpicere; in legato autem nullum factum legatarii intervenit.

6 Modus promiſſioni adjectus, puta, Promitto tibi centum, ut Romam eas; licet eam non ſuſpendat, tamen promiſſario viciſſim obligationem affert, qua non impleta interdum revocari poteſt, quod ſub tali modo datum eſt. Ratio: Quia donatio, vel legatum ſub modo ſuum eſſe ſubſtantiale habet abſolutum, quodammodo independenter ab acceſſorio modo, ſeu gravamine. Unde ſequitur, quod promiſſum, legatumve ſub modo ſtatim peti poteſt, etiam nondum impleto modo; quamvis legatarius ſatisdare debeat pro eo implendo (*a*).

„ (*a*) Hinc ſi maritus leget uxori annuam præ-
„ ſtationem ab hæredibus implendam, ſi illa non
„ tranſeat ad ſecundas nuptias, debetur illi legatum;
„ at ſi illa poſt aliquot annos ad nova vota tranſie-
„ rit, reſtituere tenetur præſtitas ſolutiones.

7 Donatio facta Eccleſiæ ſub conditione ſuſpendente, ea non impleta, corruit. Sed donatio facta ſub modo, eo non impleto, revocari non poteſt: Quia in dubio præſumitur donatio principaliter facta propter Deum, & pro remedio peccatorum. Quod ſi expreſſum fuit, ne, ſi modus non ſervetur (V. C. ſi fundus Eccleſiæ donatus, & alienari prohibitus alienetur) revocetur facta donatio, non nocebit Eccleſiæ, ſi ſolus Prælatus ſine Conſenſu Capituli modum donationis tranſgrediatur. Alia ratio eſt, ſi donatio facta fuerit ſub conditione ſuſpendente, eamque Prælatus, qui res Eccleſiæ adminiſtrat, non adimpleat; corruit tunc donatio. Cauſa diſcriminis eſt: Quia Prælatus Eccleſiæ nocere poteſt in jure acquirendo, non acquiſito. Atqui res donata ſub conditione ante ejus eventum non acquiritur donatario, ſed donata ſub modo ſtatim acquiritur, antequam modus impleatur. V. C. Titius promiſit Eccleſiæ, ſe donaturum pro Anniverſario 100. aureos, ſed Paſtor Eccleſiæ poſtea recuſat conditionem implere, promiſſor eſt liberatus obligatione. Sin vero jus fundationis legato, aut dona-

tione

tione Titii acquiſitum eſt Eccleſiæ cum modo, & obligatione, ut anniverſarius dies celebretur, fundatio revocari non poteſt ob non impletum poſtea modum, ſed agi debet ad ejus impletionem: Quia res ſemel Eccleſiæ acquiſita ſacra facta eſt, & in ſpeciali dominio Chriſti conſtituta, ideoque revocari non poteſt. Et Adminiſtrator Eccleſiæ obeſſe non poteſt in jure jam acquiſito.

NB. Licet donator conditionem appoſuerit, ut res alienari non poſſit, tamen non cenſetur prohibita in caſu neceſſitatis.

Præterea promiſſio rei impoſſibilis ſecundum mores ipſo Jure irrita eſt, juxta reg. 69. in 6. *In malis promiſſis fidem non expedit ſervari*. Fieri enim non poteſt, ut aliquis ex juſtitiæ virtute obligetur ad id, quod vel nullo modo, vel ſine peccato præſtari non poteſt. Ratio: Quia *impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur*. Etiamſi juramentum acceſſerit: *Non enim eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum*, reg. 58. in 6. Neque juramentum poteſt eſſe vinculum iniquitatis, c. quanto, de juramento. V. C. Si juratus promiſiſti puellæ aliquid daturum, ut turpiter agat, nulla obligatio oritur; & quod a puella ob eam cauſam nondum impletam acceptum eſt, in foro conſcientiæ eſt reſtituendum. Idem eſt de ſicario.

8 Sed, quod promiſſum eſt, poſtea impleta fornicatione, vel homicidio, retinere poteſt puella, & ſicarius jure exigere: Quia periculum, moleſtiave, quod in tui gratiam ſuſceptum, pretio æſtimabile eſt. In externo autem foro talium ſceleratorum hominum actiones non admittuntur.

9 Pro eo, quod jam ante ex juſtitia debitum eſt, pretium, ſeu merces accipi non poteſt. V. C. Si latroni aliquid dederis, ne occidat, vel Judici, juſtum ſalarium habenti, ut juſtam ſententiam ferat. Ratio: Quia Judex V. C. nullum accipiendi, vel datum retinendi titulum, ſive jus habet. Non ex pacto gratuito: Quia ſuppono, non eſſe tibi animum donandi, ſed tanquam pretium dandi. Nec ex oneroſo: Oneroſi enim pacti conditio eſt, ut utrimque obligationem pariat. Unde illud: *Opera juſtitiæ non poſſunt fieri venalia*.

NB. Judex, Medicus, Profeſſor, non habens ſufficiens ſtipendium, poteſt exigere mercedem; item piſcator, qui nautæ naufragio ex charitate ſuccurrere debet, laboris ſui pretium omni jure exigit. Etiamſi etiam Judex, Profeſſor, ſufficiens ſalarium habeant, tamen ratione extraordinarii laboris poſſunt aliquid accipere.

Si plures adſint, qui æquali jure gaudent, ut in Judicis arbitrio poſitum ſit, quem cui præponat, Jure naturali Judex non peccat unius cauſam ante alios expediendo ex pacto oblati muneris: Quia ea in re aliis injuriam non infert (*a*).

,, (*a*) Cave tibi, Lector, a ſententia damnata.
,, Ita enim fert propoſitio 26. cenſura inuſta ab Ale-
,, xand. VII.: *Quando litigantes habent pro ſe opinio-*
,, *nes æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere*
,, *pro ferenda ſententia in favorem unius præ altero*.

10 Judices, aliique Officiales, licet frequenter peccent, munera accipientes, Exod. 23. acceptorum tamen dominium comparant, modo liberaliter oblata ſint, & non ad injuſtam vexationem redimendam. Eſculenta, & poculenta tamen moderata, quæ mera liberalitate offeruntur, excipiuntur. Tenetur tamen Judex ad reſtitutionem, ſi aliquid ratione ſigilli accipiat contra conſuetudinem permiſſam, aut Jus (*b*):

,, (*b*) Vix tamen præſumitur datum liberaliter; &
,, in dubio donatio non eſt præſumenda.

11 Pro opere debito ex ſola charitatis lege, ſi pretio æſtimabile ſit, pretium exigi poteſt, ſi non licite, ſaltem valide. V. C. Si in graviſſima neceſſitate cum paupere (cui gratis ſuccurrere debes) pactum reciprocum ineas, ſubſiſtit; cum enim ſola charitate obligatus ſis, paciſcendo ſuſcipis novam obligationem juſtitiæ, quæ pretio æſtimabilis eſt (*c*). Sed pretium pro Baptiſmate accipere (quod opus Religionis ex charitate præſtare debes) eſt Simonia, ſi agatur quaſi ex obligatione pro re temporali data, vel promiſſa: Secus, ſi liberaliter aliquid donetur abſque promiſſione.

,, (*c*) Recte tamen Layman poſuit in graviſſima,
,, non in extrema; nam in extrema pactum dandi
,, pauperi ſub onere reſtitutionis cadere cenſetur; id
,, enim, quod pauper accepit, fit ejus, niſi tamen
,, pauper fuerit indigus re ſolum, & non ſpe.

12 Promiſſio facti alieni nullam obligationem parit. *P. Layman P. I.*

CAPUT V.

De Contractibus ob errorem, aut dolum initis.

1 ERror circa rei ſubſtantiam (V. C. Si emas vitrum pro gemmma; ſi beneficium conferas Petro, quem putas eſſe Joannem) omnem contractum naturali Jure irritum reddit: Quia *errantis nullus eſt conſenſus*, l. 9. C. de Juris, & facti ignorantia. Sine conſenſu autem non conſiſtit contractus; quippe a libera voluntate pendens.

2 Error circa objecti qualitatem, licet dolo alterius contrahentis proveniat, ſi tamen concomitans tantum ſit, non reddit contractum infirmum, aut infirmandum. Ratio: Quia error iſte non aufert conſenſum ſubſtantialem, ideo naturali Jure contractum validum relinquit; & cum non exiſtat cauſa contractus (qui dicitur error antecedens) ideo non eſt ratio, cur removeri errore contractus infirmari debeat. V. C. Si emiſti vinum Auſtriacum, perſuaſus, eſſe Rhenanum, quod tamen emiſſes, etſi non ignoraſſes. Interim vero decepto adverſus decipientem actio competit, ut ſolvat, quanti intereſt, dolum adhibitum non fuiſſe.

3 Error circa objecti qualitatem, non proveniens ex dolo contrahentis, etſi ſit cauſa operis, non infirmat contractum. Ratio: Quia, cum error non ſit circa objecti ſubſtantiam, permanet conſenſus ſubſtantialis, quo contractus perficitur. Unde, qui ex tali contractu rem aliquam a te conſecutus eſt, non tenetur ad reſtitutionem, cum nullam tibi injuriam intulerit. Si tamen a tertia perſona deceptus fuiſti, competit tibi adverſus eam actio de dolo.

Quod ſi intentio conditionalis ſit, non aliter promittendi, aut contrahendi, niſi exiſtente tali circumſtantia, tunc infirmatur contractus. V. C. Dono tibi, quia conſanguineus meus es. Quod ſi autem conſanguineus non ſit, & donaſti, potes revocare donationem; non autem, ſi aliter non voluiſti dare eleemoſynam, niſi pauperi ſancto, tu autem experiaris, eſſe falſum. Nam in priori caſu finis principaliter movens eſt objecto intrinſecus, & ſubſtantialis: In altero autem caſu eſt finis tantum ſecundarius, objecto accidentalis.

4 Defectus cauſæ principalis tribuit donatori jus repetendi, puta, ſi alicui donatum ſit in dotem propter nuptias, quæ poſtea non ſequuntur. Sumitur ex l. 1. ff. de condictione, ob cauſam data, cauſa non ſecuta. Non item defectus cauſæ impulſivæ tantum. V. C. Si alicui abſolute dones, ut tecum fornicetur, matrimonium ineat, &c. ſtatim valet donatio, nec revocari poteſt, etſi voluntati tuæ non ſatisfiat: Tametſi enim hæc fuerit cauſa impulſiva ad donandum, non tamen ſub tali cauſa, tanquam virtuali conditione, donaſti, ſed ſimpliciter, & abſolute.

NB. In dubio, qualis fuerit intentio donantis, contra accipientem præſumendum eſt, ſi rei poſſeſſionem mala fide nactus ſit, ideoque ad reſtitutionem obligatur.

5 Contractus alii facilius diſſolvuntur, V. C. gratuiti, donandi, mutuo dandi, votum ſimplex: Nam *promiſſio gratuita deſinit obligare, ſi, re adhuc integra, notabilis mutatio accidat*. Cum enim talis promiſſio ex ſola libera voluntate promittentis dependeat, ideo benigne interpretanda eſt, noluiſſe in omnem eventum ſe obligare, ſed rebus in eodem ſtatu permanentibus. Difficile autem diſſolvuntur contractus reciproci (emptio, venditio) Ratio: Quia hi contractus vim ſuam, & menſuram obligandi non ex unius tantum voluntate accipiunt, ſicut gratuiti, ſed etiam ex alterius partis conſenſu; Nemo autem vendentium facile conſentiet, V. C. ut, ſi aliqua mutatio ſuperveniat, venditio irrita ſit. Excipe ſponſalia, quæ magna animi libertate contrahi debent, ne infelices exitus conſequantur. Denique omnium firmiſſimus eſt contractus matrimonii apud nos, ut ob nullum errorem, vel dolum qualitatis, quamvis cauſam dederit contrahendi, reſcindi poſſit: Quia ita exigit tum inſtitutio hujus Sacramenti, tum bonum prolis, ac Reipublicæ propagandæ, ut pro valore matrimonii præſumendum ſit, niſi contrarium oſtendatur.

6 Si error, vel dolus, dans cauſam contractui, proveniat ab altera parte contrahente, non ſine injuria, valet quidem contractus propter conſenſum abſolutum, tamen reſcindi poteſt. Prob. prius: Quia, licet dolus, & error circa qualitatem, dans cauſam contractui, faciat involuntarium ſecundum quid, non ta-

men aufert voluntatem ſimpliciter, quando relinquit conſenſum ſubſtantialem, qui proinde ſufficiens eſt ad producendam obligationem contractus, V. C. matrimonii. Intellige id, ſi conſenſus in rei ſubſtantiam ſit abſolutus: Nam, ſi actu, aut virtute conditionalis ſit, & dependens ab extrinſeca cauſa, ea non exiſtente corruit omnis contractus. Porro contractus, qui ſunt ſtricti Juris (V. C. qui per modum ſtipulationis concipiuntur) Jure civili validi ſunt, actionemque pariunt; Ergo ſignum eſt, naturalem obligationem in contractus ſubſtantia permanere: Quia nunquam civilis actio conceditur, ubi nulla naturalis, ſive fundamentalis obligatio ſubeſt. Poſterius prob. Quia dolo alterum inducens injuſtum ei damnum infert: Quamobrem ad reſtitutionem obligatur, ſi deceptus velit. Et eadem ratio eſt de metu injuſte incuſſo.

NB. Sponſus tenetur indicare ſponſæ graves defectus ſuos, V. C. lepræ, morbi gallici; quia alioquin gravis injuria inferretur ſponſæ; Sicut ſi quis mercem, diſſimulato occulto pernicioſo vitio, vendat, V. C. ligna carioſa, quæ ædificio, ad quod emuntur, certam ruinam allatura ſint.

CAPUT VI.

De Contractibus ob metum initis.

1 PRomiſſiones, & Contractus ex metu initi, proveniente ab intrinſeco, omni Jure valent. V. C. Si puellam in matrimonium ducere, aut Religionem profiteri ſponte eligas, ut mortis ſibi decretum ſupplicium effugias; aut ſi caſtitatem Deo voveas, ut naufragio libereris; item ſi metu Excommunicationis contrahas matrimonium. Ratio: Nam, qui ob metum contrahit, is habet abſolutum, & ſimpliciter dictum conſenſum: Ergo obligatur, & metus iſte omni injuria caret.

2 Promiſſiones, & contractus directe extorti per metum gravem, provenientem ab extrinſeco, licet valeant Jure naturali, & ferme etiam Jure poſitivo, tamen pro arbitrio metum paſſi reſcindi poſſunt, juxta Sententiam Panormitani, & aliorum, qui dicunt, quod *renuntiatio beneficii per metum facta valet; licet peti poſſit reſtitutio in integrum* (ab infirmo in gravi neceſſitate compulſo a Medico ad venditionem celebrandam) *actione, quod metus cauſa*. Et traditur in l. dolo, C. de inutil. ſtipul. *Si metu coactus adii hæreditatem, puta, me hæredem effici, quia quamvis, ſi liberum eſſet, noluiſſem: tamen coactus volui. Sed per Prætorem reſtituendus ſum, ut abſtinendi mihi poteſtas tribuatur*. Ratio Aſſertionis eſt: Quia doli mali, & metus injuſti eadem ratio eſt; quandoquidem neuter tollit voluntarium ſimpliciter, & abſolute, ſed uterque injuriam continet.

NB. in foro conſcientiæ non obligatur ad reſtitutionem, aut reſciſſionem contractus, qui bona fide contraxit cum metum paſſo, priuſquam is actionem intentet, quæ ex Juris poſitivi beneficio ipſi competit: Ea autem actione intentata in externo foro contra quemvis rei per metum gravem alienatæ poſſeſſorem a Judice reſtituendus erit; quia res metu injuſto extorta, veluti vitio quodam affecta, ad alteram perſonam transferri cenſetur (*a*).

„ (*a*) Excipe tamen in iis, in quibus contractus
„ per gravem metum extortus irritus eſt; tunc enim
„ illa, qui hunc metum inflixit, tenetur a contractu
„ recedere etiam parte innocente non poſtulante,
„ quamvis ipſa pars innocens velit ſponte renovare
„ contractum, hoc efficere poteſt.

NB. Reg. 15. ff. junct. Gloſſ. *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur*. Et L. nemo, ff. de in integr. reſtit. *Nemo videtur re excluſus, quem Prætor in integrum ſe reſtituturum pollicetur*.

3 Matrimonium, & ſponſalia juxta Rodriquez, per conſequens Religionis Profeſſio, & votum profitendi, vel ingrediendi Religionem, per metum gravem infirmantur poſitivi Juris conſtitutione. Prob. de matrimonio. Nam, qui metu directe incuſſo repellitur, is ſæpe non habet animum vere contrahendi, ſed tantum ad redimendam vexationem (qui autem errore accidentali ad contrahendum inducitur, plerumque habet ſubſtantialem conſenſum). Ne igitur valor matrimonii in dubium revocari poſſet, expediebat, certas de ea re leges ferre. Prob. de ſponſalibus. Quia, licet in Jure Eccleſiaſtico nihil ſtatutum ſit de ſponſalibus irritandis, tamen indirecte, & per conſequens dicuntur caſſari, eo ipſo, quod matrimonium, tali metu celebratum, ipſo Jure irritum pronuntiatur; ſiquidem fieri non poteſt, ut aliquis promiſſione ſua obligetur ad actum, ſeu contractum invalidum. Etiam vota ſimplicia per metum gravem non infirmantur. Nam metus conſenſum abſolute voluntarium non aufert, & adeſt internus animus ſe obligandi. Deinde Juramentum, gravi metu extortum, ob honorem divini numinis ſervandum eſt: Ergo & votum, non minus ſpectans ad reverentiam Dei.

4 Quæ metu levi directe, & injuſte incuſſo extorta ſunt, æque in foro conſcientiæ, & ſecundum legem naturæ obnoxia ſunt reſciſſioni, ac reſtitutioni; ſicut ſupra dictum de metu gravi injuſto. Ratio: Quia metus (ut principalis cauſa contractus) injuriam in ſe continet, ac vim directe intentatam ad extorquendum contrahentis conſenſum, ſecundum quid involuntarium. Quod vero in externo foro levem metum paſſo non datur actio, id fit ad vitandam multitudinem litium. Alia ratio eſt de metus levis cauſa impediente Religionem, ubi nulla diſſolutio locum habet; nam Jus poſitivum ſolum loquitur de metu gravi.

NB. Metus, qui dicitur reverentialis, ſi efficiat conſenſum ſecundum quid, ſeu involuntarium mixtum (id eſt, ſi ideo aliquis conſentiat in rem aliquam, a qua ejus voluntas alioquin, ſepoſito metu, abhorret, quia nimirum voluntati, precibus domini, Prælati, parentis, Tutoris, &c. contradicere non audet) ſufficientem cauſam præbet in conſcientiæ foro, aut Judicis implorato officio, reſcindendi acta, vel contractus, qui ſolubiles ſunt. V. C. Si Caja ſponſalia cum Titio celebret, quia ob naturalem verecundiam patri, Tutori, aut Titio non audet contradicere, eo caſu reſilire poteſt. Si creditor, deſperans, integrum debitum ſuum propter debitoris iniquitatem ſe conſecuturum eſſe, partem ei debiti remittat, debitor in conſcientia non eſt tutus. Ratio: Quia talis metus reverentialis ſemper injuriam continet (*b*).

„ (*b*) Quamvis hæc vera ſunt, attamen ſi etiam
„ contractus irreſcindibiles, ut eſt matrimonium, ha-
„ beant adjunctas metui reverentiali etiam valde im-
„ portunas preces, hæc duo ſimul ſufficiunt ad in-
„ ducendum metum cadentem in conſtantem virum,
„ ex quo efficitur etiam ut illi contractus ſint irriti.

5 Idemque ſentiendum de importunitate precum, moleſtando, ſi efficiant involuntarium mixtum voluntario.

NB. 1. Donationes, & hæreditas extorta importunitate precum non obligant ad reſtitutionem ante Judicis ſententiam, ſi præſumi poſſit, voluntatem dantis fuiſſe, ut res data accipientis fieret: Talis enim conſenſus ſufficit ad dominii tranſlationem.

NB. 2. Qui precum importunitate puellam moleſtans ad ſtuprum traxit, tenetur ad damnum reſarciendum. Qui etiam alterum per injuriam ad ludendum coegit, tenetur ad reſtitutionem lucri. Quia per injuriam cauſa injuſta extitit ſecuti damni.

NB. 3. Par conditio utriuſque ludentis debet eſſe; injuria autem tollit æqualitatem.

CAPUT VII.

Si res poſt Contractum pereat, vel deterior fiat, cujus damno id accidat?

1 COntractuum alii inſtituuntur in gratiam unius tantum contrahentium; vel dantis, V. C. in depoſito, ſi nulla merces interveniat; vel accipientis, id eſt, in donatione, commodato, precario. Alii vero inſtituuntur in gratiam utriuſque; ut venditio, locatio, ſocietas, dos, pignus.

2 Refert, utrum res, quæ in contractum venit, caſu pereat, culpa, an dolo?

Culpa alia eſt craſſa, alia levis, alia leviſſima. V. C. Si librum tibi commodatum in publico foro relinquas, & inde tibi auferatur, cenſeberis amiſiſſe per culpam craſſam. Si vero in conclavi domus tuæ oſtio non clauſo, per culpam levem. Sin vero in conclavi clauſo, ſed non obſerato, per leviſſimam.

NB. Sermo hic non eſt de culpa Theologica (quæ eſt peccatum contra legem Dei) ſed de culpa civili, quæ eſt peccatum contra artem, induſtriam; ſæpe involuntarium, & coram Deo excuſatum. V. C. Si ex naturali oblivione librum tibi commodatum in foro reliquiſti, culpam civilem commiſiſti, etſi coram Deo nihil peccaveris; ſed ut obligeris ex culpa civili, neceſſe eſt, te vere cauſam fuiſſe illati damni. Præterea frequens hoc eſt, ut ſecundum Juris

civilis

civilis præſumptionem aliquid culpa eveniſſe dicatur, cum tamen fieri potuerit, ut omnis culpa etiam civilis abeſſet, V. C. ſi quid furto ablatum ſuit, a ſocio præſtandum fore, quippe qui cuſtodiam diligentem adhibere debebat. Quis autem neget, fieri poſſe, ut ſocius diligentem curam adhibeat, & tamen callidus fur rem auferat? Quo caſu præſumptio cedere debet veritati. Dolus eſt fallacia, machinatio, ad fallendum, decipiendum alterum adhibita.

3 Si res certa, ſive in ſpecie debita, puta, hic equus, hæc ovis, caſu pereat, creditoris damnum eſt. Excipe: Niſi 1. aliter conventum ſit, ut V. C. Commodatarius etiam fortuitum caſum præſtare debeat. Nam *contractus legem ex conventione accipiunt*. l. 1. §. ſi convenit, ff. depoſiti. 2. Niſi debitor in mora fuerit ſolvendi, ideoque res periit, ipſe damnum præſtare cogitur. Nam *mora ſua* culpabilis *cuilibet nocet*. Reg. 25. in *6*. Adde: Tametſi pœna conventionalis adjecta fuerit, niſi ad tempus præfixum ſolveretur, liberari debitorem a pœna, ſi culpa caruit. Deinde exceptio intelligi debet, dummodo ob moram debitoris damnum evenerit: Secus, ſi nihilominus eveniſſet, V. C. equus commodatus periiſſet, tametſi ſtatuto tempore remiſſus fuiſſet; tunc in conſcientiæ foro nulla debet fieri reſtitutio. Quia æquum non eſt, ut creditor cum aliena jactura lucretur.

NB. Regula illa: *Si res caſu pereat, domino ſuo perit.* l. pignus, ff. de pignorat. actione. in iis tantum contractibus locum habet, quibus rei dominium non transfertur, id eſt, in depoſito, commodato, pignore.

4 Si res incerta, & indeterminata in aliquo genere debeatur, etſi unum, vel alterum ejus generis caſu pereat, non ideo liberatur debitor: Quia *genus perire non poteſt*. Arg. l. incendium, C. ſi certum petatur. V. C. Si equum aliquem dare debeas, licet plures tibi pereant, non tamen liberaris; quia potes alium dare. Ita etiam ſe res habet in mutuo.

Coroll. Si mutuatarius, aut venditor cenſus pecuniam debitam per fidelem nuntium creditori tranſmittat, atque ille in via ſpolietur, aut fugiat, debitoris detrimentum eſt.

5 Si contractus inſtitutus fuit in gratiam ſolius accipientis, V. C. Commodatarii (gratis) omnem culpam etiam leviſſimam præſtare debet Commodatarius. Quod ſi in gratiam ſolius dantis, V. C. Depoſitarii, ſolus dolus, non item culpa civilis, præſtanda venit. Gratis dico; Si enim Depoſitario V. C. merces detur, culpam etiam levem præſtare debet. Si denique contractus inſtituatur in gratiam utriuſque, culpa lata, & levis præſtari debet, V. C. in emptione, venditione, locatione &c.

6 Confeſſarius obligatur ex culpa lata, vel dolo (utpote injurians, & cauſa damni) ſed magis pœnitenti, quam tertiæ perſonæ. Quod ſi per ignorantiam craſſam Confeſſarius ſcienter dicat debitori, reſtitutionem faciendam non eſſe, tunc in illius defectus obligatur; cum poſitive concurrat ad damnum injuſtum. Sin vero negative ſe habeat, ſolumque intermittat imperare reſtitutionem, tunc non peccat contra juſtitiam, ſed ſolum contra charitatem. Siquidem hoc diſcrimen eſt inter cauſas poſitive concurrentes ad damnum injuſtum mandando, &c. & concurrentes negative tantum; quod illæ per ſolum voluntarium, & efficacem concurſum ſint cauſæ morales damni; negativæ autem non ob ſolam voluntariam taciturnitatem cenſentur eſſe cauſa damni, ſed requiritur, ut ex juſtitia obligatæ ſint ad ſignificandum, impediendum; ut dixi Tract. 2. C. 5. n. 7. & 8.

7 Si in domo Commodatarii, Depoſitarii, &c. incendium ortum fuerit, juſte agunt, ſi, quæ pretioſiora ſunt, ſeu propria ſeu aliena, eripienda præferant. Sin vero aliena propriis præferendo jacturam paſſus ſit Depoſitarius, vel Conductor, compenſationem damni exigere poteſt: Nam utiliter domini negotium geſſerunt; nulli autem officium ſuum damnoſum eſſe debet. Non ita vero Commodatarius. Ratio: Quia quiſque vir prudens, ac diligens, quæ pretioſiora ſunt, anteponit minus pretioſis. Commodatarius autem ſecundum naturam hujus contractus tacite ſe obligat ad exactam rei commodatæ cuſtodiam, qualem quiſque prudentiſſimus paterfamilias ſuis rebus adhibet. Alias Commodatarius magis pretioſa propria eripiendo, deſerendo aliena vilia, reſtituere nihil tenetur.

CAPUT VIII.

Utrum filiusfamilias Contractus inſtituere poſſit?

1 FIliifamilias (filii, & filiæ, item nepotes, & neptes, quamdiu ſub patris, vel avi poteſtate conſiſtunt, licet majores natu ſint, ſive viginti quinque annorum) habent quadruplex peculium. Primum eſt Caſtrenſe, quod ex occaſione militiæ acceperunt, V. C. ſpolia, donationes; item bona mobilia data a parentibus filiis in militiam proficiſcentibus.

Secundum eſt quaſi Caſtrenſe, quod ex publico officio Doctoris, Medici, Advocati acquiritur, quod a Principe, vel Auguſta donatur; item bona Clericorum ex beneficio acquiſita. Tertium ſunt bona Adventitia, quæ præter caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia filio obveniunt non a patre, neque intuitu patris, ſed vel ex propria induſtria, vel liberali alicujus donatione, legato matris, vel avi materni hæreditate. Quartum ſunt bona Profectitia, quæ cum nec caſtrenſia, nec quaſi caſtrenſia ſint, vel ex bonis patris profecta, vel patris intuitu filiofamilias donata ſunt.

Inter hæc diſcrimen eſt, quod filiusfamilias plenum dominium, & adminiſtrationem caſtrenſium, & quaſi caſtrenſium habeat: Adventitiorum autem pater uſumfructum, filius proprietatem. immobilia bona filii pater non poteſt alienare ante Judicis decretum; facile tamen propter affectionem patris erga filium in neceſſitate permittitur. Adde: Quod filius, ne conſentiente quidem patre, de adventitiis teſtari poſſit, præterquam ad pias cauſas; quamquam cum patris conſenſu mortis cauſa donare non prohibeatur etiam ad cauſas profanas.

2 Licet per filii Clericatum, item per Profeſſionem ſeu filii, ſeu patris in Religione ſolvatur patria poteſtas; tamen adventitia manent in priori ſtatu penes patrem, vel eo profitente penes Monaſterium.

3 Certi caſus ſunt, quibus adventitiorum bonorum uſusfructus non ad patrem, ſed ad filium ſpectat: Si uſusfructus eorum filio a patre remiſſus ſit; ſi pater una cum filio ſuccedit in hæreditate fratris; ſi pater ſine cauſa juſta divortium inſtituit; ſi filius hæreditatem adiit; legatum, vel donum accepit patre contradicente; ſi uſusfructus nudus filio donatur. Profectitia bona pleno jure ad patrem ſpectant.

4 Filiusfamilias impubes, ne patre quidem auctore, ullo ex contractu civili obligatur: Naturaliter tamen obligatur, ſi pubertati proximus ſit. Porro, cur pupillus authore tutore etiam civiliter obligetur, non item filius impubes authore patre, ratio eſt: Quia pupillus tutorem ſibi obligatum habet, ſi male authoritatem præſtet; non item filius patrem.

5 Filiusfamilias pubes ex omni contractu, etiam ſine patris authoritate, tam civiliter, quam naturaliter obligatur, juxta l. 38. ff. de act. & obligat. *Filiusfamilias ex omnibus cauſis tanquam paterfamilias obligatur: & ob id agi cum eo tanquam cum patrefamilias poteſt*. Quia patria poteſtas inſtituta eſt ad perſonæ correctionem, non ad bonorum ejus curationem. Excipe: Niſi contractus cedat in præjudicium patris.

NB. 1. Pater non tenetur alere filium, propria bona adventitia, vel caſtrenſia habentem. Quod ſi vir uxorem alat ante datam dotem, non poteſt repetere alimenta; quippe quæ affectu maritali condonaſſe præſumitur.

NB. 2. Quod ſi filius opificis, V. C. operam ſuam patri præſtet, nullo ſeu expreſſe, ſeu tacite petito ſalario, cenſetur id patri remittere, pietatis, & gratitudinis cauſa, ut, ſi poſtea a patre, eove mortuo a fratribus repetere velit, audiendus non ſit.

6 Lucra filiifamilias, quæ ex artificio ejus proveniunt, inter adventitia bona numerantur, quæ proinde poſt mortem patris præcipua habere debet. Ea propter filius operam patri ſuo locare, ab eoque ſalarium exigere jure poteſt, deductis tamen expenſis, quas pater eo alendo facit. Lucra autem filii ex bonis paternis, cauponis, mercatoris, inter bona profectitia numerantur, eo quod filius, dum in domo patris degit, tanquam ad obſequiales operas obligatus eſt. Contraria tamen Sententia eſt probabilis, nempe ſi pater nullum ſalarium filio pro labore mercatorio, aut cauponia velit dare, nec ille propter metum reverentialem audeat petere, quod poſſit clam ſurripere tantum.

7 Pater prohibere non poteſt, quo minus filiusfamilias ex domo paterna diſcedat artis diſcendæ cauſa.

Ratio:

Ratio: Nam alioquin homo liber ſervilis conditionis efficeretur, ſi a patre in domo paterna, veluti carcere quodam, perpetuo detineri poſſet; Niſi inopia patris aliud poſtulet.

8 Patria poteſtas in filium ſeptem modis tollitur. 1. Per mortem naturalem patris. 2. Per ejus mortem civilem. 3. Per lapſum patris in hæreſim. 4. Per emancipationem filii coram Judice factam. Adde: Per conjugium. 5. Per electionem filii ad Patritiam dignitatem. 6. Per electionem filii in Epiſcopum, Cardinalem, ſtatum Religioſum. 7. Per adoptionem filii, factam ab avo paterno, aut materno. Denique, ſi ab hoſtibus pater captus ſit, pendet jus filiorum: Nam rediens ex captivitate poſtliminio recuperat priſtina jura erga liberos.

CAPUT IX.

Utrum pupillus, & minor XXV. annis contrahere poſſit?

1 PUpillus (puer, vel puella impubes) poſtquam ex patris poteſtate exceſſit, tutorem accipere cogitur; cujus officium eſt, ut tueatur perſonam pupilli, honeſte, & pie eum educet, inſtruat, ejus bona adminiſtret inſtar patrisfamilias. Impuberes maſculi ſunt uſque ad ætatis annum 14. completum; puellæ ad 12.

2 Tutor ad tempus pubertatis datur; Curator autem pueris, ac puellis puberibus datur ad annos 25. Tutor etiam impuberi invito datur; ſed Curator puberi non datur, ſi invitus ſit. Suſcepto autem Curatore, tenetur eſſe ſub illo uſque ad 25. annos.

Deinde minor natu in judicio ſeu ut Actor, ſeu Reus ſine Tutore, aut Curatore non admittitur, niſi in cauſis ſpiritualibus, matrimonio, beneficio. Denique furioſis, prodigis, ſurdis, mutis, & qui perpetuo morbo laborant, quia rebus ſuis præeſſe non poſſunt, Curatores dandi ſunt.

Tutor, & Curator debent operam dare, ut ex bonis immobilibus fructus proveniant, pecunia quoque in annuos reditus convertatur: Alioquin reſtituere cogentur. Salarium Tutor accipere non poteſt ſine Judicis authoritate.

3 Triplex eſt tutela: Teſtamentaria, legitima, & dativa. Qui in teſtamento a patre Tutores dati ſunt, ii reliquis præferuntur. Mater filiis Tutorem dare non poteſt, niſi eos ſupra legitimam hæredes inſtituat, & confirmari debent a Judice idonei. Liberis vero illegitimus pater Tutorem dare non poteſt, ſi nihil omnino eis relinquat.

NB. Hodierno tempore omnes æquali jure tam agnati, id eſt, per virilis ſexus cognationem conjuncti, quam cognati, ſi idonei ſunt, acceſſendi ſunt Tutores, ſi nulli alii ſint aſſignati Tutores.

Porro Jure novo Cod. Quando mulier &c. matri, & aviæ paternæ ad omnes agnatos, aut cognatos jus tutelæ permittitur, ſi recipere velit. Repellitur tamen primo: Si ad ſecundas nuptias tranſeat: Secundo: Si luxurioſam vitam ducat. Ob eaſdemque cauſas matri negari poteſt educatio pupilli, quæ alioquin ei ante alios debetur. Denique, ſi neque teſtamento Tutor datus ſit, nec legitimus cognatus aliquis idoneus adſit, a Judice pupillo Tutor dandus eſt.

Tutores, & Curatores etiam inviti eſſe coguntur: Quia eſt unum ex publicis muneribus, a quibus lex neminem immunem eſſe vult, niſi juſta ex cauſa quis apud Magiſtratum onus tutelæ declinet.

4 Clerici cogi non poſſunt ad ſuſcipiendam tutelam, niſi perſonarum miſerabilium. Deinde, ſi Clerici velint legitimam tutelam tanquam proximi agnati ſuſcipere, non prohibentur. Verum a Religioſis, utpote adminiſtrationem temporalem nullam habentibus, omnino alienum eſt tutelæ munus.

5 Pupillus, aut Minor contrahens cum conſenſu Tutoris, aut Curatoris ſui, tam civiliter, quam naturaliter obligatur. Intellige: Pubertati proximus pupillus; ita, ut rationis diſcretionem, quæ ad contractum naturali, ac gentium Jure ſufficiat, acquiſiviſſe cenſeatur: Quod ſecundum Juris præſumptionem accidit in maſculo poſt exactum annum decimum cum dimidio; in fœmella poſt nonum cum dimidio.

Ante eam vero ætatem ſolus Tutor contractum celebrare debet; ipſemet vero pupillus ex proprio conſenſu non obligatur. Deinde excipienda eſt alienatio bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium, quæ ſervando ſervari debent. Hæc enim pupillis, & adoleſcentibus, etiam Curatoris authoritate interveniente, interdicta eſt, niſi Judicis decretum accedat.

6 Pubes, qui Curatorem non habet, etiamſi minor ſit 25. annorum, obligatur tam civiliter, quam naturaliter: Poteſt tamen petere reſtitutionem in integrum, ſi ex contractu læſus ſit. Sed intelligi debet de alienatione eorum bonorum, videlicet mobilium, quam cum Curatoris conſenſu facere poteſt, ut ipſi etiam talis alienandi facultas conceſſa ſit, ſi Curatorem non habeat.

NB. Quod ſi pubes, & minor 25. annis Curatorem habeat, ſine ejus authoritate non obligatur ex contractu civiliter; alterum tamen ætate majorem, cum quo contrahit, civiliter etiam ex contractu obligat. V. C. Celebrato emptionis contractu, licet venditor pupillum, qui ſine Tutoris conſenſu emit, invitum compellere non poſſit ad pretium numerandum; ipſe tamen pupillus, ſi contractui ſtare velit, civili actione cogere poteſt venditorem ad tradendam ſibi mercem pro conſtituto pretio. Unde Gloſſa: *Contractus claudicat quandoque*. Id eſt: Ex parte pupilli. Ita enim habetur in l. Julianus. *Si quis a pupillo ſine tutoris auctoritate emerit, ex uno latere conſtat contractus; nam, qui emit, obligatus eſt pupillo, pupillum ſibi non obligat*. Limita 1. Quod pupillus tamen obligetur in tali contractu, quatenus inde locupletior factus eſt. Nam *locupletari non debet aliquis cum alterius jactura*. Reg. 48. in 6. V. C. Si venditor pupillo mercem tradidit, non accepto pretio, repetet mercem ſuam: Sin vero merx amiſſa, vel abſque dolo abſumpta ſit, non plus in civili foro ſolvere compellitur pupillus, quam exinde ditior factus eſt. Eadem ratio eſt de mutuo pupillo, Minori, dato. 2. Si res tradita pupillo dolo ejus periit, datur contra eum actio civilis, qua ſolvere compellitur: Si tamen infantiæ proximus ſit, dolus in eo non præſumitur. 3. Minor, Religionem profeſſurus, omnia ſua bona abſque Tutoris authoritate alienare poteſt ſine beneficio reſtitutionis in integrum; cenſetur enim mori. 4. Si Minor contractum abſque Curatoris authoritate celebratum juramento firmavit, civili etiam foro obligatus eſt. Pupillus autem non obligatur civiliter ex juramento.

7 Obligatur tamen pupillus ſine Tutoris authoritate obligatione naturali, id eſt, in foro conſcientiæ, quæ ſufficiens eſt ad transferendum dominium. Ratio: Quia obligatio naturalis oritur ex conſenſu: ſed pupillus, ſi pubertati proximus, & Minor ſufficientem conſenſum habent: Ergo.

8 Quod ſi pupillus infantiæ proximus ſit, tunc neque naturaliter obligabitur; vix enim talis habet intellectum, & non multum a furioſo diſtat: Ideo Jura civilia ejus contractui reſiſtunt, omnemque obligationem tollunt, etiamſi contrahat cum Tutore.

9 Obligationis naturalis effectus ſunt. 1. Quod creditori jus tribuat accipiendi, ac retinendi, ſi, quod naturaliter ipſi debitum eſt, nulla oppoſita exceptione ſolvatur. 2. In obligatione naturali accedere poteſt fidejuſſor. 3. Naturalis obligatio impedit ſoluti debiti repetitionem. 4. Naturalis obligatio licet in foro externo actionem non tribuat, tribuit tamen jus exceptionis, & compenſationis (a).

(a) De compenſatione dubitarem, quando non eſt certum contractus jure civili irritos parere tamen obligationem naturalem. Profecto non eſt adeo certum contractus a minoribus initos de rebus mobilibus obligationem naturalem inducere; ergo in his caſibus compenſatio locum non habet.

10 Quod pupillus, vel minor 25. annis, Curatorem habens, ludendo perdidit, ſolvere non tenetur, niſi jurarit, ſed exceptione ſe defendere poteſt beneficio legis civilis. Sin autem ſolvatur, ab altero retineri poteſt, donec repetatur. Ratio prioris: Quia, tametſi ſolviſſet, repetere poſſet, ſeu condictione indebiti, ſeu in integrum reſtitutione: *Qui autem ad agendum admittitur, eſt multo magis ad excipiendum admittendus*. Reg. 71. in 6. Poſterior probatur: Qui pupillus, & Minor Curatorem habens, ſaltem naturaliter obligantur: At vero legis civilis beneficium illis non prodeſt, ſi eo non utantur, ſive quia uti nolunt, ſive quia ignorant.

11 Si pupillus, vel Minor, quod indebite ſolvit, aliter recuperare non poteſt, per compenſationem aliquam proſpicere ſibi poterit. Ratio eſt: Quia alter injuriam infert non reſtituendo, ſi repetatur (b).

„ (b) Dubitarem etiam hic de jure compenſatio-„ nis; quæ enim tunc ſolvit minor, repetere non „ poteſt,

„ poteſt, niſi per ſententiam Judicis; ergo non poteſt „ uti compenſatione, quæ eſt repetitio propria autho- „ ritate, non judicialiter facta.

C A P U T X.

De alienatione bonorum Eccleſiaſticorum.

1 BOna Eccleſiaſtica immobilia, & mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, abſque juſta cauſa, certaque ſolemnitate alienari prohibentur; etiam feudum, emphyteuſis, & locatio in longum tempus, contractus cenſualis, perpetui, ac vitalitii cenſus: Quia jura, & reditus annui inter bona immobilia numerantur, quorum alienatio Eccleſiis, ac natu minoribus prohibita eſt.

NB. Tamen in Germaniæ quibuſdam locis receptum eſt, ut reditus redimibiles, etiam ſuper immobilia bona conſtituti, inter bona mobilia numerentur.

2 Nomine alienationis prohibitæ intelligitur pignoris, vel hypothecæ ſpecialis conſtitutio.

NB. Jura, & actiones eodem diſcrimine cenſentur, quo res ipſæ, ad quas tendunt, ut, ſi ſint rerum immobilium, vel mobilium pretioſarum, alienari nequeant: Sin vero alienarum rerum mobilium, V. C. debita pecuniaria, abſque ſolemnitate vendi poſſint.

3 Cauſæ juſtæ, ob quas bonorum Eccleſiaſticorum alienatio fieri poteſt, ſunt. 1. Neceſſitas (debita urgentia, quæ alia ratione ſolvi non poſſunt) 2. Utilitas (puta, ut res alia utilior Eccleſiæ comparetur) 3. Pietas (puta, pro redemptione captivorum, vel alia gravi pauperum neceſſitate ſublevanda: Unde etiam ſacra vaſa frangere, & pretium erogare conceſſum eſt) 4. Incommoditas (puta, ſi res alienanda plus incommoditatis, quam commoditatis Eccleſiæ afferat, quia V. C. multum diſtat.)

4 Solemnitas ad alienationem requiſita in his conſiſtit: Ut præcedat tractatus cum Capitulo; ut accedat conſenſus Capituli (majoris partis) authoritas etiam tacita Prælati, qui Eccleſiæ præeſt, Epiſcopi, & Abbatis exempti (non Decani ſubjecti Epiſcopo) (*a*).

„ (*a*) Laymanus ut germanus auctor non commemorat conſenſum Romani Pontificis, qui apud nos „ neceſſarius eſt, exceptis illis alienationibus, quæ „ comprehenduntur in cap. *terrulas*.

NB. Si Eccleſiaſtica alienatio facta ſit contra Juris terminum, tunc ipſe etiam Prælatus rem a ſe male alienatam poteſt repetere, allegans propriam turpitudinem. Ratio: Quia, licet ordinarie non liceat contravenire facto proprio, & allegare propriam turpitudinem, excipitur tamen, niſi id fiat ob cauſam neceſſariam ad animæ ſalutem, vel nomine Eccleſiæ, aut Reipublicæ.

5 Beneficiatus prædia Eccleſiaſtica, quorum reditus in propriam utilitatem percipit, ad tempus longum, ſed non ultra vitam ſuam, locare poteſt, non adhibito conſenſu Superioris (*b*).

„ (*b*) Etiam hoc apud nos vetitum eſt, ut ex Ca- „ noniilis conſtat.

6 Prælatus Eccleſiæ ſine conſenſu Capituli Eccleſiæ præjudicare non poteſt in juribus quæſitis, ſed in acquirendis. Nam *aliud eſt nocere, aliud vero eſt non prodeſſe*, Arg. l. ſi ſponſus. §. ſi maritus hæres. Quapropter Prælatus valide repudiat donationem Eccleſiæ ſuæ oblatam. Tamen his caſibus Prælatus Eccleſiæ obligatus manet, ſi officio ſuo male functus ſit: Quia Prælatus habet ſe ad Eccleſiam tanquam Tutor, ſeu Curator.

NB. Monachus Monaſterio prodeſſe poteſt, non tamen obeſſe in jure quæſito; puta, ſi rem ſibi teſtamento legatam abſque Prælati ſui licentia acceptet, licet peccet, tamen valet acceptatio; repudiatio tamen ſine conſenſu non valet. At vero in jure quærendo etiam obeſſe poteſt, videlicet ſi donationem ſibi faciendam reſpuat.

Præterea, licet Prælatus ſine conſenſu Capituli obeſſe non poſſit alienando res Eccleſiaſticas, poteſt tamen obeſſe in Judicialibus, ſinendo ferri contra Eccleſiam ſententiam; item ſinendo res Eccleſiæ ab altero uſucapi. Tamen in his intra quadriennium reſtitutio in integrum conceditur.

7 Non ſatis conſtat, utrum Prælatus ſine conſenſu Capituli renuntiare poſſit hæreditati, vel legatis rei immobilis, aut mobilis pretioſæ. Qui affirmant ex communi probabiliore Sententia, aſſerunt, debere tamen peti reſtitutionem in integrum ab Eccleſia ratione lucri ceſſantis propter negligentiam, & malam adminiſtrationem Prælati.

8 Quædam, licet valide alienari non poſſint, tamen uſucapi poſſunt in rebus Eccleſiæ: Alias ſi alienatio ſimpliciter prohibetur favore ipſius rei, tunc tacite etiam uſucapio impeditur. Qua ratione, dum fundus dotalis ſub mariti adminiſtratione eſt, & uxor agere prohibetur, uſucapio incohari non poteſt.

9 Juramentum non alienandi duobus modis concipi poteſt; vel ſimpliciter non alienaturum; vel non inconſulto Papa. Primo modo intelligitur juramentum de alienatione illicita, ut perinde ſit, ac ſi Prælatus juraſſet, ſe non alienaturum bona Eccleſiæ ſine juſta cauſa, & præter Juris formam. Secundo modo extenditur etiam ad alienationem alioquin licitam.

10 Prælatus, qui juravit, ſe bona Eccleſiæ non alienaturum Papa inconſulto, prohibetur etiam locare ad tempus longum. Nam *juramentum ſimpliciter prolatum intelligi debet ſecundum materiam ſubjectam, & ſecundum Juris diſpoſitionem*, ait Syl. l. c. Atqui alienationis nomen in materia ſubjecta locationem quoque ad longum tempus comprehendit.

11 Papa non poteſt pro arbitratu, & ſine juſta cauſa res Eccleſiæ alienare, idque naturali Jure, ac divino, eo quod bonorum Eccleſiæ non Dominus, ſed ſummus Adminiſtrator a Chriſto conſtitutus ſit, non ad diſſipandum, ſed ad diſpenſandum.

Contra eos, qui illegitime Eccleſiaſtica bona alienant, pœnæ Canonicæ decretæ ſunt.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Solent aliquando Rectores Eccleſiarum anticipate accipere pecuniam &c. a Conductoribus, relaxando illis fructus, vel penſiones per plures annos ſolvendas. Advertat Confeſſarius multoties id eſſe tacite locare bona Eccleſiæ ultra triennium, quando nempe fructus triennii non ſufficerent pro reſtituenda illa pecunia; tum tunc cogerentur relinquere Conductoribus res locatas. Id ergo omnino illicitum eſt.

II. Advertat ſecundo Confeſſarius in conceſſione ad emphyteuſim rerum Eccleſiaſticarum; adhibitis etiam debitis ſolemnitatibus, multoties Rectores valde onerare propriam conſcientiam. Vel ex nimio ergo affectu erga aliquem Conſanguineum, ſeu erga aliquem ſibi amicitia conjunctum, faciunt quantum poſſunt, ut bona Eccleſiæ ipſis ad emphyteuſim tradant; et non ſolum, ut neceſſe eſſet, ſine evidenti Eccleſiæ utilitate, ſed potius cum ipſius præjudicio, quod rationibus ſolummodo apparentibus celare procurent. Remanet ergo Confeſſarium hujuſmodi Rectores ſine abſolutione dimittere, ſi prompte Eccleſiæ præjudicium non ſint reparaturi.

III. Audivi aliquando ſcrupulizare circa generalem hypothecam bonorum Eccleſiaſticorum. Verum doctus Confeſſarius ſuum Pœnitentem, qui ita operetur, tutiſſimum in conſcientia judicabit.

IV. Peccant quandoque Rectores Eccleſiarum in alienatione terrularum, vel quia ſcilicet eas vendunt, cum non ſint ſejunctæ ab aliis Eccleſiæ prædiis; vel quia in gratiam alicujus Viri nobilis, quem nimium ſibi benevolum optant conſervare, id præſtant non ſolum ſine utilitate, ſed potius cum Eccleſiæ præjudicio, cedendo terrulas e. g. Eccleſiæ contiguas, adeoque ipſis utiles, & proficuas, & acceptando in compenſationem alias abſentes, quas inviſere non poſſunt, vel colere. Moneat ergo Confeſſarius hos Rectores de culpa, quam committunt, & multo magis ſi permutatio eſſet prædii magni momenti; ſcio enim quandoque id accidiſſe cum juris quidem ſolemnitatibus, at non fideliter omnibus narratis: quapropter permutatio inventa deinde eſt Eccleſiæ valde oneroſa &c.

V. Peccant aliquando Rectores indiſcrete cædendo arbores non cæduas, vel anticipando inciſionem cæduarum. Poteſt id accidere reſpectu Rectorum jam ſeneſcentium, qui ut pinguiorem Nepotibus relinquant hæreditatem, ultimis ſenectutis annis extrahunt quantum poſſunt ex prædiis Eccleſiaſticis, non obſervando ab ipſis in præjudicium ſucceſſorum cædi arbores nondum cæduas &c. Ita certe non bene ſe diſponunt proximæ, quam timent, morti.

VI. Poſſunt etiam graviter peccare Rectores Eccleſiarum, vel nimis de grege Eccleſiæ diſtrahendo &c. vel vendendo modo unum, modo alterum de utenſilibus pretioſis, ita renovando, ut nova ſint viliora &c. Conſuetudo ergo fert hujuſmodi poſſe vendi ad renovandum; at renovanda non ſunt cum præjudicio Eccleſiæ; ita ſequeretur quando in novis valde minus e. g. eſſet argenti, vel eſſent arte valde minori elaborata. Ita etiam eveniret, ſi venderetur antiquum vas, ſeu ornamentum Eccleſiæ antiquitate, & arte pretioſum, & loco ipſius aliud valde commune ſubrogaretur.

VII. Moneat Confeſſarius Rectores Eccleſiarum, ſeu Superiores Monaſteriorum, quod quamvis male ſe gererent recuſando ſine juſta cauſa relicta ſuis Eccleſiis, vel Monaſteriis, laudabiliter tamen id facerent, ſi Conſanguinei Teſtatoris eſſent pauperes; ſi ipſis relicta converti poſſent in ſuſtentationem pauperum, vel in dotem miſerabilium puellarum &c. Ita præſtiterunt Sancti.

VIII. Pro noſtra Diœceſi Lucana adeſt privilegium Sixti IV., quo conceditur cum licentia Ordinarii permutare, vel dare in emphyteuſim bona Eccleſiaſtica, quorum fructus ſingulis annis non excedant valorem quatuor florenorum Cameræ; qui quatuor floreni computantur correſpondere fundo ſcutorum trecentorum. Poterit ergo cum ſola licentia Ordinarii permutari, vel dari in emphyteuſim fundus talis valoris.

IX. Poteſt aliquando evenire, ut in praxi adducatur neceſſitas alicujus boni Eccleſiaſtici alienandi, quando revera non adſit. Tunc autem id eveniret, quando e. g. repræſentaretur annuos

fructus

fructus non eſſe ſufficientes pro ære alieno ſolvendo, vel pro Eccleſiæ reparatione, quando de facto ſufficerent, ſi Rector, vel Prælatus tot commoditates non exigerent. Debet ergo examinari, an annui proventus ſuperſint decenti, non ſuperfluæ, & nimis commodæ ſuſtentationi. Si puræ decenti ſuſtentationi non ſuperſint, jure allegatur neceſſitas; ſecus ſi non ſuperſint ſuſtentationi excedenti ſtatum, & conditionem Rectoris &c.

X. Multoties etiam Rectores, & Prælati Eccleſiarum gravant ſuam conſcientiam in adducenda cauſa utilitatis pro obtinenda alienatione facienda in gratiam alicujus Amici &c. Repræſentant exiguam utilitatem, quam habet Eccleſia ex alicujus prædii poſſeſſione, quod de facto eſſet multo magis utile, ſi illius culturam non negligerent. Hinc fit, ut novi poſſeſſores illud incolendo non exiguam percipiant utilitatem, dum interim Eccleſia illud permutando, vel in emphyteuſim tradendo, non recipiat niſi ad menſuram illius exigui fructus quem recipiebat, dum prædium alienavit.

Aliquando in adducenda cauſa utilitatis ſolum mentio fit de majori copia fructuum, quæ ex alienatione promittitur; at tacetur difficultas eos exigendi ab iis, in quos fit alienatio, incommodum, quod ſubibunt ſucceſſores carendo prædiis ſibi proximis, & habendo prædia laica Eccleſiæ, & Canonicæ fere contermina. Hæc, & ſimilia ſilentio occultantur non ſine gravi præjudicio animæ Rectoris alienantis &c.

XI. Accidit aliquando poſt aliquod tempus ab alienatione facta rerum Eccleſiaſticarum, dubitari ab Emptoribus, vel eorum Succeſſoribus, an omnia rite fuerint facta, vel potius, an omiſſa fuerit aliqua ſolemnitas &c. Confeſſarius igitur, ut conſulat ipſorum conſcientiæ, advertat primo, quod ſi elapſi fuerunt 30. anni a pacifica poſſeſſione, omnia præſumuntur rite facta. Si vero nondum elapſum fuerit tale tempus, & aliunde Eccleſia non appareat graviter læſa, poteſt ſequi eam opinionem, qua dicitur talem alienationem, etiam ſolemnitatibus omiſſis, in foro conſcientiæ, ſubſiſtere; atque ita in foro conſcientiæ ſuum Pœnitentem tutum eſſe.

XII. Notet Confeſſarius, Rectores Eccleſiarum non raro, ne diſpliceant Potentibus, vel ne aliquas faciant expenſas, negligere recuperationem bonorum, quæ non ſine gravi Eccleſiæ detrimento fuerunt alienata. Hi Rectores facillime graviter peccant; ne etenim humanos favores amittant, vel ut propriæ avaritiæ, ſeu ignaviæ morem gerant, negligunt ſibi reſtitui quæ Eccleſiæ ſuæ ſunt. Quis autem, niſi ipſi Rectores, id præſtare tenentur?

XIII. Non ſtatim ac Confeſſarius novit Rectorem &c. aliquid Eccleſiæ alienaſſe, ipſum cogat, vel ad reſciſſionem alienationis, ſeu pronunciet in excommunicationem incidiſſe. Quamvis ipſe opinetur illicitam fuiſſe talem alienationem, videat, an contra propriam opinionem ſit etiam apud DD. opinio probabilis in contrarium; & ſi eſſe adinveniat, deſinat ſuum Pœnitentem ad aliquid obligare.

CAPUT XI.

De in integrum reſtitutione Minorum, Eccleſiæ, &c.

32 NB. Reſtituere in integrum eſt reducere aliquem in eum ſtatum, in quo erat ante læſionem. Nam Prætor hominibus in contractu læſis, naturali æquitate motus, cognita cauſa ſubvenit, reſtituendo eos in integrum. Conceditur autem beneficium reſtitutionis in integrum, *ſi nulla alia actio competere poſſit: Nam ſi* aliquis *communi auxilio, & mero Jure* civili *munitus ſit, non debet ei tribui extraordinarium* Prætoris *auxilium*. Nec ſi læſio modica ſit: Nam *minima non curat Prætor*.

1 Beneficium reſtitutionis in integrum competit Minoribus, id eſt, qui annum 25. ætatis non compleverunt, ſi ex contractu læſi ſint. Ratio l. 1. & toto tit. ff. de Minorib. *Cum inter omnes conſtet, fragile eſſe, atque infirmum hujuſmodi ætatum conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum*. Excipe. 1. Si Minor ante contractum veniam ætatis impetravit, tanquam ætate major reputatur, ideoque reſtitutionis beneficio privatur. 2. Si major factus poſtea ratificet ea, quæ in minore ætate geſta ſunt. Contractus alienationis a minore factus ſine conſenſu Curatoris ipſo jure irritus eſt, & a Judice reſcindendus, nec opus eſt beneficio reſtitutionis in integrum. Exempla reſtitutionis ſunt. 1. Si Minor rem alicujus momenti etiam cum conſenſu Tutoris alicui donavit, cenſetur læſus. 2. Si Minor emendo rem juſto pluris, quamvis infra dimidium pretii juſti, aut vendendo rem minoris juſto, læſus fuit, reſtituendus eſt in integrum. 3. Si Minor in judicio læſus fuit ob negligentiam Curatoris, non producentis probationes neceſſarias. Idem locum habet in Eccleſia.

2 Minor repudians hæreditatem ſibi utilem, aut adiens hæreditatem minus lucroſam, itemque Eccleſia non tantum in damno emergente, ſed etiam lucro ceſſante reſtituitur.

NB. Eccleſia contra Eccleſiam, quippe pariter privilegiatam, non reſtituitur, ſi ex tali reſtitutione altera Eccleſia pariter, aut magis lædenda ſit.

Præterea beneficium a Minore repudiatum ante collationem reſtitui poteſt, ſi in Eccleſia utile videatur.

NB. Minor in delictis non reſtituitur, ſi dolo commiſſa ſunt; Secus, ſi per culpam; nam malorum mores infirmitas animi non excuſat. Non cenſetur autem dolo commiſſum, ſi ætate infans ſit, aut proximus infantiæ. Deinde, ſi Minor crimen in judicio confeſſus fuerit, cum ſola Indicia, aut ſemiplena probatio adeſſet, adverſus propriam confeſſionem, veluti læſus, in integrum reſtitui debet.

3 *Eccleſia* (etiam loca pia) *jure Minoris fungitur* in reſtitutionis beneficio. Quod ſi perſonæ Eccleſiaſticæ in propriis bonis læſæ ſint, non competit eis reſtitutionis beneficium: Quia *ceſſat tunc communis favor Eccleſiæ*.

4 Quadriennium continuum (incipiendo a tempore læſionis apparentis) hodie conceditur ad petendam reſtitutionem in integrum.

NB. In his cauſis etiam poſt 4. annos tempus reſtitutionis conceditur. 1. Si læſio valde enormis ſit. 2. Si inculpata ignorantia, aliudve juſtum impedimentum obſtitit, quo minus intra quadriennium reſtitutio peteretur: Quia legitime impedito non currit tempus Jure definitum.

NB. Minor juramento contractum ſponte firmans non admittitur ad reſtitutionem. Si autem Prælatus juravit, tunc Eccleſiæ non præjudicat, quo minus poſſit peti reſtitutio in integrum.

5 *Reſpublicæ*, Princeps, Academiæ, Communitates etiam *Minorum jure gaudent, ideoque auxilium reſtitutionis implorare poſſunt*, etiam poſt quadriennium. Ratio: Quia favor publicus, qui cauſa eſt reſtituendi Communitatem, ſemper manet.

6 Etiam majores natu interdum reſtituuntur, Id eſt, ſi abfuerint in cauſa Reipublicæ tempore læſionis, vel ſi in vinculis, aut ſi aliquis enormiter læſus ſit propter ignorantiam juris valde obſcuri, & dubii.

Adde, quod Ordinarius ex officio ſuo Eccleſiæ ſuæ graviter læſæ ſuccurrere debeat per reſtitutionem in integrum, etſi nemo petat; quemadmodum & Judex Minori graviter læſo; idque ratione utilitatis publicæ: At vero reſtitutio natu majoris potius conceditur ad inſtantiam partis, quam ex officio Judicis.

7 Reſciſſo contractu emptionis, & venditionis, qui juſto pretio celebratus erat, fructus interim percepti ad emptorem ſpectant: Secus, ſi contractus juſto pretio non fuit celebratus.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Pro praxi advertere debet Confeſſarius, quod dum quis retinet aliquid ex aliquo contractu, quem plures Theologi ſuſtinent eſſe validum, non debet ſuum Pœnitentem obligare ad reſtitutionem, quamvis ipſe Confeſſarius ſequatur opinionem ſtantem pro invaliditate contractus. Secus ſi contractus ſit reſcindibilis, & de facto Judicis ſententia reſcindatur.

Hinc ſi quis habeat aliquid ex contractu inito ob errorem, ſive dolum circa qualitates accidentales, non eſt cogendus ad reſtitutionem, etſi error dederit cauſam contractui; nam, ut diximus, valde probabile eſt tales contractus eſſe validos, quamvis reſcindibiles a Judice ad petitionem decepti. Bene tamen debet obligare deceptorem ad reſarciendum decepto damnum, ſi forte adfuit.

Item qui habet aliquid ex contractu, in quo non interceſſerunt omnes ſolemnitates juris, non eſt obligandus ad reſtitutionem, ſi alias fuit naturaliter validus, nec pleniſſime a Lege irritatus.

Item habens aliquid a Pupillo, vel Minore, abſque eo quod interceſſerit authoritas Tutoris, vel Curatoris, poterit illud retinere, dummodo non ſit ex iis, quæ non poſſunt alienari ſine Judicis authoritate. Quando vero contractus alias nulli juramento firmentur, dictum eſt in primum Decalogi præceptum, dum ſermo fuit de juramento.

CAPUT XII.

De Donatione.

1 Propoſitum (diſtinctum a promiſſione gratuita, & donatione) dandi aliquid nullam paris obligationem.

Promiſſio gratuita addit propoſito denuntiatam voluntatem, ſe gratis obligandi alteri, ſi ipſi acceptum ſit: V. G. Promitto me donaturum, mutuaturum.

Promiſſio (improprie dicta) ex ſola fidelitate obligat ſub veniali: Per accidens ratione damni fit mortale: Si V. G. alicui promittas, te pecunias ei mutuaturum ad frumentum emendum, & poſtea dictis non ſtes.

Proprie vero dicta promiſſio eſt, cum intentio promittentis eſt ex juſtitia ſe obligare, ita ut alteri promiſſionem acceptanti, jus, & actio tanquam vere debitum promiſſum exigendi ſaltem in foro conſcientiæ acquiratur: Obligat ſub mortali. Qualis vero fuetit

rit animus promittendi, debet colligi ex verbis promittentis, & ex circumſtantiis.

2 Donatio (quaſi doni datio) una verbalis eſt. V. C. Do tibi equum; qui tamen abſens eſt. Cujuſmodi donatio, licet rei donatæ dominium non transferat (lege ita diſponente, ut cum conſenſu etiam requiratur traditio rei), parit tamen obligationem, & actionem perſonalem, etiam in externo civili foro. Altera eſt donatio realis, & perfecta, in qua res, quæ donatur, etiam traditur, ut ſtatim accipientis fiat.

3 Donatio alia eſt inter vivos; *cum is, qui donat, mavult habere illum, cui donat, quam ſe*. Altera vero eſt cauſa mortis; *cum quis habere ſe mavult, quam eum, cui donat, magiſque eum, cui donat, quam hæredem ſuum*, l. 1. ff. de mortis cauſa donationibus.

4 Donatio mortis cauſa partim cum pactis convenit, id eſt, ſecundum formam, ſive modum conſtitutionis ſuæ. Opus enim eſt, ut donatarius donationem mortis cauſa ſibi factam acceptet vel per ſe, vel per alium. Si enim nemine acceptante donatio cauſa mortis fiat in teſtamento, vel codicillo, cenſeri debet legatum. Partim convenit cum ultimis voluntatibus ſecundum effectum. Nam in donationibus cauſa mortis, perinde ac in legato, locum habet Falcidia; item utrinque capacitas donantis, & legantis tempore mortis conſideratur. Adde, quod eo ipſo mortis tempore dominium rei donatæ ſine ulla traditione donatario acquiri cenſeatur. Denique, ſicut omnis alia ultima voluntas, ita & donatio cauſa mortis ante donantis mortem omnino firma non eſt, quo minus per donantis pœnitudinem, vel ob donatarii prævenientem mortem revocari poſſit, juxta illud l. Senatus 25. in fine, l. 32. ff. eod. *Non videtur perfecta donatio mortis cauſa facta, antequam mors donatoris inſequatur*. Differt tamen mortis cauſa donatio a legato, quod legatum a teſtamento pendeat, tanquam acceſſorium a principali: Quare infirmato teſtamento corruit etiam legatum; ſtante autem teſtamento legatum ab hærede præſtandum eſt non ante, quam is hæreditatem adiit. Sed donatio cauſa mortis a teſtamento independens, ipſa donantis morte perficitur, adeo ut ſi res mortis cauſa donata a donatore donatario tradita fuerat, ejus dominium plene, & irrevocabiliter ipſi tunc acquiratur, ut nulla actione opus ſit, cum ante mortem donantis acquiſitum quidem ipſi dominium eſſet, quamvis revocabile. Alia tamen ratio eſt in donatione inter conjuges facta. Sin vero res cauſa mortis donata ſit verbis tantum, ſed non tradita, tunc donatario poſt mortem donantis actio in rem veluti domino competit adverſus hæredem.

NB. Ad donationem cauſa mortis requiruntur quinque teſtes, perinde atque ad ultimas voluntates: Quia in ea cauſa defuncti agitur, qui cum ſe ipſum defendere non poſſit, facile eſſet, dolos, ac fraudes componere.

Porro donatio inter vivos conjuges abſolute facta, ſi ſit tantum impulſiva (V. C. ſi tali pacto fiat, ut donatio nunquam revocari poſſit, cauſa moriendi cenſeri debet tantum impulſiva) ſubſiſtere non poteſt, neque ex tali donatione Falcidia detrahenda.

5 In dubio potius præſumitur, donationem factam inter vivos, quam cauſa mortis: Tunc autem donatio cenſetur facta cauſa mortis, ſi donator mortis mentionem fecit in diſpoſitione, adeo ut donatio dependeat a morte donantis.

NB. Donatarius, etiamſi nulli teſtes ſint adhibiti, tutus eſt in conſcientia, ſi ſciat, defunctum animum donandi habuiſſe.

6 Uxor eleemoſynas, aliaſque donationes arbitratu ſuo facere non poteſt ex bonis dotalibus, aliiſve, quorum adminiſtratio ad maritum ſpectat. Excipe: Niſi maritus abſens, prodigus, aut mente captus ſit, ita ut ad ipſam adminiſtratio ſit translata, & niſi neceſſitas poſtulet, ut fiant donationes remuneratoriæ, ſi maritus tam impudens, & avarus ſit, ut negligat.

Poteſt tamen ſimpliciter facere eleemoſynas ex paraphernis. Imo etiam invito marito poteſt facere eleemoſynas moderatas, ſpectata qualitate ſui ſtatus, & allatæ dotis. Ratio: Quia uxor non eſt ancilla mariti, ſed ſocia, & adminiſtrationis domeſticæ particeps, ac quaſi compas, ut proinde maritus ea in re invitus merito eſſe non poſſit. Quia tamen marito ut capiti ſubjecta eſſe debet, ideo non poteſt arbitratu ſuo ſuperfluas eleemoſynas facere.

Quod ſi maritus nimis prodigus ſit in largiendo, vel magna profuſio bonorum cedat in injuriam uxoris, tunc maritus, ejuſque hæredes uxori ad reſtitutionem obligantur.

7 Filiusfamilias etiam ex bonis ſuis caſtrenſibus, etiam invito patre, donare poteſt, cum plena eorum adminiſtratio ipſi competat; non item ex bonis adventitiis, multo minus profectitiis. Nemo tamen tenetur ad reſtitutionem, qui accepit talia a filio, niſi pater repetat: quia raro præſumendum eſt, patrem tam ſeverum eſſe in filium, ut damni uſusfructus ex adventitiis bonis ſibi compenſationem fieri poſtulet. Donationes vero ex bonis profectitiis omnino irritæ ſunt: Studioſo tamen ex 100. aureis a patre miſſis permittitur V. C. ut 5. in eleemoſynas expendat, aut ad honeſtam recreationem, etiam quoad meretrices, eo quod pater tunc invitus non ſit quoad rem inſumptam, ſed quoad inſumendi modum (*a*).

„ (*a*) Hæc ſententia nunquam mihi arriſit; nam „ pater dans filio pecuniam, ſemper præſumitur dare „ cum illa tacita conditione, ut abſumat in uſus licitos, „ ergo filius dans meretrici non adimplet conditionem, „ ideoque dat, quod ſuum non erat, unde „ peccat contra juſtitiam. Cenſeo tamen patrem, „ cum data eſt pecunia conſentire, ut non repetatur.

Si magnus exceſſus commiſſus ſit a filio in ſtudiis quoad prodigalitatem, tunc, quæ filius in Academiis in ludos inſumpſit, mortuo patre in partem hæreditatis legitimam numeranda ſunt.

8 Minores natu donationes pro ſtatu ſuo, & ſumptus moderatos facere non prohibentur, quamvis Curatores inviti ſint.

9 Religioſus donare non poteſt, niſi in extrema neceſſitate: Niſi adminiſtrationem aliquam habeat, vel licentiam a Prælato. Prælati poſſunt: Sed ſi excedant nimium quoad conſanguineos, invalida eſt donatio. Religioſi Parochi poſſunt donare ex bonis parochialibus, ſeu reditibus.

10 Si alicui perſonæ habenti adminiſtrationem bonorum prohibitum ſit donare, tali prohibitione non cenſetur prohibita donatio remuneratoria.

11 Donatio ſimplex, conjugi facta a conjuge, non ſtatim firma, & irrevocabilis eſt, ſed morte donantis confirmatur; tamen Falcidia detrahenda eſt, & requiritur conſenſus Judicis, ſi 500. ſolidos, ſive 700. aureos excedat. Excipe: Niſi in morte confirmet conjux, aut legatum ſit, aut niſi intercedat venditio inter conjuges.

Valida tamen eſt donatio inter conjuges Principes illico: Quia Imperiales contractus legis vim obtinent. Item, valida eſt donatio inter conjuges, ex qua donans non redditur pauperior; veluti ſi maritus prodigus, quod certo prodigere decreverat, uxori donet. Item, valet donatio inter conjuges ſtatim, quando donatarius non ſit ditior, etſi donans fiat pauperior, id eſt, ſi donatio fiat ad reparationem ædium incendio abſumptarum, vel cauſa honoris adipiſcendi. Item, ſi vir uxori dotem remittat, vel ſi uxorem dotet cauſa remunerationis, puta, quia juvencula ſeni nupſit: Alioquin non eſt conceſſum, ut vir uxori dotem poſt nuptias conſtituat; quia hæc dotis conſtitutio ſpecies donationis eſt. Uxor autem hoc poteſt facere, cum hæc non ſit donatio mera, neque omnino dominii translativa. Denique quævis donatio facta inter conjuges firmatur juramento.

12 Donatio ſimpliciter facta filiofamilias a patre ſub poteſtate ejus conſtituto ante mortem revocari poteſt; tradita tamen res a patre, & nunquam revocata, morte patris confirmabitur. Dixi autem: *Simpliciter*. Nam quæ ob cauſam fit, puta, in beneficii remunerationem, ad nuptias, in dotem, ad militiam, ad Sacros Ordines, ſtatim valet: Etiam ſtatim valet donatio patris juramento firmata, vel ſi detur uſusfructus filio ex bonis adventitiis. Item valet ſtatim donatio facta filio emancipato, etiam ea, quæ liberis fit a matre, aut avo materno.

13 Donatio a patre facta filio emancipato, item donatio filio ſub poteſtate conſtituto facta ob cauſam poſt mortem patris conferenda eſt: Niſi donans expreſſerit, velle ſe, ut filius hanc partem præcipuam haberet; tamen ſine diminutione legitimæ aliis liberis debitæ. Idem judicium eſſe debet de donatione facta filiis, vel nepotibus ad Religionis ingreſſum, vel in patrimonii titulum ad Sacros Ordines ſuſcipiendos. Simplex tamen donatio facta liberis in poteſtate patris conſtitutis poſt mortem patris non eſt conferenda; quia cenſetur ut præcipuum a patre filio relictum.

14 Quæ

14 Quæ pater filio donavit ad militiam, ad ſtudia, ad decentem ſuſtentationem, vel beneficii remunerationem, ea conferenda non ſunt, etiam quæ pater ad convivium Doctorale largitus eſt, ad Primitias, ad comparandum beneficium. Ratio: Quia hæc omnia pertinent aliquo modo ad decentem ſuſtentationem, & alimenta, quæ pater filio debet, & uni filiorum copioſius, quam alteri. Quod ſi pater expreſſit, ut, quæ filio propria bona non habenti V. C. cauſa ſtudiorum tranſmiſit, in cumulum hæreditatis conferrentur, vel in portione legitima numerarentur, deducenda nihilominus erunt neceſſaria alimenta, quæ ipſi etiam in domo paterna degenti naturali Jure debita ſunt.

NB. Pater filium propria ſufficientia bona habentem alere non cogitur.

15 Donatio facta ultra ſolidos 500. Cæſareo Jure non ſubſiſtit, ſolum quoad exceſſum: Nam *utile non debet per inutile vitiari, quando utile ab inutile ſeparari poteſt*, juxta l. ſancimus. Ratio conſtitutionis eſt: Quia non expedit Reipublicæ, ut cives facultates donandi ad paupertatem redigantur. Excipe: Si donatio fiat ad cauſas pias; quia leges civiles Eccleſiaſticis cauſis nullum præjudicium afferre poſſunt. Similiter valet donatio facta a Principe, vel Principi a privato; item donatio facta militibus a Belliduce ex ſpoliis; item donatio, quæ fit ob cauſam ad militiam, ad nuptias; item donatio remuneratoria beneficiorum: Ad probandam hanc neceſſe eſt, ut in Inſtrumento donationis ſpeciatim exprimatur præſtitum obſequium, aut meritum, tali remuneratione dignum; item valet donatio ultra 500. ſolidos facta filio in remiſſionem uſus fructus ex bonis adventitiis.

NB. Tamen donatio ultra 500. ſolidos in foro conſcientiæ valet, donec a donatore revocetur, aut per Judicis ſententiam.

16 Donatio omnium bonorum tum præſentium, tum futurorum irrita eſt: Quia liberam teſtandi facultatem aufert, quod Jure civili indecens eſt, & Reipublicæ perniciolum exiſtimatur. Quare, ſi hæc ratio ceſſet, donatio valebit; veluti ſi omnium bonorum donationem facias, reſervata tibi facultate donationem revocandi. Omnium tamen bonorum donatio facta Eccleſiæ, vel pauperibus conſiſtit juxta Matt. 19. Nam Jus civile pietatis officia impedire, & reſtringere non poteſt. Item donatio omnium bonorum juramento firmata valida eſt. Ratio: Quia omnium bonorum donatio in ſe ſpectata peccatum non eſt; alioquin ab Eccleſia non acceptaretur: Ergo poteſt juramento firmari.

17 Donatio legitime perfecta ob magnam donatarii ingratitudinem revocari poteſt: V. C. Si manus impias in donatorem inferat; ſi atrocem contumeliam in eum effundat; ſi vitæ ejus inſidietur; ſi donatarius magna inopia preſſum donatorem ſublevare nolit.

Porro donatio nihilominus ob illas cauſas revocari poterit, licet juramento confirmata ſit. Nam juramentum ſortitur conditionem actus, cui adjungitur: Donatio autem ex Juris diſpoſitione hanc tacitam conditionem habet; niſi donatarius ingratus fuerit, vel niſi donatori liberis orbato proles poſtea naſcatur: Eſtque hoc jus revocandi donationem perſonale, neque tranſit ad hæredes. Sed nec ab ipſo donatore contra hæredes donatarii ingrati actio moveri poteſt cum ſit una ex iis, quæ ex delicto deſcendunt, atque ad hæredes delinquentis non tranſeunt, niſi lis cum delinquente conteſtata fuerit. Nec feudum filio eſt auferendum ob ingratitudinem patris, ſi patri quæſtio mota non fuit, ajunt Gloſſæ.

NB. Donatio facta Eccleſiæ non poteſt revocari ob ingratitudinem Capituli, vel Prælati; quia cenſetur facta non intuitu perſonarum, ſed ex pietate erga Deum.

18 Donatio, ſi liberis inofficioſa ſit, paternorum bonorum legitimam, id eſt, lege debitam portionem ipſis adimens, vel minuens, etiamſi juramento confirmata ſit, revocari poteſt. Ratio: Cum enim beneficium revocandæ donationis in favorem filiorum introductum ſit, non poteſt patris juramento tolli. Tamen plerumque inofficioſa donatio per querelam apud judicem inſtitutam revocatur ſolum, quatenus modum excedit, & legitimam portionem diminuit.

NB. 1. Licet parentes gratuitis donationibus liberorum legitimas minuere non poſſint, poſſunt tamen donationibus remuneratoriis, & contractibus oneroſis.

NB. 2. Non ſolum deſcendentibus liberis, ſed etiam aſcendentibus parentibus jus competit inſtituendi querelam contra inofficioſam donationem liberorum ſuorum. Nam querela inofficioſæ donationis introducta fuit ad ſimilitudinem querelæ inofficioſi teſtamenti. Hanc autem non minus aſcendentibus, quam deſcendentibus competere certum eſt.

19 Juſta cauſa revocandi donationem magnæ partis bonorum eſt inopinata ſuſceptio prolis. Eſt enim pia, & juſta Juris præſumptio, donatorem liberis orbum donationem magnam feciſſe cum virtuali, ſeu tacita conditione; niſi liberi naſcerentur: Quia nemo cenſetur alienos poſteritati ſuæ præferre velle. Quod ſi Eccleſiæ, vel ad cauſam piam donatum ſit; revocari non poteſt ultra legitimam liberorum, non minus, quam ſi donator de futura liberorum nativitate cogitans donaſſet. Etenim, ſi in filium donatio facta fuit, & poſtea aliis natis inofficioſa appareat, revocatur tantum uſque ad legitimam. Cauſa autem Eccleſiæ non minus favorabilis eſt, quam filiorum. Accedit, quod Eccleſia donatori inſtar filii eſſe cenſeatur.

20 Æquitas interdum poſtulat, ut ad populi ædificationem donationem Eccleſiæ factam Prælatus ob hanc cauſam remittat.

21 Renuntiatio hæreditatis nondum aditæ, quamvis delatæ, nativitate liberorum non revocatur. Ratio: Quia lex illa civilis, cum exorbitans ſit, de donatione ſemel facta revocanda, ſtricte interpretanda eſt de donatione proprie dicta, quæ eſt juris acquiſiti.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Quando Pœnitens repræſentat Confeſſario aliquid ſibi donatum fuiſſe donatione a Lege reprobata, non ſtatim illum obliget ad reſtitutionem, ſed ſequentia animadvertat. Primo ergo videat, an res donata talis ſit, ut nullo pacto potuerit alienari; ut ſunt res furtivæ, vel donationes factæ ab impuberibus, qui non habent liberam ſuarum rerum adminiſtrationem. Res igitur ita donatæ ſtatim ſunt reſtituendæ etiam ante Judicis ſententiam; nam cum non potuerint a donante alienari, ſemper pro Domino ſuo clamant. Excipe modicas donationes, ſive etiam eleemoſynas, quas etiam filiis familias, Uxoribus, impuberibus competit facere ſecundum ſuum ſtatum.

Si vero res donatæ potuerint alienari, & ſolum a jure poſitivo invalidetur talis donatio; ut ſunt donationes factæ inter Conjuges, Parentes, & filios; tunc advertat Confeſſarius, quod licet tales donationes prohibeantur a jure, non tamen irritæ ipſo facto redduntur, nec faciunt Donatarios inhabiles ad recipiendum, & retinendum. Quoad has igitur donationes Confeſſarius non debet cogere donatarios ad reſtituendum niſi poſt ſententiam Judicis, & tunc habent etiam reſtituere fructus perceptos a die litis conteſtatæ.

II. Debet etiam in praxi Confeſſarius valde advertere, ne Viduæ ſibi conſcientiam graveat occultando, & retinendo quidquid a Marito acceperunt. Si ergo maritus expreſſe donavit aliqua uxori, non ſunt hæredibus conferenda, utpote quia morte Mariti donatio fuit convalidata. Quæ vero expreſſe non fuerunt donata a Marito, vel data non fuerunt cauſa remunerationis &c. manifeſtanda ſunt ab uxore Hæredibus Mariti, utpote quia non præſumuntur donata, niſi quæ pertinent ad uſus quotidianos.

III. Accidit etiam non raro in praxi caſus, in quo diſſolvuntur ſponſalia, & reſtituuntur mutuo tradita inter ſponſos, ut abſcindantur jurgia, & inimicitiæ, in his caſibus advertat Confeſſarius illum, ſine cujus culpa diſſoluta ſunt ſponſalia, poſſe retinere quidquid habuit ab eo, cujus culpa diſſolvuntur; & ſi reſtituat ad removendas inimicitias, poſſe ſibi occulte compenſare. Quod ſi caſu, & etiam ſine culpa ſponſi diſſolvantur, propter mortem v. g., propter ingreſſum in Religionem &c. tunc Confeſſarius ſecreto interroget ſponſam, an paſſa ſit ab eo oſculari, nam tunc poteſt tuta conſcientia dimidium ſponſalitiæ largitatis ſibi retinere.

IV. Notare pariter debet Confeſſarius; quod ſi Donatarius etiam poſt acceptam donationem adeo fuerit ingratus, ut ſufficientem præbuerit cauſam revocandi donationem, tunc donans, ſi nondum tradidit rem donatam, poteſt in foro conſcientiæ eam ſibi retinere: nam qui jus habet repetendi poſtquam tradidit, jus habet & retinendi, itaut ſolvere non teneatur.

CAPUT XIII.

De Dote, Paraphernis, Donatione propter nuptias, & ſponſalitia Largitate.

1 DOs (quæ comparatione mariti fortitur rationem contractus reciproci) datur marito ad onera matrimonii ſuſtinenda, ſoluto matrimonio reſtituenda a marito.

2 Maritus dotis dominium non habet, ſed adminiſtrationem, & fructus ejus: Unde res dotales alienare non poteſt; poteſt tamen eas a quovis poſſeſſore reali etiam actione vindicare, & de iis in judicio contendere. Dotis tamen dominium plene ad maritum tranſit, ſi dos conſiſtat in pecunia, & rebus uſu abſumptibilibus: Tunc enim quaſi mutui contractus intervenit, ut ſoluto matrimonio tantundem ejuſdem generis, & qualitatis reſtituatur.

3 Du-

3 Duplex eſt dot; adventiaia; & profectitia. Hæc eſt, quæ a patre, aliove per virilem ſexum aſcendente, filiamque in poteſtate habente protecta eſt. Poteſtque pater ad dotandam filiam Judicis officio compelli.

4 Pater debet filiam dotare, licet propria adventitia bona habeat, id eſt, materna: Avus tamen non tenetur dotare nepotes ex propriis, ſi aliunde bona habeant, V. C. ex hæreditate patris, vel matris.

NB. Licet nulla fiat mentio dotis, tamen pater tenetur filiam dotare; nam tacite intelligitur dos ſponſæ promiſſa, eo quod pater non ſolum obligatus ſit ad providendum filiæ maritum, ſed etiam ad dandam dotem. Nam mulier indotata facile contemnitur. Et Reipublicæ intereſt, dotes mulieribus dari. Eademque ratione, ſi mulier dives, non facta expreſſione dotis, ducta ſit, tacite cenſentur ejus bona, vel ſaltem pars bonorum pro conditione, & dignitate viri in dotem conſtituta; quæ ſi non ſolvatur, juſtam cauſam maritus habet, alimenta uxori negandi.

Porro, licet filia invito patre contraxit matrimonium, tamen debetur illi dos a patre. Ratio: Quia pater hoc caſu ægre ferre non poteſt matrimonium ſecundum ſe, cum utiliter contractum ſit; licet ægre ferre poſſit, quod attinet ad modum, quia ipſo inconſulto contractum fuit. Excipe: Niſi municipalibus conſtitutionibus aliter decretum ſit, & niſi filia ex adventitiis bonis ſufficienter dotata ſit; nimis enim durum eſt, patrem compellere ad filiam habentem per ſe ſufficientia dotandam, quæ ſine ejus licentia nupſit. Quod ſi nupſerit viro indigno genere, non tenetur dare dotem, ſed ſolum alimenta, quæ pater etiam liberis ingratis Jure naturali debet. Id vero ad Judicem pertinebit, arbitrari, utrum delictum dotis ſubtractionem mereatur.

. Præterea pater etiam dotem filiæ Religioſæ debet; Quia cauſa Religionis favorabilior eſt matrimonio carnali.

5 Mater, imo frater, etiam Clericus, ſi dives ſit, in defectum aliorum, filiæ, aut ſorori inopi dotem dare debet. Nam dos ſuccedit loco alimentorum; frater autem, & mater tenentur alere in neceſſitate: Ergo. Et mater obligata eſt liberis legitimam relinquere; dos autem, ſicuti & donatio propter nuptias, in legitima computatur, conſerenda poſt mortem matris.

· 6 Dos adventitia eſt, quam vel uxor ex propriis bonis affert, vel extraneus aliquis ei confert, non parens, nec avus. Diſcrimen eſt inter utramque dotem, quod profectitia ſoluto matrimonio, niſi aliter conventum fuerit, revertitur ad dantem, qui eſt parens per virilem ſexum aſcendens, & filiam in poteſtate habens, juxta l. dos a patre. *Jure ſuccurſum eſt patri, ut, filia amiſſa, ſolatii loco cederet, ſi redderetur ei dos ab ipſo profecta, ne & filiæ amiſſæ, & pecuniæ damnum ſentiret.*

Sed etſi matrimonium ſolvatur per mortem mariti, dos in poteſtatem patris revertitur, ſicut & ipſa filia; cui deinde iterum nubenti eandem dotem nihil imminuram dare cogitur.

NB. Si filia moriatur liberis relictis in poteſtate patris conſtituta, dos profectitia revertitur ad patrem: Quia filii non ſuccedunt patri in profectitiis bonis, vivente adhuc avo. Quod ſi filia emancipata fuit, dos non revertitur ad patrem, ſed fit adventitia, definitque eſſe profectitia, & eſt filiæ pleno jure acquiſita. Unde infertur: Quibus locis ſtatuto, vel conſuetudine receptum eſt, ut liberi utriuſque ſexus per matrimonium emancipentur, dos, vel donatio propter nuptias, ſoluto matrimonio, non revertitur ad patrem dotantem: Cenſetur enim adventitia, quam maritus lucratur duobus modis ſoluto matrimonio per mortem uxoris. 1. Si pactum intereeſſit de dote lucranda (exemplum habes in filia D. Vaii) Nam contractus ex conventione legem accipiunt; & nominatim contractui dotali ſpecialia pacta adjici poſſunt, & frequentiſſime ſolent. 2. Si uxor inteſtata decedat, deficientibus liberis, & propinquis.

7 Maritus dotem adventitiam lucratur propter adulterium uxoris, & econtra (niſi inter ſe reconciliati fuerint) Intellige; poſt Judicis ſententiam: Eſt enim pœna. Poteſt tamen maritus, ſi certus ſit de adulterio uxoris, in conſcientiæ foro dotem retinere, defendendo ſe contra uxorem repetendo, per exceptionem. Quia, *cui competit actio, eidem multo magis exceptio competere debet*. Reg. 71. in 6.

NB. Si dos propter inopiam mariti, aut prodigalitatem periclitari incipiat, poteſt uxor eam repetere applicatis fructibus familiæ, imo compenſatione occulta uti.

8 Uxor habet tacitam hypothecam in bonis mariti, donec ei dos reſtituatur. Et præfertur uxor in repetenda dote omnibus aliis perſonalibus creditoribus etiam tempore prioribus, tacitam quoque hypothecam habentibus, imo etiam habentibus hypothecas expreſſas, ſed poſteriores, id eſt, poſt dotis conſtitutionem appoſitas, Vide Tract. 2. Cap. 11. Aſſert. 5. caſu 4.

NB. Exceptionem dotis non numeratæ ſoluto matrimonio, maritus apponere poteſt intra annum, ſi matrimonium ultra biennium non duravit, alioquin intra tres menſes, ſi amplius biennio, dummodo non integro decennio; hoc enim caſu exceptio nullo modo admittitur.

9 Parapherna ſunt omnia bona uxoris præter dotem, quorum adminiſtratio nullo modo competit marito, nec fructus, niſi ita conventum fuerit, & tunc mulier habet tacitam hypothecam in bonis mariti.

10 Donatio propter nuptias (*Gegenwiden*) ad ſimilitudinem dotis conſtituitur, adeo ut ſi pactum interceſſit de dote lucranda poſt mortem uxoris, intelligitur etiam interpoſitum de lucranda donatione propter nuptias poſt mortem mariti. Æqualitas in dote, & donatione propter nuptias conſtituenda hodie non obſervatur.

11 Sponſæ a ſponſo interdum arrha (id eſt, donatio in remunerationem virginitatis, dotis, &c.) conſtituitur, quæ poſt mortem mariti pleno jure una cum dote uxori exhibenda eſt. Sin autem contingat, eam ante maritum decedere, jus habet, de tali donatione, ſicut de dote adventitia, arbitratu ſuo diſponere, vel hæredibus ab inteſtato relinquere.

Sponſalitia largitas dicitur, quam unus ſponſus alteri facit cauſa ſecuturi matrimonii. Rato, & conſumpto matrimonio confirmatur. Reſiliens culpabiliter ad reſtitutionem iſtius largitatis innocenti tenetur.

NB. Si uxor ad nuptias ſecundas tranſiit, debet liberis in primo matrimonio conceptis relinquere jura dotis profectitia prioris, item donationes, teſtamenta.

C A P U T   XIV.

De Commodato, & Precario.

1 COmmodatum *eſt rei alicujus ad ſolum uſum gratuita conceſſio*. Dicitur: *Rei*. V. C. Domus, equus, veſtis. Nam pecunia, & vinum commodari poſſunt non niſi ad oſtentationem. *Ad ſolum uſum*: In quo differt a pignore, & depoſito, quod eorum uſus non conceditur. Et a mutuo, in quo transfertur dominium, non in Commodato. Dicitur: *Gratuita conceſſio*; ad differentiam locationis.

2 Commodatarius etiam leviſſimam culpam præſtare debet, ſi in ejus ſolius gratiam commodatum fuit.

3 Res commodata ante tempus revocari non poteſt, niſi præter opinionem grave aliquid eveniat: Alias injuriam infert repetendo ante tempus præſcriptum. *Adjuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet*. l. in commodato. §. ſicut, ff. eodem. Et *mutare quis conſilium non poteſt in alterius detrimentum*. Reg. 33. in 6.

Quod autem quis in gravi neceſſitate ante tempus commodatum repetere poſſit, patet; quia non cenſetur ſe obligaſſe ad inopinatum eventum, qui gratis commodavit: Quandoquidem quiſque præſumitur ex re ſua magis ſibi ipſi, quam alteri proſpicere velle. Precarium ferme convenit cum Commodato. Stricte tamen loquendo in eo differunt, quod commodatio fiat ad certum tempus, vel certum uſum, ita ut ante res commodata a domino repeti non poſſit, eo autem finito reſtituenda ſit, licet non repetatur. *Nam dies ſtatuta pro domino interpellat*. l. magnam C. de contrah. ſtip.

4 Precarium eſt, *quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is, qui conceſſit, patitur*.

5 in Precario non præſtatur culpa, niſi lata ſit, quæ dolo æquiparatur.

NB. Precarium non ſolum in rebus corporalibus; ſed etiam in juribus conſtitui poteſt; veluti ſi me precario rogaveris, ut per fundum meum ire tibi liceat. Solvitur Precarium. 1. Expreſſa voluntate concedentis. 2. Voluntate tacita. 3. Morte ejus, cui conceſſum fuit, & non tranſit ad hæredes, cum ſit veluti gratia perſonalis.

6 Precarii contractus eſt, de quo Lib. 3. Decr. per

quem

quem aliquid utendum conceditur in perpetuum, vel ad tempus pro annua penſione, aut gratis ob remunerationem beneficiorum; idque ante tempus revocari non poteſt: Præterquam ſi a Prælato Eccleſiæ irrationabiliter conceſſio facta fuerit; tunc ſucceſſor ejus revocare poterit.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Primo, advertat Confeſſarius contra juſtitiam multos ſolere differre reſtitutionem rei precario habitæ. Mos eſt enim plurium, qui aliquam rem ad uſum expetierunt, adducere multas excuſationes ad differendam reſtitutionem, quoties Dominus rem ſuam expoſcit. Si ergo res precario habita fuit, ſtatim eſt reſtituenda, quoties Dominus eam expoſcit, quamvis qui ejus uſum obtinuit, adhuc neceſſe haberet illa uti. Solum ex dictis, differri poſſet reſtitutio, quoties revocatio precarii, nulla cogente neceſſitate, facta eſſet ita intempeſtive, ut ex ea damnum alterius ſequeretur.

II. Item advertere debet in praxi Confeſſarius nequaquam poſſe commodantem contra voluntatem commodatarii, & maxime cum ejus damno rem commodatam repetere, durante uſu vel tempore conceſſo; nam commodatarius jus habet ad uſum, & ad tempus ſibi conceſſum. Hinc ſi commodans authoritate, ſeu vi rem commodatam ante tempus repetit, & exinde commodatarius patiatur damnum, tenetur illud compenſare, utpote actione injuſta cauſatum. Ita poteſt evenire, ſi aliquis ad tempus repetat inſtrumenta artis alteri commodata, equum commodatum pro aliquo itinere faciendo, boves commodatos pro arando &c. Solum excuſandus eſſet commodans, quando cum non antea prævidiſſet ſuam neceſſitatem, non repetendo rem ſuam ante tempus conſtitutum, deberet ipſe ſimile damnum ſubire; nam non cenſetur voluiſſe commodare rem ſuam cum proprio detrimento; ut enim dicitur *cap. cum licet* 23. *q.* 5. quilibet ſibi magis, quam alteri obligatur.

III. Commodatarii multoties parum attendunt ad obligationem, quam habent non utendi re commodata niſi ad eum uſum, ad quem conceſſa eſt, & niſi pro tempore ſibi conceſſo; imo rem commodatam aliquando aliis etiam tribuunt utendam. In hoc poſſunt peccare graviter, ni cum fundamento præſumant Dominum non eſſe invitum, vel niſi excuſaret a gravi culpa brevitas temporis, vel modicus uſus, quo ea uterentur contra voluntatem Domini. Attendant item Confeſſarii commodatarium ſolvere debere commodanti quanti valet uſus, vel tempus, quo contra voluntatem Domini uſus eſt re commodata, ni iſte remittat, vel rationabiliter præſumatur nolle pretium talis uſus. Exemplum ſit in eo, qui commodaſſet inſtrumentum ad aliquem determinatum uſum, vel equum ad aliquem determinatum iter. Certe ſi commodatarius ad alia etiam eo utatur inſtrumento, vel equo ad longius iter, debet ſolvere pretium majoris, ſeu longioris uſus talis inſtrumenti, & equi.

IV. Cum multoties evenire ſoleat vel quod pereat, vel quod deterioretur res commodata, diligenter examinet Confeſſarius quæ culpa interceſſerit Commodatarii. Si deterior facta eſt, vel periit, quia ea uſus fuit ad alium uſum quam conceſſerit commodans, tunc teneretur utique iſtius damna compenſare, quia res culpa commodatarii periit, vel deterior facta eſt. Ita ſi moriatur equus, quia aliquis eo uſus fuerit ad longius iter, quam commodans præſcripſerit, pretium equi tenetur ſolvere. Si vero res commodata periit, vel valde deterior facta eſt propter uſum conceſſum a commodante, tunc videat Confeſſarius, qua diligentia ea uſus fuerit commodatarius; multoties enim in re aliena utenda parum diligentiæ, & diſcretionis, uti dici ſolet, adhibetur, quando alias magna eſſet adhibenda, quia gratis res commodatur. Si ergo adinveniat rem deteriorem factam, vel deperditam, quia commodatarius ſaltem non adhibuerit eam diligentiam, quam adhibuiſſet reſpectu rei propriæ; vel quam adhibuiſſet Dominus, ſi re ſua uſus eſſet; certe debet illum ad damna compenſanda condemnare, utpote quæ ex ipſius culpa avenere.

V. Ultimo in praxi conſiderandum ipſos commodantes obligandos eſſe ad reſtitutionem ex damno, quod paſſi ſunt commodatarii ex re commodata. Id evenit, quando non monuerunt commodatarios de vitio rei commodatæ, quando id non ignorabant, nec commodatarius ſciebat. Si v. gr. commodent vaſa, ea quorum vitio vel vinum, vel oleum corrumpantur, vel fiant deteriora; ſi commodent equum effrænem, ſi bovem cornupetam, ſi ſervum non fidelem &c. debent compenſare damnum, quod patiuntur commodatarii.

CAPUT XV.

De Mutuo.

1 **M**Utuum conſiſtit in rebus, quæ ſub eodem genere functionem recipiunt, videlicet quæ in numero, pondere, aut menſura conſiſtunt, id eſt, pecunia numerata, vinum, oleum, frumentum. Illa enim dicuntur functionem recipere, quæ ſub eodem genere adeo ſimilia ſunt, ut in commutationibus, vel ſolutionibus alterum alterius vice fungi poſſit: Et debent reddi vel eædem omnino, vel aliæ ejuſdem naturæ, & qualitatis, & bonitatis; V. G. vinum vetus pro vetere, novum pro novo.

2 In mutuo rei datæ dominium transfertur; non item in commodato. A permutatione, & emptione differt mutuum, quod in illa non idem, ſed aliud genus recipiamus; ut pro vino pecuniam.

NB. Si mutuo reddendo certum tempus præſcriptum fuerit, & mutuatarius in mora culpabili extiterit (id eſt, ſine gravi neceſſitate) in utroque foro omne damnum mutuanti compenſare debet. Si autem nullo definito tempore mutuatum fuit, ſolutio fieri debet, quamprimum mutuator poſtulaverit, dummodo non ſtatim poſtulet.

3 Filiusfamilias pubes pecunias mutuo accipiendo jure Cæſareo non obligatur, ob SC. Macedonianum. Si tamen filiifamilias non oppoſita exceptione re ipſa ſolvant, ſolutum repetere non poſſunt; quia naturalis obligatio manet. Cauſa autem, cur filiofamilias, ejuſque fidejuſſoribus repetitio debiti ſoluti non concedatur, ea dari debet, quia hoc SC. non principaliter ob favorem perſonæ, ſed magis in odium fœneratorum introductum fuit, juxta Ulpianum. Quare etiam id conſequens eſt, quod mulier (cum fidejubens naturaliter obligetur; & tamen, ſi ſolverit, conceditur ei condictio, ſeu repetitio veluti Jure civili indebite ſoluti) renuntiare poſſit beneficio SC. Vellejani; quippe quod in ejus gratiam conſtitutum fuit: At vero filiusfamilias exceptioni renuntiare nequeat; quia non ipſius cauſa, ſed in odium creditoris introducta fuit.

NB. Si ex pecunia mutuo accepta filius, aut pater ditior factus eſt, eatenus naturali Jure in conſcientia ad reſtitutionem obligati ſunt.

Præterea NB. verba SC. ſolum loquuntur de pecunia, & non de frumento; niſi fraus SC. adhibita fuiſſet, ut ejuſmodi diſtractis fructibus pecunia proveniret.

4 Aliqui caſus ſunt, quibus Senatuſconſultum Macedonianum locum non habet (ſic dictum; quia occaſione fœneratoris Macedonis latum fuit, qui filiis pecunias numerare ſolebat, reddendas poſt mortem patrum: Unde illi anſam ceperunt, patribus mortem machinandi, ut hæreditate parentum potiti haberent, unde ſe ære alieno liberarent) 1. Si filius, cum pecuniam mutuo accepit, peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe habeat; ſiquidem in eo quaſi paterfamilias cenſetur. 2. Si filiusfamilias miles ſit, cum pecuniam accipit. 3. Si filius pro altero ſui juris exiſtente, & mutuum accipiente fidejuſſit, tenebitur: Niſi id factum fuerit in fraudem SC. 4. Si filio in ſtudiis creditæ fuerunt pecuniæ ad neceſſarios ſumptus, quos ipſius patris pietas recuſare non poteſt. 5. Si pecunia in rem patris verſa fuit.

5 Probabilius eſt, etiam in foro conſcientiæ exceptionem SC. opponi poſſe, modo mutuator in culpa aliqua fuerit, ut pœnæ locus eſſe queat; nam aliud eſt, ſi mutuator probabiliter credidit, filium patremfamilias eſſe. Ratio: Quia certum eſt, quod lex civilis in pœnam fœneratorum, & Reipublicæ commodum ſtatuere potuit, ut in utroque foro exceptio creditoribus opponi queat ad filiifamilias liberationem. Ita patet ex l. ſed ſi, §. ſed etſi ubi abſolute dicitur, filiumfamilias perpetuo tutum eſſe contra creditorem, adeo ut, etſi non oppoſita exceptione a Judice condemnatus ſit, nihilominus SC. exceptione uti liceat: Quod vel falſum, vel iniquum foret, niſi etiam in animæ judicio exceptio illum tutum redderet.

NB. Filiusfamilias licet exceptioni SC. renuntiare non poſſit, poteſt tamen, ſi juramento confirmet, cum omne juramentum ſervari debeat, ſi poſſit ſine diſpendio ſalutis.

6 Si Adminiſtrator, vel Curator alicujus perſonæ, videlicet Minoris, Hoſpitalis, civitatis, pecuniam mutuo accepit, mutuans oſtendere debet, pecunias in utilitatem ejus perſonæ, aut loci verſam eſſe; idque in favorem Eccleſiarum, & piorum locorum ſtatutum eſt. Ratio: Cum enim Adminiſtratores valde proni eſſe ſoleant ad pecunias mutuo accipiendas, ne ea res in favorabilium perſonarum, vel locorum detrimentum cedat, Jure ita proviſum fuit.

7 Si conſtet, aut oſtendatur, Adminiſtratorem, vel alium quemvis mandatarium habuiſſe plenam facultatem mutuo accipiendi, probari non debet, in utilitatem illius verſam fuiſſe, pro quo acceperat.

NB. Prælatus debita Anteceſſoris ſolvere tenetur, quæ pro neceſſitate Eccleſiæ contracta ſunt, juxta Gloſſam: *Succeſſor ad id tenetur, quod Prædeceſſor facere debuit.*

8 Qui ſpe mutui accipiendi chirographum dedit, intra biennium opponere poteſt exceptionem non numeratæ pecuniæ, eo fine, ut in creditorem actorem onus probandi rejiciat, pecuniam a ſe numeratam fuiſſe: Qui ſi in probatione deficiat, abſolvetur mutuatarius conventus. Ratio: Quia deſiderans rem aliquam ſibi mutuo dari, fiducia hujus beneficii conſequendi facile inducitur ad anticipandam confeſſionem accepti, quod nondum acceptum eſt.

Similis porro exceptio inter 30. tantum dies creditoribus convenit in quocunque debito, ſi opponant,

ſpe

ſpe ejus recipiendi ſe Inſtrumentum confeſſionis, ſeu apocham maturius tradidiſſe. Cautio vero eſt ad excludendas ejuſmodi exceptiones, ſi Tabellio in publico Inſtrumento ſcribas, in præſentia ſui, & teſtium pecuniam numeratam fuiſſe.

CAPUT XVI.

De Uſura.

1 Uſura eſt lucrum ex mutuo: Quare, ubi mutuum reperitur, uſuræ locus non eſt. Vel eſt fœnus vel potius fœtus pecuniæ, id eſt, infelix, ſpurius; cum tales res ſuapte natura parere non debeant.

2 Lucrum uſurarium eſt, quidquid temporale, ac pretio æſtimabile ultra ſortem mutuo datam accipitur, quaſi ratione mutui ex juſtitia debitum ſit.

NB. *Temporale*: Si enim ſpirituale, erit Simonia.

3 Uſura non eſt, nolle mutuare alteri, V. C. pecuniam, niſi is viciſſim mutuo det frumentum: Sed uſura eſt, dare alicui mutuo, obligatione ipſi impoſita, ut & ipſe futuro tempore mutuare, aliudve officium præſtare debeat. Ratio: Quia ultra ſortem ſuo tempore reddendam, mutuatario onus, ſeu gravamen imponitur, quod pretio æſtimabile eſt.

(NB. *Ratione mutui.*) Nam ſi alicui pecuniam ad pompas concedas, poſtulato pretio uſura non committitur: Quia non accipis ratione mutui, ſed ratione locati.

4 (*Quaſi ex juſtitia debitum*) Nam ſi ſperes, vel etiam roges mutuatarium, ut memor beneficii ex ſpontanea gratitudine remunerare velit, vel etiam ejuſmodi gratuitum donum accipias, uſurarius non es (*a*).

„ (*a*) Rogatio tamen eſt ſuſpecta in eo caſu: nam „ mutuatarius ſic rogatus non dabit ſponte aliqoid ſu„ pra ſortem, ſed quaſi coactus, ne ingrati nomen „ incurrat.

NB. 1. Obligatio remunerandi in pactum juſtitiæ propter mutuum deduci non poteſt. Et pactum repugnat gratuitæ, ac liberali remunerationi. Unde illud: *Nemo in neceſſitate liberalis exiſtit.* Item: *Qui dat aliquid ex neceſſitate, non dicitur donare.*

NB. Quod ſi mutuatarius ultro promiſſionem faciat, V. C. ſi mutuo mihi des 100. aureos, ecce ἀντίδωρον iſtud tibi do, vel daturus ſum, non eris uſurarius, ſi ſpe accipiendi mutuo des, alioquin non mutuaturus; modo appareat, animum mutuatarii eſſe donandi, ſeu liberaliter dandi, non veluti ex reciproca obligatione pro mutuo. (*b*) Deinde certum eſt, ſi mutuatarius liberali animo promiſſionem fecit, acceptante mutuatore, exinde obligationem juſtitiæ illum contrahere, non vi mutui, ſed vi gratuiti pacti.

„ (*b*) Debet tamen ex omnibus circumſtantiis ap„ parere, quod iſta oblatio facta eſt mere ſpontanea, „ & ex liberalitate offerentis, quod vix, ac ne vix „ quidem accidit, nec mihi ſatis probaretur id, quod „ hic addit Layman in hoc rerum eventu id quod „ oblatum eſt liberaliter, & acceptatum, redden„ dum eſſe ex juſtitia non vi mutui, ſed vi pacti; „ hic enim modus eſſet ſalvandi omnes uſuras; poſ„ ſet enim dicere ille, qui uſuras recipit, da mi„ hi centum, & ego dabo ſtatim, vel poſt hæc ti„ bi quinque in donum. Ulterius comprehendi hæc „ videntur in propoſitione damn. 42. ab Ino. XI. „ *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur* „ *tanquam ex benevolentia, ex gratitudine debitum, ſed* „ *ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.*

5 Uſura alia eſt realis, in qua lucrum ex mutuo in pactum deducitur, ſeu expreſſe, ſeu tacite. Alia mentalis, ſi mutuans in pactum non deducat, ſperet tamen, atque intendat lucrum non gratuito offerendum, ſed quaſi ratione mutui debitum ſit. Item alia uſura eſt aperta, quæ in mutuo formali, & expreſſo fundatur. V. C. Do tibi mutuo 100. ut poſt annum reddas mihi 105. alia palliata, quæ non committitur in contractu mutui expreſſi, ſed alterius contractus nomine, veluti pallio occultati. V. C. Mercator, qui ob dilatam ſolutionem pretii carius mercem diſtrahit, V. C. florenis 100. cum valeat tantum 95. florenos. Non enim is aliud agit, quam quod 95. florenos, qui velut juſtum pretium ſtatim ſolvendi eſſent, emptori mutuo det ea lege, ut eas poſt annum reddat cum auctario: Niſi, ut poſtea dicam, mercatoris interſit, ſeu ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis, ſolutionem pretii non differri, neque lateat emptorem ob ſolutionis dilationem mercem carius vendi. Aliud exemplum habes in emptore, qui ob anticipatam pretii ſolutionem minoris emit, quam res empta valeat. Excipe: Niſi exiſtimetur accidere poſſe, ut tempore ſolutionis res plus, aut minus valeat; Quia uterque contrahentium æquali periculo ſubjicitur. Aliud exemplum: Si deponas apud alterum pecuniam, data ipſi facultate utendi, eo pacto, ut propterea obligatus ſit pretium aliquod ſolvere. In veritate enim talis contractus non eſt depoſiti, ſed mutui.

6 Omnis uſura illicita eſt non ſolum Eccleſiaſtico; ſed etiam divino, ac naturali Jure, juxta Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Ratio: Quia juſtitia commutativa non permittit, ut pars contrahens plus reddere cogatur, quam accipit.

Nec refert, quod mutuatarius data ſibi pecunia uti, atque lucrari poſſit, cum jus utendi, ſicut & lucrum, pertinet ad dominum, qui pecuniam ſuam adhibet ad lucrandum: Mutuatarius autem ſtatim efficitur dominus pecuniæ ipſi mutuo datæ. Confirmatur. Pecunia, vinum, frumentum &c. in quibus mutuum conſiſtit, per ſe ſterilia ſunt: Ergo iniquum eſt pro earum uſu, aut fructu alteri conceſſo quidquam exigere.

7 Uſurarius non comparat dominium rerum per uſuram acceptarum. Nam deeſt titulus, ſive juſta cauſa accipiendi; abſque titulo autem rerum dominia non acquiruntur.

NB. 1. Principes cum pacto non poſſunt Judæis permittere uſuras; poſſunt tamen permittere ſine pacto majorum tributorum, majoris mali vitandi gratia.

NB. 2. Judæis in veteri Teſtamento permiſſum fuit extraneis fœnerari, tanquam minus malum, ut a majore malo fratribus fœnerandi arcerentur. Quod ſi Cæſareo Jure uſuræ approbatæ ſint, jure Canonico cenſentur eſſe correctæ.

Pro labore numerandi notabili pretium exigi poteſt, non veluti ex mutuo, ſed tanquam ex opere mutuatario locato.

NB. Obligatio, quam quis in ſe ſuſcipit in alterius gratiam, quod paratus eſſe debeat ad mutuandum ipſi, pretio æſtimabilis eſt. Quo modo defenditur praxis aliquorum locorum, ſecundum quam nummularii ſeu a Republica, ſeu ab ipſis mutuatariis mercedem accipiunt pro ejuſmodi obligatione mutuandi pecunias quibuſcunque petentibus.

8 Mutuo alii tituli juſti adjici poſſunt, quibus ultra ſortem accipere licitum ſit, videlicet lucri ceſſantis, damni emergentis, pœnæ conventionalis, &c. Primus titulus eſt ex parte mutuatoris, ſi ejus vere interſit non mutuari. Id autem intereſſe duplex eſt. Unum dicitur lucri ceſſantis, ſi mutuatori ideo, quod mutuo daturus eſt, lucrum abſcedat: Veluti ſi mercator ex 1000. quos mutuo tibi dat, æſtimatis omnibus, lucraturus ſit 80. hos ipſos a te ſtipulari poteſt, ut ſuo tempore una cum ſorte ipſi reſtituas. (*c*) Ratio: Quia ſpes lucri, qua ſe privat mutuator in gratiam mutuatarii, pretio æſtimabilis eſt: Ergo ejus compenſatio in pactum deduci poteſt.

„ (*c*) Cum tamen ſpes lucrandi 80. interdum non „ ſit adeo certa; ideo in compenſationem lucri ceſſan„ tis repeti non poſſent 80., ſed quanti valet ſpes ju„ dicio viri prudentis.

NB. Pro ſola carentia pecuniæ, cum ſit intrinſeca, & eſſentialis mutuo, non poteſt quidquam accipi. Alterum intereſſe eſt damni emergentis, quod duplex eſt. Vel enim eſt damnum intrinſecum, quod in ipſa re mutuo data ineſt; ut ſi tempore veris mutuo des frumentum reſtituendum autumno, cum minoris valebit. Vel eſt damnum extrinſecum; ut ſi pecuniam, quam mutuo das, deſtinaveris ad emendum frumentum tempore abundantiæ, poſtea vero carius emere debeas, ejuſmodi damni tui compenſationem merito in ſtipulationem deducis.

9 Etiam ob periculum probabile ſortis amittendæ ab homine non induſtrio, & pluribus debitis obſtricto aliquid juſte exigi poteſt: Quia quivis prudens mallet 10. florenos donare, quam 100. tali homini credere. Unde talis creditor ſe ſubjicit periculo per contractum innominatum. Ut ſi quis mercatori in Syriam naviganti dedit 100. aureos, ita, ut, ſi navis periret, nihil recipiat; ſin vero ſalva rediret, 125. conſequatur. Confirm. Quia etiam fidejuſſor pro periculo damni incurrendi aliquid accipere poteſt; quæ

dicitur uſura compenſatoria licita; Lucrativa autem omnis illicita eſt.

10 Neceſſe tamen eſt, ut lucrum ceſſans, & damnum emergens, vel ſortis periculum in pactum deducatur expreſſe, aut tacite, fiatque contractus innominatus: In tuam gratiam deſiſtam ab hoc lucro; vel damnum hoc, aut periculum ſubibo, ſi des mihi 10.

11 *Mons* in Italia dictus *pietatis* ab uſuræ iniquitate defenditur; videlicet ærarium publice conſtitutum ad mutuandum indigentibus, ea lege, ut pro mutuo ipſis dato pignus relinquere cogantur, & intra tempus definitum recepto pignore pecuniam mutuo datam reſtituere, inſuper vero exiguum aliquid adjicere pro miniſtrorum ſuſtentatione: Sin autem intra tempus definitum ſolutio facta non ſit, pignus diſtrahi poſſit, ut, detracta ſorte, exiguoque illo adjecto, quod reliquum eſt, mutuatario reſtituatur. Idque approbatum eſt a Leone X.

Alter juſtus titulus ultra ſortem accipiendi eſt ex parte mutuatarii: Si pœna conventionalis adjecta ſit, quam is ſolvere cogatur, niſi ad tempus præfinitum mutuum reſtituerit. Neque opus tunc eſſe videtur, ut creditor exigat, ſed dies ſtatuta pro homine interpellat. Multo minus requiritur Judicis ſententia, cum ex mutua conventione, & pacto debeatur (*a*).

„ (*a*) Hæc tamen pœna tunc juſta eſt, & debet „ ſolvi, ſi ſit moderata ad proportionem culpæ, ſeu „ moræ reddendi mutui; alterius ſi mora illa ſit cul- „ pabilis, puta ſi mutuatarius tempore ſtabilito poſſit „ reddere, eſto cum aliquo ſuo incommodo, & non „ reddat.

12 Pœna alia legalis eſt, quæ lege decernitur propter crimen. Alia judicialis, quam in particulari cauſa Judex imperat. Alia conventionalis, quæ partium contrahentium conſenſu ſtatuitur, ſolvenda ab eo, qui a contractu receſſerit.

Tertius titulus ultra ſortem accipiendi eſt pacti acceſſorii: Si V. C. pecuniam mutues auream, ut reſtituatur in materia minuta. Accedit mutuo contractus Cambii, juxta cujus taxam conſuetam amplius, quam datur accipere licet.

13 Si mutuans navigaturo periculum ſortis in ſe ſuſcipiat, ratione hujus gravaminis aliquid accipere in conſcientiæ foro non prohibetur.

14 Licitum eſt mutuare frumentum in autumno, ut reſtituatur tempore verno, ſi æquale dubium ſit, plus tunc, an minus valiturum ſit. Quia uterque contrahentium æquali fortunæ ſponte ſe ſubjecit. Secus eſt, ſi quaſi certum ſit, ejus pretium auctius fore (aut mutuator intendat, licet poſtea non contingat augeri; hoc enim caſui adſcribi debet). Niſi in hoc caſu ratio lucri ceſſantis excuſet, quia V. C. ipſemet mutuator frumenta erat ſervaturus in vernum tempus, quo pluris diſtrahere potuiſſet.

15 Si moraliter certum ſit, valorem monetæ extrinſecum ſecundum ſe auctum iri, non eſt licitum in cenſu redimibili paciſci, ut pretium emptionis eadem monetæ ſpecie reſtituatur. Quod ſi vero per accidens tantum augeatur propter intrinſecam diminutionem minutiorum monetarum, tunc tale pactum juſtum, & naturæ contractus cenſualis conforme eſt: Quandoquidem in redemptione cenſus idem, ſeu æquale pretium emptori redhiberi debet. Si autem thaleris mille, qui contractus tempore conſiſtebant 1200. florenos Rhenenſes, emiſti annuos florenos 60. poſtea autem propter depravationem monetarum minutiorum thalerus earum comparatione creſcat, ut florenos ſeſqui valeat, aut duos, non ſatisfiet reſtituendo thaleros 800. aut 600. quia tale pretium in veritate non æquivalet acceptis thaleris mille, ſed ſolum externa nominis impoſitione quatenus totidem florenos Rhenenſes continere dicuntur, ſed longe alios, ac deteriores.

16 Si mercator mercem, quam pretio ſummo vendidit, poſtea pretio minore redimat, interdum ab uſura excuſari poteſt, dummodo mercator bona fide, & ne uſuraria intentione pannum vendiſſet pretio ſummo, videlicet 108. conſtituens in emptoris libertate revendendi, cui vellet, emptor autem rogaret mercatorem, ut ipſemet pretio minore, videlicet aurei centum, redimeret (*b*).

„ (*b*) Abeſt ab hoc caſu uſura contractus Mohatræ „ ab Inn. XI. propoſit. 40., damnati; in eo enim re- „ quiritur factum inter illum, qui dat mercem, & il- „ lum, qui recipit, ut prior det mercem pretio ſum- „ mo, & alter debeat illi revendere pretio infimo.

17 Contractus ἀντιχρήσεως, Germanice *Ein Pfandtſchafft*, (*c*) V. C. in pignore meo ſecundum ſe illicitus, & uſurarius eſt, videlicet ſi creditor fructus ex pignore lucretur, donec debitum ipſi reſtitutum ſit. Ratio: Quia alioquin creditor ultra pecuniam, quam credidit, aliquid lucrabitur cauſa ſolius mutui; quod uſura eſt. Aliis tamen titulis cohoneſtari poteſt. I. Si fructus ex pignore percepti non ſuperent quantitatem penſionis, quæ jure cenſus ſecundum morem patriæ conſtituti exigi poteſt cum pacto redhibitionis. II. Si creditor fundum, qui pignori deſtinatus erat, certo pretio emat, cum pacto revendendi. Tunc enim pignoris naturam, realemque obligationem amittit, & poſſeſſori tanquam vero domino fructificat, ejuſdemque periculo perit. Nam licitam eſſe venditionem cum pacto redemptionis appoſito, conſtat ex l. 2. C. de pactis inter empt. & vendit.

„ (*c*) Nos vocamus *Antichriſtos*.

18 Venditio cum pacto redemptionis licita eſt, & poteſt pretium emptionis minui, vel augeri propter obligationem impoſitam redimendi, aut revendendi.

NB. Uſurarius contractus præſumitur, in quo emptus eſt fundus cum pacto, ut majore pretio ad arbitrium emptoris redimatur, fructibus in partem pretii computatis; quandoquidem duo in illo pacto continebantur aliena a natura talis contractus, videlicet, ut & pretium majus eſſet redemptionis, quam primæ emptionis, & ut fructus inter emptionem, & redemptionem percepti ad venditorem pertinerent. Præſumebatur igitur, fuiſſe mutuum uſurarium cum traditione pignoris, cujus fructus in ſortem computari conſueverunt, præſertim cum emptor ſolitus etiam fuerit uſuras exercere.

19 Maritus, donec ei dos ſolvatur, fructus ex pignore ſine ſortis diminutione percipere poteſt, ut interea habeat, unde onera matrimonii ſuſtinere poſſit (*d*).

„ (*d*) Id etiam dicunt DD. de dote aſſignata a „ patre filiæ Sanctimoniali, ſed nondum ſoluta; „ poteſt enim monaſterium exigere annuam penſio- „ nem, eo modo, quo poteſt maritus, de quo in „ caſu.

20 Proprietarius ex oppignerato ſibi feudo, vel emphyteuſi fructus abſque ſortis exoneratione percipit. Ratio: Quia tali pacto contractus iſti ſeu primitus, ſeu per diuturnam conſuetudinem conſtituti ſunt, ut, ſi res feudalis, ſeu emphyteutica oppignerata ſit domino directo, ipſi fructificare debeat.

21 Pœnæ uſurariis Canonico, & civili Jure decretæ ſunt. 1. Ipſo Jure infames ſunt. Si Clerici, inhabiles ſunt ad beneficia, & irregulares. Epiſcopus tamen poſt pœnitentiam poteſt diſpenſare. 2. Non admittendi ſunt ad Communionem Sacram, neque ſepulturæ Eccleſiaſticæ tradi debent. Uſurarius tamen publicus, antequam denunciatus ſit, non eſt vitandus, etiam in Sacris. 3. Teſtamentum, legatum uſurarii publici ipſo Jure irritum eſt, niſi ante mortem reſtituerit, quæ per uſuras acquiſita ſunt, vel de eorum reſtitutione idoneam cautionem dederit per pignora, aut fidejuſſores.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Ex dictis intelliget prudens Confeſſarius obligandos eſſe ad reſtitutionem illos, qui non ſolent mutuare, niſi aliquid ſupra ſortem a mutuatariis exigant, etiamſi nil de hoc in contractu paciſcantur. Siquidem cum mutuatarius ſciat ipſorum conſuetudinem exigendi uſuras, petendo ab illis mutuum, videtur tacite promittere ſe juxta morem uſuras ſoluturum; unde pactum tacitum adeſſe videtur. Idem dicas de illo, qui in mutuo principaliter intendit amicitiam mutuatarii, minus vero principaliter intendit lucrum tamquam pretium mutui.

II. Si nullum interceſſerit pactum uſurarium inter mutuatarium, & mutuantem, non ſolum explicitum, ſed neque etiam tacitum, & nihilominus mutuatarius aliquid ſolvat ſupra ſortem, cenſetur, ut ſupra dictum eſt, ille exceſſus ex liberalitate, & amicitia datus. Porro tunc intelligitur aliqua res data abſque pacto tacito, quando perſona dantis eſt dives, liberalis, grata, ſeu vinculo amicitiæ, conſanguinitatis, & familiaritatis conjuncta cum donatario. E contra vero, ſi dans fuerit pauper, extraneus, avarus &c. præſumitur ſolviſſe coactus, & ex vi alicujus pacti taciti, quod in contractu interceſſerit. Idem præſumi poteſt de mutuario ſolvente aliquid ſupra ſortem mutuanti, qui ſolet dicere nil prætendere ratione mutui; at nihilominus ſperare mutuatarium ſibi futurum gratum, remuneraturum beneficium &c.; ſi hæc etenim ad aures perveniant mutuatarii, valde timeri poteſt non dare aliquid ſupra ſortem ex gratitudine, ſed veluti coactum ab iis, quæ dixit mutuans, maxime ſi illius intereſſit habere gratiam ipſius, & poſſe iterum mutuum petere &c.

III. In dubio quando mutuans moraliter certo ſibi perſuadere non poteſt id, quod ſibi datum eſt ultra ſortem, datum fuiſſe ex mera liberalitate, tenetur reſtituere, quia præſumitur datum ex aliqua obligatione, cum donatio non præſumatur, ut ſupra dictum eſt.

IV. Obligandus eſt ad reſtitutionem mutuans non ſolum quando pactus eſt cum mutuatario ſe aliquod accepturum ab illo

titulo

titulo gratitudinis & liberalitatis; ſed etiamſi verbis tantum excitaverit, & induxerit mutuatarium ad remunerationem exhibendam. Ratio eſt, quia licet, ſpeculative loquendo, videatur mutuans in hoc caſu non imponere ullam obligationem, ſed relinquere in libertate mutuatarii, ſi aliquid velit, ſeu nolit conferre, adeoque ſi quid dedit, gratis omnino dediſſe videatur; nihilominus in praxi obligandus eſt ad reſtitutionem, quia non eſt practice probabile mutuatarium plene voluntatie ſe moviſſe ad dandum illi aliquid ſupra ſortem, cum potius cenſeatur inductus ex aliqua verecundia & timore: quamdiu autem non eſt certum, quod mutuatarius dederit aliquid omnino liberaliter, nunquam liberatur mutuans ab onere reſtitutionis.

V. Hæc doctrina extendi debet etiam ad caſum, in quo mutuans verbis alliceret mutuatarium ad remunerationem mutuationе jam facta, quia ſemper videtur mutuatarius dare quaſi coacte, & ne ingratitudinis nota inuratur.

VI. Cum quæcumque obligatio pretio digna, vi mutui impoſita mutuatario, importet labem uſuræ, caute obſervare debet Confeſſarius, maxime inter perſonas rudes, non paucas intervenire pactiones uſurarias. Aliquas adnotabo. Uſuraria eſt obligatio impoſita mutuatario, ut emat ex officina mutuantis; ut eat ad ſuum molendinum, vel Piſtrinum; ut ſolummodo a mutuante aſſumat boves, aliaſque beſtias ſaginandas; ut teneatur ipſi proprias operas locare &c. Idem dicas de obligatione impoſita mutuatario, ut pro mutuante fide jubeat; ut pecuniam, vel aliam rem mutuatam alibi reſtituat, ſi id non poſſit facere ſine ſuo gravamine; ut mutuum, vel partem mutui recipiat in debito, quod a tertio haberi non poſſit ſine expenſis & gravi labore ut mutuum recipiat in mercibus, dum aliunde mutuatarius indiget pecunia, maxime ſi vendendo merces, debeat eas vendere viliori pretio, ac habuerit a mutuante.

VII. Dum aliqua ex pactis recenſitis intervenirent, ut Confeſſarius bene ſe gerat in obligando pœnitentem ad reſtituendum, quædam debet obſervare. Si igitur quæ geſſit mutuatarius ex obligatione illi impoſita, juſto pretio ſatisfacta ſunt a mutuante, ex hoc capite nullam illi imponere debet reſtitutionem; ut ſi mutuans ſatisfecit juſto pretio operas mutuatarii; ſi juſto pretio vendidit, dum ex obligatione emit ex ipſius officina, & ita de aliis. Solummodo obligare debet ad aliquid dandum ad recompenſandam obligationem ipſi impoſitam. Idem dicas quoad obligationem, ut pro mutuante fidejuberet. Si vero ex talibus obligationibus aliquod damnum paſſus eſt, quia e. g. poterat majori pretio operas ſuas locare, viliori pretio in alia officina emere, tunc totum damnum eſt recompenſandum. Idem dicas, ſi debuit viliori pretio merces vendere, quas mutuo habuit loco pecuniæ. Si vero mutuum recipit in debito ab alio tertio exigendo, tunc ſi in exigendo non ſubiit grave incommodum, dijudicari poteſt nil ex tali incommodo velle, ut gratum ſe oſtendat. Secus ſi incommodum fuit grave, & multo magis ſi neceſſe fuit expenſas facere ad illud exigendum.

VIII. Ex titulo damni emergentis non ita facile intereſſe exigi poteſt, maxime in divitibus, qui etiamſi mutuo aliquid dederint, tantum tamen domi retinent, quantum ſufficit ad reparandum damnum, ſi occurrat. Addatur non omne periculum damni emergentis ſufficere ad ſalvandam uſuram, ſed requiritur damnum, quod probabiliter eventurum timeatur, & ſit in cauſa proxima, non vero remota. Hinc ſi quis haberet domum, quæ nullam ruinam minitaretur, non poſſet aliquid exigere ratione damni, quod ſibi proveniret, ſi domus iſta corrueret; nam hoc periculum eſt remotum, & non in cauſa proxima.

IX. Ad exigendum intereſſe ratione lucri ceſſantis non ſufficit in praxi, ut detur occaſio exponendi ſuam pecuniam negotiationi lucroſæ, quod lucrum deperditur, ſi eadem pecunia mutuo detur; ſed requiritur, ut mutuans antea habuerit animum vere exponendi illam negotiationi; ſi enim iſtum dicat ſe habuiſſe, quando requiſitus fuit a mutuatario de tradenda ſibi pecunia, videtur ſub hoc titulo uſuram palliare.

X. Intereſſe ratione lucri ceſſantis non poteſt eſſe tantum, quantum ſperabatur futurum lucrum, ſed quantum valet ſpes illa, quam habet mutuans de lucro in futura negotiatione percipiendo, ſpes autem lucri eo minor eſt ipſo lucro, quo magis illud expoſitum eſt periculo, laboribus, & incertitudini. Hinc ſi quis habeat ſpem lucrandi 100. in negotiatione, non poteſt exigere 100. ratione lucri ceſſantis, ſed quanti valet in communi æſtimatione ſpes hujus lucri. Hinc vides quod ſi occaſio exponendi pecuniam negotiationi eſt imminens, aliquanto plus exigi poteſt. Si vero non ſit imminens, ſed adfutura ſperetur, minus exigi poteſt; immo etiam nihil, ſi nulla ſit probabilis ſpes, uti de facto nulla eſt in civitatibus, quæ mercantiles non ſunt, nec adeſt facile occaſio pecuniam in emptione agri, vel alicujus rei fructiferæ collocandi.

XI. Quamvis diximus poſſe aliquid exigi ratione periculi ſortis amittendæ, in praxi tamen iſte titulus raro excuſat contrahentes ab uſura palliata. Siquidem hoc periculum, ordinarie loquendo, vel nullum eſt, vel leve; nemo enim ſanæ mentis creditur daturus ſuam pecuniam alicui cum periculo probabili, ut ille poſtea non ſit ſolvendo.

XII. Notet Confeſſarius non ſemper eamdem ſummam exigi poſſe a mutuante ratione præfatorum titulorum, ſed quandoque majorem, quandoque minorem, juxta ſpem majoris, vel minoris lucri, ut dixi, ſeu juxta majus, vel minus periculum. Item notet, quod ſi intercedant diverſi tituli, poteſt ratione utriuſque aliquid ultra ſortem accipere. Hinc ſi mutuans non ſolum ſe privat ſpe lucri acquirendi, ſed ulterius ſuam pecuniam vero periculo exponat, poteſt ratione utriuſque tituli ſupra ſortem accipere, quanti æſtimatur ſpes, qua ſe privat mutuans, & periculum, cui exponit ſuam pecuniam.

XIII. Animadvertere præterea debet, quod licet mutuans cogere non poſſit mutuatarium, ut potius paciſcatur aliquid ſupra ſortem dandi pro damno, ſi eveniet, vel pro lucro, ſi ceſſabit, quam pro periculo vere probabili talis damni, vel pro carentia ſpei lucri acquirendi; nihilominus, ordinarie loquendo, poteſt accipere aliquid ſupra ſortem, etſi damnum non eveniat, vel lucrum non ceſſet. Ratio eſt, quia in his mutuis non ſolet paciſci de accipiendo aliquid ſupra ſortem, niſi pro periculo, quod timetur vel damni emergentis, vel lucri ceſſaturi. Non ſolet, inquam, paciſci niſi ratione talis periculi, & ita videmus mutuantem quamvis ſperet e. g. lucrari decem pro ſingulis centenariis, ſolummodo de tribus, vel quatuor aureis obtinendis paciſci. Cæterum ſi pactum eſſet de ſolvendo lucrum, ſi ceſſabit, vel damnum, ſi emergat, non ceſſante lucro, vel damno non interveniente, nihil poſſet mutuans obtinere, ut de ſe patet.

XIV. Notet Confeſſarius quod quamvis non poſſit mutuans aliquid exigere ſupra ſortem pro obligatione non repetendi mutuum niſi poſt longum tempus, nihilominus ſi prudenter timeat intra hoc tempus damnum emerſurum, vel lucrum ceſſaturum, ut de facto facile intra longum tempus hæc poſſunt evenire, poterit ex his titulis aliquid ſupra ſortem accipere. Debet tamen de hoc monere mutuatarium, & illum relinquere in libertate vel compenſandi damnum, ſi emerſerit, & lucrum, ſi ceſſaverit, vel potius dandi aliquid mutuanti pro tali periculo; hic etenim aliud jus non habet, niſi ut ſervetur indemnis.

XV. Caveat Confeſſarius ab illa quorumdam craſſa ignorantia, qua dicunt mutuantem nil poſſe obtinere, ſemper cum pignus obtinet a mutuatario. Utique nihil poſſet tunc obtinere ratione periculi ſortis amittendæ; at bene poſſet aliquid percipere ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ſi vere hujuſmodi tituli interveniant.

XVI. Diligens e contra ſit Confeſſarius in hujuſmodi titulis examinandis. Dantur e. g. caſus, in quibus mutuantes pecuniam ex timore illius amittendæ nolebant nec negociationi exponere, nec dare mercatoribus ad ſocietatem &c. nec ruſticis ad beſtias emendas. Si interim accedat aliquis mutuo pecuniam petens, mutuans paciſcitur de lucro ceſſante, dicendo quod poterat eam dare mercatoribus &c. At vere illud lucrum non ceſſat ratione mutui, cum mutuans vere nollet pecuniam dare mercatoribus, nec exponere alicui negotiationi.

XVII. Denique ſemper animadvertat Confeſſarius quod ubi ceſſant juſti tituli aliquid ſupra ſortem exigendi, raro præſumendum eſt aliquid dari a mutuatario ex liberali donatione; & maxime ſi præſumptiones ſint pro ea excludenda. Tunc præcipue dantur tales præſumptiones, quando mutuatarius vel eſt pauper, vel non ſolet eſſe liberalis: quando aliquid daretur mutuanti, quia notum eſt non ſolere mutuare ſine intereſſe: ſi detur aliquid mutuanti, quando inſtat tempus ſolutionis, quia præſumitur dari ad tale tempus prorogandum; quando datur poſtquam mutuans conqueſtus eſt de ingratitudine mutuatarii, vel dedit aliqua ſigna, quibus inſinuavit ſe aliquid a mutuatario deſiderare; quando mutuatarius, qui aliquid tribuit mutuanti, magnam habebat neceſſitatem ab eo mutuum obtinendi, nam tunc præſumi poteſt dare non ex liberalitate, ſed ut urgenti provideat neceſſitati. Cæterum ſi e contra præſumptiones pro adſtruenda liberali donatione ſint fortiores, tunc præſumi poteſt donatio.

CAPUT XVII.

De Emptione, aut Venditione.

1 CONtractus emptionis, aut venditionis mutuo conſenſu dandi mercem pro pretio ſubſtantialiter conſtituitur: Poteſt etiam inſtitui inter abſentes. Utraque tamen parte tendit ad traditionem, & conſequenter ad dominii tranſlationem.

Contractus autem iſte introductus eſt uſu nummo, utpote commodiore modo; nam olim res aliæ inter ſe permutari ſolebant, vinum pro frumento, &c. Sed quia non ſemper, nec facile concurrebat, ut, cum tu haberes, quod ego deſiderarem, pariter haberem, quod tu accipere velles, ideo electa eſt materia, cujus publica, ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubveniret.

2 Contractus iſte, quo pretium intervenit, emptio, quo vero merx, venditio dicitur.

§. I.

De Pretio rerum venalium.

3 DUplex eſt pretium rerum venalium. Unum legitimum, id eſt, publica lege taxatum, ad cujus taxationis obſervationem omnes venditores obligantur ſub virtute juſtitiæ, præterquam ſi manifeſte injuſta ſit; veluti, ſi piſtoribus taxetur pondus panis non ſecundum proportionem valoris tritici; aut ſi lex jubeat, ut frumentum ſuperveniente ſterilitate eodem pretio vendatur, quo ante, cum eſſet copia. Nam propter circumſtantiam accidente mutatione pretium quoque a Magiſtratu mutari convenit.

4 Tempore ſterilitatis non poteſt Magiſtratus ſolis agricolis pretium frumenti taxare, aliis mercibus non taxatis; alioquin injuſtam læſionem agricolæ patientur. Eſto, pauperibus hoc modo conſultum eſſet, tamen iſte ſuccurſus non ab uno hominum genere, V. G. agricolis, ſed omnium fieri debet.

Alterum eſt pretium naturale, quod, ſecluſa legis definitione, ex ipſarum mercium natura ſumitur, idque cum habitudine ad humanum uſum, affectionem, voluptatem. Sic panem pluris æſtimamus, quam mures, ob majorem illius utilitatem &c.

Diſcrimen eſt inter hæc duo rerum pretia, quod pretium legitimum conſiſtat in indiviſibili; naturale autem latitudinem habeat, pendens ab hominum æſtimatione, & affectu; ſiquidem varii homines de rebus varie judicant. Quare triplex pretium a *Doctoribus* ſtatuitur, ſupremum, mediocre, infimum: Quam latitudinem pretii juſti, dum venditores non excedunt,

a peccato injuſtitiæ immunes ſunt, licet aliis ſummo, aliis mediocri, aliis infimo pretio vendant. Quare etiam emptoribus conceſſum eſt licitari, ſive pretium offerre, ſed inſra latitudinem juſti.

5 Unde Pomponius dixit, *in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire*. In conſcientia tamen omnis venditio, in qua juſti pretii latitudo exceditur, & omnis emptio, in qua juſti pretii quantitas non attingitur, iniquitatem continet; ideoque per reſtitutionem ad æqualitatem reducenda eſt, niſi liberalis remiſſio, ſaltem præſumpta, ejus, qui deceptus fuit, acceſſerit: Aut ſi uterque ſciat valorem, præſumenda eſt donatio(*a*). Nam univerſim, ſi quis ſciens, ſe non debere, aliquid ſolvat, donare cenſetur: Quare tanquam indebitum repetere non poteſt.

„ (*a*) Excipe tamen ſi venditio, vel emptio non „ ſit coacta; accidere enim poteſt, ut venditor neceſ„ſitate coactus, licet ſciat pretium mercis ſuæ, ad„huc tamen det infra valorem juſti pretii; id vero „ multoties ab emptore conſentiri non poteſt.

6 In externo foro ob vitandas lites non ſuccurritur contrahentibus, niſi ultra dimidium juſti læſi fuerint, id eſt, niſi dimidiam juſti pretii partem alteruter acceperit. V. C. Si merx, cujus juſtum pretium venditionis tempore ad minimum erat 10. aureorum, vendita ſit minus 5. aureis, competit venditoris actio adverſus emptorem, ut vel reſciſſo contractu mercem reſtituat, pretiumque ſuum recipiat, vel juſti pretii defectum ſuppleat.

7 Pari modo, ſicut in decepto venditore, ita etiam in decepto emptore dimidium juſti æſtimandum eſt: Quia æque eſt læſio enormis, & damnum. Id etiam valet in aliis permutationibus.

8 Reſciſſo contractu emptionis, ac venditionis propter læſionem enormem fructus temporis intermedii ad emptorem tanquam dominum ſpectant; ſicuti & periculum rei ad eundem pertinebit. Alia ratio eſt, ſi venditio reſcindatur propter pactum adjectionis in diem, id eſt, ſi intra tempus certum pretium ſolutum non ſit, res inempta eſto. Tunc enim fructus temporis intermedii ſunt venditoris; quia reſciſſo ejuſmodi contractu propter pactum, perinde eſt, ac ſi nulla emptio, & venditio intervéniſſet.

NB. Licet Jure Canonico deceptis infra dimidium juſti denegetur actio judicialis, conceditur tamen eis denuntiatio Evangelica, per quam deceptores, de iniquo damno reſarciendo fruſtra admoniti, tandem Prælato denuntiantur, ut ad id, quod ſub peccato mortali præſtare debent, compellantur.

9 Juſtum mercis pretium eſt, quod loci conſuetudo approbat ſecundum communem hominum æſtimationem. Unde ille non peccat, qui, ſciens copiam ſtumentorum brevi tempore ſuperventuram, ſuum pretio conſueto vendit. Nam rerum pretia non ex privata unius, vel alterius hominis notitia, aut affectione, ſed, ut dictum eſt, ex communi civium æſtimatione accipienda ſunt.

NB. Quæſtor, cui dominus ſcripſit, frumentum fore carum, ideo debere vendere, poteſt ſolvere, & poſt unam ſeptimanam, aut alteram vendere, lucrando (ſi V. C. pro 5000. ſcaphis dedit 5000. & poſtea valeant 6000.) 1000. Siquidem antea pretio currente frumentum, quod vendendum erat, ipſe emerat, poſtea vero tanquam ſuum effectum carius diſtraxit.

10 Variæ cauſæ ſunt, ob quas rerum venalium pretia augeri, vel minui ſolent. 1. Penuria mercium, multitudo emptorum, paucitas vendentium, augent rerum pretia. 2. Pecuniæ abundantia efficit, ut rerum pretia creſcant; ejuſdem inopia, ut decreſcant. 3. Eſt modus vendendi. Nam merces, quæ ſub haſta venduntur, vel in foro ſerutario, minoris æſtimari ſolent, quam quæ in propria officina quæruntur. 4. Eſt ſingularis commoditas, quam venditor ex re vendita habuit, eaque in gratiam emptoris ſe ſpoliat. 5. Si emptori commodum non ſit emere, ſed a venditore rogetur; ob hanc circumſtantiam aliquantulum minuitur pretium mercis: Sicuti & pretium locationis, ſi conductori commodum non ſit conducere.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cùm non liceat vendere niſi intra latitudinem juſti pretii, nec pariter liceat emere niſi eodem juſto pretio, advertere debet Confeſſarius non eſſe tutos in conſcientia illos, qui a venditore ignorante emunt aliquam tabulam pictam, gemmam &c. pretio valde modico, dum alias eſſent multo valoris; nam juſtum pretium illius rei non commenſurandum eſt ex particulari æſtimatione venditoris ignorantis: ſed ex communi æſtimatione illorum, qui ſunt periti circa illas res.

Nec pariter tutus eſt in conſcientia venditor, qui ex emptoris inconſideratione, paſſione, animi levitate, ſeu nimio affectu ad rem, quam emit, exigit aliquid ſupra pretium rigoroſum; nam excedit limites juſti pretii. Neque poteſt dici præſumendum eſſe emptorem donare; nam donatio ordinaria non præſumitur, niſi id ex aliquo titulo poſſit probari: & de facto emptor non intendit donare, ſed emere, & venditor exigit pretium non ut donatum, ſed ut debitum.

II. Quia nemo tenetur in conſcientia ſtare pretio legali, ſeu taxato a Principe, quoties eſt manifeſte injuſtum, hinc ad quod ſi vel ex prima taxatione pretii, vel ſi ex eo quod illud non fuit mutatum variatis circumſtantiis, nullum, vel fere nullum lucrum reportent venditores, tunc non tenentur illud ſervare. Si ergo tunc alia via non poſſint ſibi de honeſto lucro providere, poterunt id facere diminuendo pondus, menſuram &c. Poterunt pariter mercibus aliam rem minus bonam immiſcere: ut aliquid ſiliginis optimo frumento, aliquid aquæ vino &c. Hæc mixtio aquæ vino non admittitur ab aliquibus, quia emptor intendit emere vinum purum. Nihilominus ſi tali mixtione non efficiatur deterius eo, quod communiter venditur tali pretio, non poſſum id reprobare, quia ſervatur æqualitas inter contrahentes. Secus ſi vinum emeretur ad conſervandum; nam vinum mixtum aqua difficile conſervatur.

III. Eo quod res meliores & excellentiores intra eamdem ſpeciem vendi poſſint ultra pretium taxatum a Lege, ſequitur venditorem poſſe meliora ſeparare, & vendere ultra taxam, & quod remanet, vendere pretio taxato, ſi remaneat ejuſdem bonitatis ac id, quod illius ſpeciei communiter venditur. Advertere tamen eſt, quod id, quod venditur ultra taxam, non debet excedere tantum modice alias conſimiles merces in bonitate; nam parvus exceſſus non variat commune pretium.

IV. Confeſſarii quoque advertere debent, quod quamvis non liceat augeatur pretium ex eo præciſe quod merces credito vendantur; nihilominus in praxi dum venditio credito fit, fere ſemper adeſt aliquis juſtus titulus pretium augendi. Vel enim aderit ſaltem aliquod periculum pretium perdendi, vel aderit lucrum ceſſans, cum Mercatores ſoleant præſenti pecunia negociari; vel ſaltem aliqua moleſtia imminent in pretio obtinendo. Quoties enim etiam illi, qui poſſent ſolvere, nolunt facere, niſi prius melis verbis effligent venditores, vel etiam minis? Advertere tamen oportet in his caſibus pretium non eſſe ſemper æqualiter augendum, ſed augendum, vel minuendum eſſe juxta proportionem periculi, & moleſtiarum, &c.

V. Quem maxime attendere debent Confeſſarii, ne emptores venditorum paupertate abutentes, ab illis emant res, quas offerunt viliſſimo pretio, memores ſolam neceſſitatem venditoris non eſſe ſufficientem rationem, ut merx ematur pretio minus infimo. Hinc ſæpe debent eos cogere ad reſarcienda damna illata miſeris venditoribus, cum ſæpe ex eo ſolum exiguo emant pretio, quod venditores ratione neceſſitatis vendere coguntur.

VI. In praxi attendere debent Confeſſarii, ne præciſe propter anticipatam ſolutionem emantur res pretio minus infimo. Id facere ſolent multi hyeme emendo a Ruſticis fœnum, folia propter bombyces, frumentum tradendum tempore meſſis &c. & quia anticipato emunt, pretio tam vili emunt, ut fere ſemper certi ſint ſe lucraturos.

VII. Non raro injuſtitiæ interveniunt in publicis licitationibus. Sciet proinde Confeſſarius non licere omnibus iis, qui aliquid emere volunt ſub haſta, convenire de non offerendo niſi tali pretio. Idem dicas quoad volentes emere vectigalia, vel alios proventus; hoc etenim reducitur ad ſpeciem monopolii, quo injuſtitia committitur adverſus venditores. Non per hoc tamen illicitum eſt rogare amicos, ne faciant nimis pretium excedere, ut ipſe rogans poſſit rem juſto pretio obtinere. Altera injuſtitia eſt, quando alii fraude & dolo prohibentur hujuſmodi emere. Ipſæ etiam preces ſi proveniant a viro potente in his circumſtantiis, in quibus, ſi quis illi non acquieſcat, poſſit timere aliquod malum, vi æquiparantur.

§. II.

De re vendita, ſeu merce.

11 IN dubio cenſetur venditor fidem habere emptori de pretii ſolutione, Ideoque mercis dominium transferre: Alias dominium mercis emptori non acquiritur, niſi vel ſoluto pretio, vel cautione pignoris, vel venditor alia ratione emptoris fidem ſecutus fuerit. Ratio: Quia, dum ex parte emptoris contractus nondum completus eſt, merito venditor rem venditam ſibi obligatam tenet.

12 Res in ſpecie empta, ſi etiam ante traditionem abſque venditoris culpa pereat, emptoris damnum eſt: V. C. grex ovium, vini dolium, hic equus, hæc vacca, ligni plauſtrum. Secus, ſi res indeterminate, ſeu in genere empta ſuit; V. C. ex grege 10. oves.

13 Venditio interdum fit ad numerum, vel menſuram, V. C. in ſingulas vini amphoras certum pretium ſtatuendo, & tunc periculum ad venditorem pertinet, donec menſuratum fuerit, eo quod venditio ante non perfecta cenſeatur, ſed quaſi ſub conditione facta, ſi dimenſio, numeratio &c. acceſſerit. Quod ſi venditio fiat ad corpus, id eſt, ut totum ſimul venditum fuerit, V. C. plauſtrum vini, neque actum, ut deguſtaretur, vini periculum emptor præſtare debet. Sed ſi expreſſe, vel tacite actum, ut deguſtaretur, antequam omnino perfecta venditio

eſſet,

eſſet, periculum ad venditorem ſpectat. Quod ſi certum tempus præfixum fuerit ad guſtandum, aut menſurandum, poſt culpabilem moram emptoris periculum ad ipſum ſpectabit.

14 Venditor mercis vitium occultum ſignificare tenetur; alioquin reſcindi poteſt contractus, ſi dolus cauſam contrahendi dedit. Ratio: Quia ad officium venditoris pertinet, mercis naturam, & qualitatem manifeſtare, quatenus id ſcire emptoris intereſt. De vitio autem manifeſto non eſt neceſſe emptorem monere; ipſe enim ſibi imputare debet.

Quod ſi vero dolus, ſive diſſimulatio vitii occulti cauſam emendi non præbuit, quia nihilominus emiſſet emptor, licet minore pretio, tunc non competit actio ad reſciſſionem contractus, ſed ad reſtituendam partem pretii, quando minoris res empta fuiſſet, ſi vitium ignoratum non eſſet.

15 Si merx vitioſa aliqualem uſum habet ad eum finem, ob quem emitur (V. C. calcei ex corio debili facti) interdum neceſſe non eſt vitium occultum manifeſtare. Nam alioquin magnum fortunæ diſcrimen mercatores ſubire debebunt, quando non niſi meliores merces diſtrahere potuerunt; ipſimet autem omnis generis, ac qualitatis emere ſolent. Debet tamen in hoc caſu plerumque mercator mercem minoris vendere ob ejus vitium. Quod ſingulariter notandum eſt equorum venditoribus, licet ſecundum municipales conſtitutiones non niſi certa vitia (*die Hauptmangel*) edicere teneantur; ſi tamen equus venalis alio quocunque vitio laboret, ob quod minus utilis exiſtat, neceſſario remittendum eſt de ipſius pretio: Alioquin in conſcientiæ foro injuſtitia committitur cum reſtituendi onere propter inæqualitatem rei datæ, & rei acceptæ. Ita mercatores ſtatim damnari non poſſunt, ſi vino aquam, ceræ picem admiſceant, modo exinde emptoribus nullum damnum inferatur, & merx proportione pretii, quo venditur, ſatis idonea ſit ad conſuetum uſum. In ſpecie tamen œnopolæ, ſi vino aquam in quantitate immodica admiſceant, plerumque damnum inferunt, & peccant, quia vinum aqua dilutum facilius aceſcit, & tamdiu non conſervatur. Quod ſi ad vini meliorem concoctionem utile ſit modicum aquæ infundere, aut emptores abhorreant a vino ob ejus meracitatem, niſi aqua parum temperetur, non erit neceſſe ideo de pretio remittere. (a) Imo ſi a Magiſtratu injuſte taxentur œnopolæ (uti & piſtores) & damnum pati debeant, niſi admiſceant aquam, poſſunt admiſcere.

„ (a) Hoc tamen vix admitterem; ex admixtione „ enim aquæ etiam in eo caſu fieret, ut aqua pro „ vino venderetur, ſeu vinum venderetur pluſquam „ valet.

Denique, ſi venditor ignoravit mercis occultum vitium, non tenetur præſtare damna, quæ exinde emptor accepit: V. C. Si pecus morboſum gregem infecit, venditio valida eſt, ſed competit emptori actio, quanti minoris emiſſet, ſi id ita eſſe ſciviſſet.

16 Actio, *Quanto minoris* (in foro civili intra annum durans) in foro conſcientiæ etiam ultra annum durat ad petendum pretium juſtum.

NB. Actio redhibitoria, tendens ad reſciſſionem contractus, ſolum intra anni dimidium durat.

17 Peracta venditione partium conſenſu fructus omnes pendentes, tum maturi, tum immaturi, ad emptorem ſpectare debent. Ratio: Quia fructus pendentes cenſentur pars fundi, percepti ante ſunt venditoris. Emens equum cenſetur etiam emiſſe ornamenta, ephippium, frænum. Vendita domo etiam ſeræ, clavi (item, *was Nagelhaſt iſt*) emptori cedunt.

NB. Si domus vendatur, quæ alteri elocata eſt, penſio pertinet ad venditorem proportione temporis elapſi uſque ad celebrationem contractus. Penſiones ex re frugifera, agro, vinea, dividendæ ſunt ſecundum rationem, ac proportionem fructuum, quatenus ii vel ad emptorem, vel venditorem ſpectant. Ratio: Quia penſio ſolvitur ratione fructuum: Ergo jure illi debetur, cui alias fructus rei venditæ deberentur.

18 Peracta venditione etiam fructus producendi, ſeu poſtea exorti ad emptorem ſpectare debent, etiamſi pretium ſolutum non ſit. Nam fructus naturaliter conſequuntur ſubſtantiam rei frugiferæ: Ergo, cum emptor juſto pretio rei frugiferæ ſubſtantiam emit, ſimul etiam emit jus, atque potentiam fructuum. Deinde æquum eſt, ut ad eum ſpectet commodum, ad quem ſpectat periculum. Contrariæ leges civiles ita intellectæ ſunt iniquæ.

19 Uſuræ pretii non ſoluti exigi poſſunt, ſi compenſatoriæ ſint, V. C. quia venditor pecunias negotiationi expoſuiſſet, ſi tempeſtive ſolutæ fuiſſent. Ratio: Quia quicunque naturalis cauſa alieni damni exiſtit, illud reſarcire tenetur. Uſuræ vero lucratoriæ non poſſunt exigi: Quia pecuniæ ſuapte natura ſteriles ſunt.

20 Si venditio ita fiat, ut periculum rei venditæ interim, donec pretium ſolvatur, ad venditorem pertineat, tunc fructuum æſtimationem is exigere poterit. Iſte autem contractus omnino damnandus eſt. V. C. Vendo tibi, tradoque agrum, vineam, ea lege, ut pretium apud te ſit in depoſito, quoad æqualis bonitatis vinea mihi emenda offeratur; interea ſolvas mihi annuam penſionem proportione perceptorum fructuum. Ratio: Cum enim penſio a venditore exigi non poſſit ratione fructuum, quippe qui emptionis jure ad emptorem ſpectant, ſequitur, eam exigi ob dilatam pretii ſolutionem; quod uſurarium eſt.

Regula in praxi obſervanda.

I. Prima regula ſit, quod Confeſſarius ſerio increpare debet pœnitentes venditores, qui non ſolum non manifeſtant vitia ſuarum mercium, ſed omni arte & dolo conantur illa occultare, quamvis alias eſſent manifeſta. Increpet, inquam, de ſua injuſtitia, & moneat de obligatione reſtituendi, ſaltem exceſſum illum pretii, qui correſpondet merci perfectæ, non vero vitioſæ. Ita ſolent facere venditores frumenti, aliorumque ſeminum, ponendo ſub oculos frumentum perfectum, dum tamen intra ſaccum eſt imperfectum, & inferioris conditionis. Item vendentes pannum, vel quid ſimile oſtendunt partem, quæ nullo vel modico vitio laboret, occultando alias partes valde deterioris conditionis.

II. Quamvis permittere poſſit Confeſſarius venditoribus, ut aliquid diminuant de quantitate, quando pretium taxatum eſt evidenter injuſtum; nihilominus in hoc debet eſſe valde cautus. Primo, quia multoties dicunt venditores non reportare ex ſua merce honeſtum lucrum, quando de facto ſufficienter lucrarentur, ni vellent plus æquo conſumere in victu, veſtitu, aliiſque non convenientibus recreationibus. Secundo, quia dum concedimus aliquid detrahere de pondere, & menſura, eo quod ex pretio taxato conveniens lucrum non reportant, plus juſto detrahunt; unde doctus Confeſſarius illis taxare debet quod ſine injuſtitia poſſunt detrahere.

III. Pariter advertere debet Confeſſarius in Nundinis maxime beſtiarum invaluiſſe hunc errorem, quod putant venditores licite ſe poſſe ad invicem circumvenire, vel ſatisfacere propriæ conſcientiæ, eo quod aſſerant ſe vendere hanc vel illam rem, hanc vel illam beſtiam ut omni vitio laborantem. At cum de facto multo plus exigant de pretio, quam æſtimari poſſet illa res, quam vendunt, ſi ut vitioſa manifeſtaretur, hinc ſatis patet ipſorum injuſtitia; adeoque tenentur ad reſtitutionem exceſſus pretii, vel damnorum, quæ paſſus fuit emptor propter vitium, quod ſciebat venditor, & non manifeſtavit.

IV. Confeſſarius graviter increpet venditores de tot mendaciis, ſicut etiam perjuriis, quæ faciunt ut ſuas merces vendant, aſſerendo ex. gr. ipſas tanti emiſſe, adveniſſe de tali regione, eſſe perfectiſſimas &c. Et quidem ſi ſoleant graviter peccare falſo perjurando, vel differenda, vel deneganda eſt ipſorum abſolutio uſque ad emendationem. Si vero non graviter peccent, advertere debent Confeſſarii mendacia, aliaſque non graves fraudes venditorum non eſſe, ordinarie loquendo, materiam ſufficientem pro abſolutione, cum in ipſis quoad hæc deſit verum propoſitum emendationis.

V. Obſervare debent Confeſſarii multoties venditores & emptores, poſtquam inter ſe convenerunt de re vendenda & emenda, ita ut contractus poſſet dici completus, retardare, ſeu impedire venditionem, vel quia res vendita crevit in pretio, & ita venditores nolunt amplius eam tradere; vel quia res empta deterior facta eſt, ſeu ejus pretium diminutum, & ita emptores nolunt tradere pretium, nec curant ſibi rem venditam tradi. Tam igitur venditores, quam emptores injuſte ſe gerunt; nam cum poſt contractum venditionis melioramenta, incrementa, ſicut etiam deterioramenta rei venditæ pertineant ad emptorem, non poteſt venditor nolle tradere rem, eo quod poſt venditionem illius creverit pretium; nec poteſt emptor nolle ſtare contractui, eo quod decreverit. Id peſſim faciunt ruſtici & rudes, nam poſteaquam vinum, oleum, beſtias, ſive quid aliud vendiderunt, ſi majus pretium reperiant, ſtatim alteri vendunt, & a converſo nolunt ſibi tradi rem emptam, ſi minori pretio illam emendam reperiant.

VI. Aliud quod valde obſervare debent Confeſſarii eſt, quod poſtquam ſuis res vendita, ſed nondum tradita, ſolent venditores, ſeu illius familiares ab ea removere quidquid poſſunt, & fructus pendentes dilapidare. Nil ergo poſſunt removere de re vendita, neque aliquid ſibi ſumere de fructibus pendentibus, cum etiam ante traditionem ad emptorem pertineant. Ita ſolent facere, qui aliquem fundum vendiderunt; nam antequam tradatur emptori, ſibi ſumunt, vel permittunt familiaribus ſumere uvas, olivas, caſtaneas, herbas &c.

§. III.

De Venditione rei alienæ, ejuſque Evictione.

21 VEnditor ex ipſius contractus natura emptori obligatus eſt de mercis evictione. V. C. Si aliquis rem emptam ab emptore actione reali intentata evincat, & auferat, quia videlicet demonſtrat, ſe

ejus eſſe dominum ; tunc venditor emptori pretium reſtituere cogitur. Inſuper, quanti ejus intereſt, rem evictam non eſſe; dummodo tempore contractus ignorarit emptor, rem alienam eſſe, & lite ipſi poſtea mota denuntiarit venditori, ut ſe defendat.

NB. Si res aliena emptori ignoranti vendita fuerit, valet contractus, & dominium pretii venditori acquiritur.

Objicies. Videtur aliqua inæqualitas, ſi emptor alienæ rei dominium non acquirat, & tamen pretii dominium in venditorem transferat. Reſp. Non eſt inæqualitas; quandoquidem pro eo, quod rei alienæ venditor pretii dominium acquirit ipſe viciſſim emptori de evictione obligatus manet.

22 Si fur alienis nummis negotietur, lucrum ipſi acquiritur, cum non ſit fructus pecuniæ, ſecundum ſe ſterilis, ſed ſolius induſtriæ: Ipſe autem fur perſonaliter obligatus manet, tum ei, a quo abſtulit, ad omne damnum reſarciendum, tum etiam venditoribus, aut campſoribus, ſi pecuniæ ab ipſis evincantur.

NB. Lucrans pecunias aleis falſis, & donans partem ſocio ſcienti, & non cooperanti ad fraudem, ſocius ad nullam reſtitutionem tenetur; ſi luſor pecunias ludo iniquo acceptans cum propriis miſcuerat (a).

„ (a) Hæc tamen vera ſunt, dummodo ſocius acceptando illam pecuniam, de qua in caſu, non reddat illum animoſiorem ad hanc iniquitatem.

23 Qui a fure emente pecunias furtivas bona fide accepit, eaſque cum propriis commiſcuit, ad nullam reſtitutionem domino pecuniarum obligatur. Nec ratione injuſtæ acceptionis: Cum bona fide egerit. Nec ratione rei acceptæ: Quia commiſcendo cum propriis dominium eorum acquiſivit. Secus eſt, ſi pecuniæ ſeparatim adhuc in ſpecie extent.

Quod autem pecuniæ furtivæ cum propriis mixtæ dominium acquiratur, patet: Quia nummi ex propria inſtitutione tranſeunt de manu unius poſſeſſoris ad manum alterius. Quare nemo ferme ſecurus foret, utrum pecuniarum ſuarum dominium haberet, & non aliquæ furtivæ eſſent, niſi Jura ſtatuiſſent, ut earum dominium per commixtionem cum aliis acquireretur.

24 Bonæ fidei poſſeſſor (emptor) ſi poſtea intelligat, rem furtivam eſſe, domino ſuo reſtituere debet, non furi. (b) Emptor tamen habet actionem contra furem de rei evictione, quam ſi ob illius improbitatem utiliter perſequi non poteſt, incuriæ, vel infortunio ſuo adſcribat, & non in alterius damnum retorqueat. Quod ſi fur ſua ſponte reſtituto pretio mercem furtivam recipiat, emptor permittere poteſt, proprii incommodi declinandi cauſa.

„ (b) Non deſunt tamen DD., & quidem magni nominis, qui cenſeant reſtitui poſſe furi, & reſcindi contractus, petendo ab illo reſtitutionem pecuniæ in emptione ſolutæ.

Qui rem furtivam, quam a fure emit, alteri bona fide vendit, poſtea comparente domino nihil reſtituere debet (Ratio: Quia per illam rei alienæ venditionem pretii ſibi dati jus, atque dominium acquiſivit) emptor tamen obligatur ad pretium reſtituendum, ſi comparens dominus equum V. C. ab eo evincat.

25 Quod ſi res furtiva alicui donata ſit, & donatarius vendat, obligatus eſt venditor, V. C. equi, ad reſtitutionem pretii equi domino, ſi is equum jure vendicationis ab emptore recuperare nequeat.

26 Porro ſciens, rem alienam, vel furtivam eſſe, & emens ſit particeps furti.

Licitum tamen eſt res furtivas modico pretio redimere, ea intentione, ut dominis ſuis reſtituantur detracto pretio ob rem domini utiliter geſtam.

27 Qui ſcit, rem alienam eſſe, vendere non debet: Sin vero dubitat poſt diligentem inquiſitionem, vendere eam non prohibetur, monito prius emptore de periculo evictionis.

Regula in praxi obſervanda.

Cum venditor rei alienæ teneatur reſtituere pretium emptori ſtatim ac res remanet evicta, hinc nunquam ſatis percepi quod aliqui dicunt, venditorem, ſi proceſſit bona fide, & in nihilo ex tali venditione factus ſit ditior, nihil reſtituere debere. Demus ex. gr. bona fide aliquem rem alienam 100. aureis emiſiſſe, ad nihilum teneri dicunt, cum in nihilo factus ſit ditior. Verum quamvis hæc regula univerſaliter vera ſit, patitur nihilominus exceptionem, quando ex alio capite oritur obligatio reſtituendi, ſicut evenit in caſu noſtro: expoſcit etenim contractus venditionis, ut a quocumque venditore reſtituatur pretium, quoties res vendita evicta remaneat, quando nempe retineri non poteſt ab emptore, quia comparuit verus dominus illius.

§. IV.

De merce duobus in ſolidum vendita.

28 SI res duobus vendita uni quamvis poſteriori tradita ſit, dominium huic acquiritur. Idem tenendum eſt de aliis conventionibus, permutatione, locatione. Quod ſi vero neutri tradita ſit, prior emptor præfertur poſteriori, juxta Reg. 54. in 6. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*. Quod ſi vero Eccleſiæ, aut civitati res vendita fuerit, ſed non tradita, poſtea alteri alicui vendita, & tradita, præferenda eſt Eccleſia. Ratio: Quia Eccleſiæ, loca pia, & civitas privilegium habent, ut ipſis per legatum, donationem, venditionem, dominium abſque rei traditione acquiratur. l. ult. C. de SS. Eccleſiis.

29 Quæ in fraudem alienata ſunt gratuito titulo, a venditoribus intra annum repeti poſſunt, etſi donatarius fraudis ignarus fuit (modo res extet; nam ſi conſumpta, non amplius obligabitur, quam inde locupletior factus eſt.) Quod ſi vero titulo oneroſo alienata ſunt, V. C. venditionis titulo, reſcindi non poteſt, ſi alienatio facta fuerat ignoranti.

30 Si donatarius ſciat, donationem fieri cum injuſto damno creditorum, videtur in conſcientia obligatus ad reſtituendum, tametſi non repetatur: Cooperatur enim donatarius ad talem alienationem conſentiendo, ſeu acceptando. Unde licet ſuadendo non impellat, ideoque non ſit cauſa efficiens quoad principium, eſt tamen cauſa efficiens quoad executionem.

§. V.

Quæ res vendi poſſint, vel non?

31 RES ſacra, homo liber (extra neceſſitatem) item publicum forum, vendi non poſſunt.

32 Ea, quæ in ſpe ſunt, fœtura gregis, fructus agrorum, lucra, item jura noſtra, & actiones vendi poſſunt: Sed actiones non poſſunt vendi potentiori ratione officii, ſeu poteſtatis exercendæ in debitorem.

NB. Debitum, quod difficilem ſolutionem habet, tanto minus valet, V. C. 90. hoc anno ſolvendo pro 100. futuro anno.

33 Probabile eſt, quod jus, ſeu chirographum ad accipiendum ſequente anno 100. minore pretio nunc emi poſſit, puta 90. ob periculum, aut difficultatem aſſequendi, ob ceſſans lucrum, ſeu commoditatem præſentis pecuniæ, qua ſe privat emptor chirographi.

34 Nemo invitus rem ſuam vendere cogitur, exceptis caſibus publicæ neceſſitatis, aut publici favoris. 1. Si publica neceſſitas, & inopia ſit, V. C. frumenti, &c. tunc cogi poſſunt cives ad vendendum, & in caſu communi ſolis civibus, & non exteris, ſi utriſque non ſufficiat: Quod major in neceſſitate propriorum civium, quam exterorum ratio habenda ſit. Cujuſmodi legibus juſtis, latis in commodum Communitatis, etiam Clerici ſe conformare debent. 2 Ob favorem publicum; ut ſi fundus perſonæ privatæ neceſſarius ſit ad palatium Principis, Collegii, ampliandum. Prohiberi etiam poteſt, ne quis altius ædes ædificet, ſi exinde videri poſſint Religioſi; damni tamen debet fieri compenſatio. Artium quoque Profeſſores cogere poſſunt fabrum ferrarium, ut ex officina ſua migret, ſi publicis lectionibus, quarum publicus favor cenſetur, impedimentum creet. 3. Si dominus alicujus loci nimia ſævitia utatur in ſuos ſubditos, & monitus non deſiſtat, a Magiſtratu compelli poteſt ad vendendum dominium, vel omnino privari juriſdictione.

§. VI.

De Retractu Gentilitio.

35 REtractus gentilitius eſt jus, proximo venditoris conſanguineo conceſſum, factam venditionem ad ſe revocandi, eodem oblato pretio, aliiſque quibuſdam obſervatis. Ratio: Ne poſſeſſiones paternæ ad alienas manus veniant; quod ſatis lugubre eſſet.

NB. Nomen venditionis non debet extendi ad alias alienationes, donationem, locationem, legatum. Præterea conſanguineis denuntiatione venditionis facta conceduntur duo menſes ſine denuntiatione, etiam ignorantibus annus, & dies. Fructus ante renuntiationem ſunt prioris emptoris.

36 Jus iſtud retrahendi imitatur actionem realem, ut adverſus quemcunque poſſeſſorem, etiam tertium emptorem, &c. inſtitui poſſit.

NB. Neceſſe eſt, ut proximus agnatus ſibi retrahat, non in utilitatem alterius, & in fraudem emptoris, vel aliorum conſanguineorum; quibus poſt ipſum jus retrahendi competit.

§. VII.

De Negotiatione, & Monopoliis.

37 NEgotiatio dicitur, cum merces ex propoſito emuntur, ut poſtea carius diſtrahantur lucri cauſa. Verum, ſi per accidens fiat, ut, quod ad proprium uſum emptum eſt, poſtea offeratur occaſio vendendi carius, non eſt negotiatio, cum id potius ſpectet ad œconomicam gubernationem, quæ etiam in perſonis Eccleſiaſticis commendatur.

38 Negotiatio per ſe mala non eſt; tum, quia mercium pretii latitudo quædam eſt, ut proinde eadem merx intra juſtitiæ limites minoris emi, ac poſtea pluris vendi poſſit; tum, quia mercium pretia pro temporum, ac locorum varietate mutantur. Per accidens tamen ob hominum cupiditatem, & malitiam peccati cauſam ſæpe præbet, & animum hominis cœleſtibus avocat; unde & Clericis ſevere interdicta eſt.

39 Negotiatio proprie dicta, videlicet ſi res emptæ, non immutatæ, poſtea carius vendantur, perſonis Eccleſiaſticis ſub mortali peccato prohibita eſt, excepto tamen neceſſitatis caſu, ſi alio modo vitam ſuſtentare nequeant (*a*).

,, (*a*) Benedictus tamen XIV. in ſua Bulla, *Apo-*
,, *ſtolicæ ſervitutis*, prohibet, ne etiam in eo caſu Cle-
,, rici negotientur abſque facultate Sedis Apoſtolicæ.

40 Negotiatio improprie dicta, quæ eſt rerum in melius mutatarum, lanæ in pannum, exceptis quibuſdam caſibus, prohibita eſt Clericis, ac Religioſis, licet non tam ſevere. Quare ex tali etiam negotiatione tributum, & vectigal Magiſtratui ſolvere debent, ſicut alii negotiatores. Excipe: Si Clerici proprias vineas habeant, poſſunt vendere vina, ſed cavere debent, ne ex domibus ſuis faciant tabernas, poſſunt locare jumenta ſua, item ex lana empta, juxta Apoſtoli exemplum Act. 18. manuum labore elaboratam materiam divendere.

Clericus tradendo alteri pecuniam, ut negotietur cum eadem, non poteſt gravis peccati damnari, ſed partem lucri accipere: idque ob neceſſitatem, vel conſuetudinem regionis (*b*).

,, (*b*) Hoc etiam vetuit Benedictus XIV. in eadem
,, conſtitutione, declarans obnoxios eſſe pœnis Clerico-
,, rum negotiatorum illos etiam Clericos, qui nego-
,, tiantur per alios.

41 Qui coemptione, V. C. frumenti, inopiam, & caritatem inducunt, videntur peccare contra juſtitiam: Quia primævo Juri, ac naturali, ſecundum quod omnia hominibus communiter a Deo creata, & donata ſunt, quam maxime adverſatur.

42 Monopolium eſt, cum unus, vel plures a Republica conſequuntur, ut ipſi ſoli genus aliquod mercium ad vitam neceſſarium pretio, quo ipſis libitum eſt, vendant. Eſt illicitum, niſi ob juſtam cauſam publica authoritate permittatur, V. C. ob inopiam mercatorum.

Mercatores contra juſtitiam peccant, ſi inter ſe conveniant, ut non ſine ſummo pretio aliquod genus mercium divendant. Ratio: Quia emptoribus non ſolum Cæſareis, ſed omnium gentium legibus, ſi rerum pretia taxata non ſint, conceſſum eſt licitari, ne ſemper ſummo pretio emere cogantur; hoc autem jure eos

ſpoliant mercatores illicita; & legibus interdicta illa conventione: Ergo injuſtum damnum ipſi inferunt.

Regula in praxi obſervanda.

I. Ex prædlegatis doctrinis poteſt Confeſſarius cognoſcere illicite agere, & veluti monopolium exercere illos Artifices, qui conveniunt de non perficiendo opus ab altero inchoatum, unde id prohibetur *leg. un. Cod. de monop.*; vel de non locandis ſuis operibus niſi certo pretio, cum id cedat in detrimentum Civium, & Reipublicæ.

II. Notet Confeſſarius in praxi difficile valde eſſe excuſare a reſtitutione exercentes monopolia. Ratio eſt, quia quamvis dicant non excedere limites juſti pretii, id afferunt non attendendo quale fuiſſet juſtum pretium ſi non interveniſſet monopolium; ſed conſiderant pretium juxta incrementum quod habuit, poſtquam ratione monopolii introducta eſt penuria mercium.

III. Cum habeat onus reſtituendi ille, qui vi, vel fraude curat augeri, vel minui pretium, a Confeſſario obligandi ſunt ad reſtitutionem, qui ſpargunt falſum rumorem, vel conficiunt falſas literas de ſubmerſione navium quaſdam merces advehentium, ut ita pretium augeatur vel de earum adventu, ut minuatur &c.

CAPUT XVIII.

De Cenſibus.

1 APud Canoniſtas Cenſus ſignificat jus contractu aliquo conſtitutum, penſiones, ſive reditus annuos ex re aliqua percipiendi. Hoc ſenſu duplex eſt Cenſus. Unus reſervativus; cum quis fundum pleno dominii jure in alterum transfert, reſervata ſibi annua penſione ex eodem fundo, juxta exemplum Joſeph. Gen. 47. Alter eſt cenſus conſignativus; cum quis contractu donationis, venditionis, vel permutationis alteri conſtituit, ac deſignat jus ex re ſua (id eſt, cenſum deſignantis) reditus annuos percipiendi; ut cum Princeps alicui conſtituit jus ex vectigali ſuo, aut Cameræ ſuæ reditibus annuas pecunias accipiendi. Sed nos hic agemus de eo cenſu conſignativo, qui emptione conſtituitur. Qua acceptione cenſus eſt ſpecies quædam emptionis, & venditionis. V. C. Florenis 100. a te emo jus percipiendi in annos ſingulos ex agro tuo frumenti ſcapham, vel ejus valorem, videlicet 5. florenos.

2 Cenſus ita acceptus dividitur primo in realem, ac perſonalem. Cenſus realis eſt, qui fundatur ſuper certa re una, vel pluribus, ex quibus penſio ſolvenda eſt, V. C. ſuper domo tua, agro, vinea. Unde comitatur rem, ad quamcunque perſonam perveniat, quaſi ſervitus, ſive realis obligatio penſionis ſolvendæ, donec cenſus redimatur. Perſonalis eſt, qui fundatur ſuper certa perſona obligante ſe ad annuam penſionem ſine ordine ad rem certam. Secundo, dividitur Cenſus in fructuarium, V. C. vinum, frumentum; & pecuniarium. Tertio, dividitur Cenſus in perpetuum, & temporalem, redimibilem, & irredimibilem. Cenſus temporalis dividitur in eum, qui certo annorum numero definitur; & in Cenſum vitalitium, qui ad vitam ementis, vel vendentis cenſum conſtituitur.

3 Cenſus realis tam perpetuus quam temporalis, etiam vitalitius, ab omnibus approbatur. Nec obſtat, quod ſumma penſionum temporis progreſſu ſolvendarum pretii quantitatem ſuperet. Nam in cenſu non emuntur penſiones, ſed jus percipiendi futuras penſiones, quod jus communi hominum judicio minoris æſtimari ſolet, quam ſi penſiones omnes præſentes eſſent, eo quod multa accidere poſſunt, ut fructus vel non naſcantur, vel non ſolvantur.

4 Pereunte re, ſuper qua cenſus locatus eſt, etiam cenſus corruit. Ratio: Quia pereunte re perit ejus dominium tum directum, tum utile, ſive uſusfructus, ſeu portio ejus emptione comparata.

5 Cenſus realis, quamvis inſtitutus ſit cum pacto redimendi tam ex parte emptoris, quam venditoris, probabiliter defenditur. (*c*) Prior pars prob. Nam aliæ omnes venditiones ſub conditione redemptionis, præſertim ad arbitrium venditoris, licitæ ſunt: Ergo etiam venditio cenſus cum ejuſmodi pacto licita eſt. Poſterior probatur: Quia aliis emptionibus apponi poteſt pactum redimendi ad arbitrium utriuſque, cur non etiam in emptione cenſus?

,, (*c*) Vetitus eſt tamen in celebri conſtitutione S.
,, Pii V.; adeoque fieri non poteſt ſaltem in iis locis,
,, in quibus conſtitutio illa viget.

6 Æquum eſt, ut in cenſu utrinque redimibili majus pretium ſolvatur, quam in cenſu redimibili ex parte ſolius venditoris. Cauſa eſt: Quod obligatio illa, quæ emptori incumbit, revendendi ad arbi-

trium venditoris ; pretio æſtimabilis ſit , ideoque in partem pretii recte computetur.

7 Cenſus perſonalis tam irredimibilis, quam redimibilis ex parte ſolius venditoris ſuapte natura licitus eſt. Prob. Cenſus perſonalis eſt jus percipiendi reditus annuos ex alicujus perſonæ lucris, emptione comparatum: Atqui nemo negat , ſuper perſonæ induſtria conſtitui poſſe obligationem ſolvendi partem aliquam lucrorum annuorum. Nam ita decimæ perſonales conſtituuntur; item tributa, quæ Magiſtratui penduntur : Sæpe etiam teſtator gravat hæredem ſuum ad penſionem annuam alteri perſonæ ſolvendam. Nihil autem obſtat , quo minus talis obligatio emi poſſit , perinde ac alia jura, debita, & ſervitutes. Neque dici poteſt, in tali cenſus perſonalis emptione virtuale mutuum , ideoque uſuram palliatam intervenire . Qui enim mutuo dat , is datam ſortem repetere poteſt : Emptor autem cenſus perſonalis irredimibilis , vel redimibilis tantum ad arbitrium venditoris datam ſortem repetere non poteſt. Quod objiciant , emptorem unius annui 2b. florenorum pretio elapſis 21. plus recepturum eſſe , quam dederat , id nihil refert : Quia in cenſu non emuntur pecuniariæ penſiones (ſiquidem pecunia emi non poteſt) ſed emitur jus percipiendi penſiones, quod jus communi hominum æſtimatione minus valet ; ſiquidem nemo eſt, qui viginti præſentes pluris non æſtimet , quam jus percipiendi annuum unum ſpatio viginti annorum, partim ob periculum non recipiendæ ſolutionis, quod raro tot annorum decurſu abeſſe ſolet, partim ob lucrum, vel commodum ceſſans *(a)*.

„ *(a)* Certum eſt tamen cenſum perſonalem prohi„ beri in Bulla S. Pii V., quæ quantum ad hoc ubi„ que recepta eſt.

8 Cenſus perſonalis ex utraque parte redimibilis ab iniquitate probabiliter defenditur : Attamen periculo uſurariæ intentionis non caret . Prob. Si enim aliis emptionibus pactum adjici poteſt non ſolum ad voluntatem venditoris redimendi , ſed etiam ad voluntatem emptoris revendendi , ut paria utriuſque contrahentium jura ſint ; cur non etiam in emptione cenſus perſonalis?

9 Cenſus inſtitui poteſt data facultate redimendi ad certum tempus , vel non ante tempus deſignatum.

10 Cenſus utrinque redimibilis , adjecto etiam pacto aſſecurationis, abſolute loquendo damnari non poteſt , quamvis periculo uſurariæ intentionis non vacet . Prob. Aliis contractibus , puta , commodato , depoſito , mutuo , quorum natura alioquin poſtulat , ut periculum rei pertineat ad commodantem , deponentem , &c. pactum adjici poteſt , ut contra eveniat , & periculum rei commodatæ ad commodatarium, depoſitæ ad depoſitarium ſpectet : Ergo etiam contractui cenſuali ex utraque parte redimibili tam perſonali , quam reali pactum iſtud , quod dicitur aſſecurationis, adjici poteſt ; puta, ſi res , ſuper qua cenſus fundatus eſt, ſecundum totum , vel ſecundum partem intereat, non damno emptoris , ſed venditoris id accidat, ideoque venditor nihilominus obligatus ſit , cenſum reſtituta ſorte redimere.

11 Contractus Societatis cum pacto aſſecurationis licitus eſt . V. C. Si mercatori des 100. aureos , eo pacto, ut is inſtituta negotiatione, ſive lucrum ex pecunia capiat , ſive damnum patiatur , annuos 5. tibi ſolvere obligatus ſit, inſuper etiam ipſam ſortem reſtituere, cum vel tibi , vel ipſi mercatori Societatis contractum diſſolvere placuerit.

12 Contractus, in aliqua regione etiam a viris doctis, & honeſtis celebrari ſolitus , non eſt iniquitatis facile damnandus.

13 Inter hypothecam , & cenſualem rei obligationem diſcrimen eſt: Quia onus cenſuale per ſe, ac directe tranſit ad quemvis rei , ſuper qua cenſus locatus eſt, emptorem, legatarium , aliumve poſſeſſorem , qui proinde actione confeſſoria ſtatim conveniri poteſt. Sin vero hypotheca ad ſecuritatem cenſus annexa alienetur , tertius ille poſſeſſor nonniſi in defectum principalis debitoris , ſi videlicet excuſſis ejus bonis ſolvendo non ſit, per actionem hypothecariam, ſeu quaſi Servianam conveniri poteſt.

14 Uſura eſt , ſi cenſus cum pacto aſſecurationis conſtituatur , vel continuetur cum perſona nullos reditus habente . Probatur. Tunc enim re ipſa aliud non ſit, quam quod mutuo datur cum pacto , ut præter ſortem annuam auctarium ſolvatur ; licet hoc ipſum ſub nomine emptionis, ſive cenſus, vel ſocietatis, tanquam pallio , occultetur . *Plus autem valet , quod re ipſa agitur , quam quod ſimulate concipitur* . Arg. l. cum ea. C. de tranſact.

NB. Cenſualis contractus germanicus diſtinguitur a mutuo uſurario ; quod ille certum fundum requirat , in quo fundatus ſit , cum ſit jus percipiendi reditus annuos ex alicujus fundo , negotiatione , &c. certo pretio comparatum , eoque fundamento penitus ruente (puta , ſi venditor cenſus , ejuſve hæredes nullos annuos reditus habere incipiant) contractus cenſualis nullum amplius locum habere poteſt : Contractus mutui vero cum quacunque perſona recte inſtituitur , ut etiam ad hæredes , & hæredum hæredes tranſmittatur obligatio ſine ullo ordine ad requiſitum aliquod fundamentum . Sin autem ultra ſortem mutuo datam aliquid accipitur , ſecluſo alio titulo , id uſurarium eſt.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Prima regula ſit perperam præſumi a Notariis obſervari Conſtitutionem Sancti Pii V. in creatione cenſuum, quoties contenti ſiot emptorem, ſeu cenſualiſtam oſtendere crumenam nummorum , abſque eo quod coram teſtibus enumerentur , & conſignentur Cenſuario . Multoties nummi contenti in crumena non ſunt cenſualiſtæ , ſeu emptoris , ſed ipſos pro illo tempore obtinuit ab Amico ad oſtentationem pecuniæ neceſſariæ pro creatione cenſus . Ut plurimum etiam non adæquant ſummam neceſſariam pro creatione cenſus . Tandem non dantur Cenſuario niſi ut ſtatim ipſos reſtituat . Hoc igitur quod fere ſemper in praxi ſervatur , non eſt niſi eludere Pontificiam Conſtitutionem.

II. Generaliter obſervare debent Confeſſarii , quod licet ante creationem cenſus debeant quantum fieri poterit curare , ut omnino ſervetur Pontificia Conſtitutio , poſt cenſum creatum non ſtatim debent illum ut fœneratitium condemnare , eo quod aliqua in Conſtitutione contenta non fuerint obſervata , dummodo ſervata fuerint , quæ ſunt de jure naturæ . Ut vidimus , probabile eſt pro foro conſcientiæ non eſſe neceſſario attendenda quæ ſolum ſunt de jure Pontificio , ſemper cum abeſt fraus & dolus . Conditiones autem , quæ de jure naturæ ad conſtituendum cenſum requiruntur , commode reducuntur ad ſequentes . Primo , ut ſuppoſita ſincera voluntate emendi , & vendendi jus ad fructus percipiendos , ſervetur inter pretium & cenſum æqualitas. Porro cum emptor cenſus emat non rem cenſitam , ſed jus ex ea percipiendi annuos fructus , illud erit juſtum pretium cenſus , quo ex communi conſuetudine reputatur emi poſſe tale jus , e. gratia, ad tot nummos aureos , ad tot ſextaria frumenti . Verum tamen eſt rem cenſitam debere poſſe reddere fructus, ad quos percipiendos emptor jus emit ; futiliter enim emerem jus ad percipienda e. g. 8. ſextaria frumenti ex aliquo prædio, ſi tale frumentum ex eo colligi non poſſit. Secundo , ſi apponantur hinc inde gravamina præter naturam contractus , compenſanda ſunt arbitrio prudentis . Dixi , gravamina , ſeu pacta præter naturam contractus ; nam clarum eſt non poſſe apponi pacta deſtructiva ipſius contractus .

Hinc pro praxi quamplura inferet Confeſſarius . Primo , non ſtatim damnandum eſſe cenſum ſine fraude creatum , non pecunia , ſed mercibus , ſeu pecunia antea debita ; ſicut etiam ſi auctum fuerit penſionibus non ſolutis . Secundo , idem dicendum eſt , ſi cenſus non creatus fuerit coram Notario & Teſtibus , ſed per ſcripturam privatam . Tertio , jure naturæ videtur licitum in cenſibus pactum , ut ſi venditor non redimat cenſum intra aliquos annos , iis elapſis , ſit ex parte ipſius irredimibilis , ſicut etiam ut non poſſit illum redimere niſi poſt aliquos annos ; oportet tamen compenſari hæc gravamina impoſita venditori , vel augendo pretium cenſus , vel penſiones minuendo . Quarto , quamvis multa ſuſpicio uſuræ ſit , ſi apponatur pactum , ut venditor teneatur redimere cenſum , quoties voluerit emptor , nihilominus ſi revera ſub nomine cenſus non palliatum fuerit mutuum , non improbabile eſt de jure naturæ poſſe tale pactum ſuſtineri . Sicut enim ſi poſt creatum cenſum , emptor faceret alium contractum cum venditore , quo obligaretur ad eumdem redimendum ad nutum emptoris , diminuta pro hoc novo gravamine penſione , non videretur hic novus contractus damnandus ut injuſtus , cur non poſſunt hoc pactum apponere in ipſo contractu creationis cenſus ? Certe DD. & jus permittunt ſimul plures licitos contractus exercere : *cap. un. de commod. leg. 2. ff. de depoſito* . Quinto , non videtur contra naturam contractus cenſus pactum de ſolvenda penſione , etſi pereat res illi ſubjecta , dummodo hoc onus venditori impoſitum compenſetur vel augmento pretii , vel diminutione penſionis . Ratio eſt , quia ſicut emptor cenſus poſſet cum alio facere contractum aſſecurationis , ut ſcilicet iſte teneatur ipſi ſolvere penſiones , ſi res cenſita pereat , cur & non poterit idem facere cum venditore cenſus , dummodo illi det quantum alteri traderet pro penſionum aſſecuratione ? Certe non video diſparitatem.

Sexto , ſuſtineri poteſt , attento jure naturæ , pactum , quo , ſi non ſolvatur penſio , res cenſita cadat in commiſſum , dum hoc onus venditori impoſitum compenſetur . Oportet tamen Cenſuarium culpa ſua penſionem non ſolvere , & pœnam eſſe culpæ proportionatam ; irrationabile enim eſſet ſi pro non ſoluta penſione ex. gr. 20. aureorum , ad quam percipiendam emptum fuiſſet jus quingentis aureis , deberet cadere in commiſſum prædium valoris 1000. aureorum cenſui ſubjectum . Septimo , ſuſtineri poſſet pactum ut cenſus totus ſimul redimatur ; nec deſunt DD. qui affirment id contrarium non eſſe Conſtitutioni Sancti Pii . Et de facto , ſicut qui emit cum pacto retrovenditionis non poteſt cogi ad reſtituendam rem emptam venditori , niſi iſte totum reſtituat pretium , ita & dicendum ſimile pactum in cenſibus non eſſe illicitum . Imo neque hoc pactum videtur compenſandum venditori cenſus , cum omnino æquum ſit , ut qui vult redimere rem , quam vendidit , ſicut totum habuit pretium in vendendo , ita & totum reſtituat in redimendo . Octavo , non eſt contra jus naturæ pactum de reſcindendo contractu , ſi cenſuarius per duos vel tres annos non ſolvat pen-

ſiones ;

ſiones; nam jus naturale dictat, ut qui non ſervare vult obligationem ſolvendi, quam aliquis emit ſua pecunia, eamdem pecuniam debeat reſtituere illi, qui emit hujuſmodi obligationem.

Omnia præfata non adverſari juri naturæ in creationes cenſus paſſim Theologi ſuſtinent; & cum ex alia parte non pauci dicant Bullam S. Pii ſolummodo pro foro externo valere; non ſtatim ac Confeſſarii adinveniunt in creatione cenſus aliquid, quod non apparet ſecundum dictam Bullam, judicare debent contractus eſſe nullos, penſiones perceptas eſſe reſtituendas &c.

III. Advertere etiam debet Confeſſarius quandoque creari cenſus ſuper aliquo fundo, cujus fructus obligati ſunt anterioribus Cenſualiſtis. In tali caſu utique emptor ſecundi cenſus non poteſt ex vi ejuſdem aliquid exigere, ſi fructus fundi cenſiti non ſint adeo pingues, ut ſufficientes ſint pro primo, & pro ſecundo cenſu. Ex his videat Confeſſarius, quod ſi emptor ſecundi cenſus poſtea ſciat fundum jam alteri cenſui fuiſſe obligatum, & non ſupereſſe fructus pro ſolvendo novo cenſu, non poteſt aliquid vi ipſius percipere, utpote quia ſecundus cenſus nulliter fuit emptus. Et hoc verum eſt, etiamſi venditor pro ſolutione obligaſſet etiam fructus aliorum prædiorum; nam hoc non efficit quin cenſus nulliter fuiſſet emptus, cum fructus aliorum prædiorum non habeantur pro fundo cenſus, ſed ſolum pro majori ſecuritate percipiendi penſiones. Quomodo ergo ſe gerere debet Confeſſarius cum eo, qui plures penſiones exegit ex cenſu nulliter empto?

Si mala fide percepit, debet omnes reſtituere. Si bona fide, ſolummodo id, in quo factus eſt ditior; vel etiam nihil, ſi ex cenſu bona fide male empto paſſus eſt damnum, vel lucrum ceſſans, quæ reputantur æquare id, quod percepit, nam venditor doloſus tenetur ad damna & intereſſe.

IV. Aliam rem ſubjicio conſiderationi Confeſſariorum. Dantur e. g. quidam antiqui cenſus, ex quibus hæredes venditoris adhuc ſolvunt quinque, ſex, vel etiam ſeptem pro quolibet centenario hæredibus emptoris. Talium cenſuum penſiones neſcio videre quomodo non ſint injuſtæ; nam dum creati fuerunt tales cenſus, frumentum, vinum &c. multo majori pretio vendebantur, unde bene concipi poteſt rem cenſitam tunc produxiſſe fructus correſpondentes penſionibus cenſus; aut cum modo fructus quaſi pro medietate in pretio decreverint, difficile eſt rem cenſitam producere fructus correſpondentes talibus penſionibus; & ſi fructus tantam penſionem non adæquant, quomodo Cenſualiſtæ poſſunt illam recipere?

CAPUT XIX.

De Cambio.

1 Cambium, ſeu permutatio pecuniarum pro pecuniis inter ſe eſt contractus ſecundum ſe licitus. Dans pecuniam in cambium dicitur Campſor, accipiens dicitur Campſarius.

NB. Quod ſi immoderata lucri cupido conjuncta ſit cum cambio, ea ad peccatum avaritiæ ſpectat, & non injuſtitiæ.

2 Cambium aliud eſt minutum (manuale) quia in eo frequenter pecuniæ grandiores cum minutioribus commutantur. Aliud locale, in quo pecunia præſens commutatur cum pecunia diſtante in alio loco. Dici etiam ſolet Cambium per litteras; quia plerumque litteræ dantur, quibus mandatur correſpondenti, ut in illo altero loco pecuniam ſolvat.

3 Plures tituli ſunt, cur campſor in cambio minuto plus accipere poſſit, quam dedit. 1. Titulus accipiendi plus, quam dandi, eſt locatio operæ, & obſequii, quod campſor præſtat, cujus ratione juſtam compenſationem jure exigit. 2. Eſt lucri ceſſantis: Nam ſæpe accidit, ut unum genus monetæ plures, eaſque pretio æſtimabiles commoditates habeat, quam altera.

4 Pecunia duplicem uſum habet: Unum principalem, ut tanquam pretium rerum emptionibus ſerviat. Alterum ſecundarium, ut unum pecuniæ genus cum altero commutetur, inter quæ, ſi aliqua rationabilis diverſitas commoditatis appareat, nihil obſtat, quo minus a legali taxatione recedatur, modo nulla fraus interveniat.

NB. Non eſt mortale contra Magiſtratus prohibitionem cambia exercere: Quia leges tales ſunt mere pœnales. Quod ſi vero quis cambium exerceat cum exteris nationibus, ut bonæ pecuniæ extrahantur, & deteriores recipiantur, cedere id poteſt in grave Reipublicæ detrimentum, ac proinde merito a Magiſtratu non ſolum ſub pœna, ſed etiam ſub culpa prohibetur.

NB. Cambia iſta, quæ præteritis annis multi in Germania exercuerunt, iniquiſſima fuerunt, & ejuſmodi campſores per iniquitatem divites facti ſunt, & cum Reipublicæ detrimento.

5 Si famulus pecunia domini ſui proprio nomine lucretur, lucrum ſibi acquirit, licet de damno teneatur, ſi quid contra domini voluntatem cambiendo inferat. Ratio: Quia, quod ex pecunia acquiritur, id non eſt lucrum, ſive fructus rei, ſed potius induſtriæ: Quare non rei domino debetur, ſed negotianti, ſive induſtriam applicanti. Quod ſi V. C. Princeps ſpecialiter prohibeat ſuis Officialibus, ut non niſi auro ſolvant mercatores, aut non alias pecunias Cameræ tradant, niſi grandiores, fures ſunt, ſi non ſervent.

6 Juſti tituli ſunt in cambio locali aliquid plus accipiendi, quam datum fuit; Cauſa autem plus accipiendi, quam poſtea dandi, eſt acceſſorius contractus locatæ operæ ad pecuniam formaliter, aut virtualiter transferendam ad locum, quo campſarius vult. Si enim Monachio Romam uſque 100. thaleros transferre debeas, laborem, ac periculum ſubiturus es, & expenſas facturus, quo onere te liberat campſor: Hoc autem obſequium pretio æſtimabile eſt. Nec refert, quod campſor nullum inde onus ferat; hoc enim ipſius induſtriæ adſcribitur; Perinde ac ſi nuntius mercede conductus ad 1000. aureos Romam transferendos poſtea aliquem reperiat, qui Romæ aureos 1000. certiſſime numeraturus ſit, non minus locationis mercedem accipere poteſt, quam ſi revera tranſtuliſſet.

7 Tabellarius conductus a Titio, ut Auguſtam eat, ſi poſtea etiam ab alio rel ignaro condocatur (imo inquirat) ut idem iter in gratiam ſui conficiat, damnari facile non poteſt, etſi ab utroque integram mercedem accipiat: Omnia enim iſta induſtriæ nuntii adſcribuntur, maxime cum in ea re ſecundo conductori nullum damnum inferat.

8 Merx diſtans a loco, in quo venditur, tanto minoris æſtimari ſolet, etſi emptor ſine ullis ſumptibus, aut labore eam accipiat poſtea; hoc enim pertinet ad induſtriam ejus.

9 Auctarium cambii, quod a mercatoribus ſecundum temporis expectandi proportionem exigitur, probabiliter defendi poteſt; idque ratione majoris lucri ceſſantis, quo diutius pecuniæ ſolutio differtur.

Cambia ſicca dicuntur, quibus nullus juſtus lucrandi titulus ſubeſt, V. C. Si mercator alicui pecunias numeret Auguſtæ, ut poſtea reſtituantur Antverpiæ cum incremento conſueto in cambiis ad ejuſmodi loca, tametſi ſciat, accipientem nullas habere pecunias, nec correſpondentem Antverpiæ, ideoque credat, pecuniam eodem loco reſtitutam iri, quo accepta erat. Tunc enim verum mutuum cum uſurario auctario accidit.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Accidere poteſt Famulos, ſeu Procuratores recipientes monetas aureas, & argenteas a Dominis, ut ipſorum debitum ſolvant, ſibi eas retinere, & aliis monetis æqualis valoris legalis emere, ſolvere &c. Interim vero monetas acceptas permutare cum vilioribus, & exinde reportare aliquod lucrum. Ut autem dignoſcat Confeſſarius, an id licite fiat, debet interrogare hos famulos, ſeu Procuratores, an Dominus curaverit fieri ſolutionem monetis aureis, & argenteis, quas dedit; an vero ſolum vellet ipſorum debitum extingui, nil curando de qualitate pecuniæ, qua fieret ſolutio. Si Dominus volebat ſolutionem fieri pecunia aurea, tunc famulus eas ſibi retinens, & dans pecuniam inferiorem, peccat, & tenetur compenſare creditori damnum, quod forte ex carentia monetæ aureæ reportavit. Si vero dominus de hoc non curavit, tunc famuli, & Procuratores poſſunt ſibi retinere pecuniam acceptam; & ſi ex ea ob cambium minutum aliquod lucrum reportant, ipſorum eſt, utpote quia eſt fructus induſtriæ.

II. Advertat Confeſſarius injuſte agere illos miniſtros, vulgo *Caſſieri, ſeu Camerlinghi*, qui loco monetæ antiquioris, purioris &c. reponunt in capſa Domini monetas novas, ſeu cum majori admixtione inferioris metalli. Nec poſſunt excuſari, eo quod loco ipſarum poſuerint monetas æqualis valoris legalis; nam licet iſtæ monetæ ſint æquales, ſi conſiderentur prout habent rationem pretii, non tamen ſunt æquales prout habent rationem mercis. Secus eſſet, ſi Domini nihil curarent de moneta antiquiori, ſeu puriori.

III. Advertat Confeſſarius multa fieri cambia ſicca, licet localia appellentur, quia dantur literæ alibi ſolvendæ. Dat e. g. ſuus Pœnitens Lucæ 100. aureos Titio, a quo recipit literam poſt aliquod tempus ſolvendam Liburni, paciſcendo proinde de lucro propter cambium. Revera tamen ſcit hujuſmodi literam nunquam mittendam, & ſolutionem ſibi eſſe Lucæ faciendam. Difficile eſt excuſare hunc Pœnitentem a mutuo palliato ſub ratione cambii. Si vero Pœnitens bona fide tale cambium feciſſet, putans Titium habere pecuniam actu, aut virtute Liburni, tunc Confeſſarius poteſt illi permittere, ut accipiat quantum damni, ſeu lucri ceſſantis habuit ex alterius deceptione, quamvis contractus cambii fuerit nullus. Videantur dicenda capite ſequenti.

CAPUT XX.

De Contractu Societatis.

1 Contractus Societatis eſt conventio plurium ad commune lucrum (ad diſtinguendum locationem) & damnum (æquum enim hoc eſt juxta Reg. 55. in 6. *Qui ſentit commodum, ſentire debet & onus;* & con-

& contra) ſecundum proportionem rerum contributarum.

Societas inſtitui poteſt cum pacto aſſecurationis, ita, ut uni ſoli periculum incumbat, modo ei hoc gravamen compenſetur.

3 Societas interdum tali modo inſtituitur, ut unus ſociorum pecunias V.C., alter laborem, & induſtriam conferat. Nam ſæpe fieri ſolet, ut labor, ac induſtria negotiatoris tantundem, vel plus ad lucrandum conferat, quam alterius pecunia.

4 Societas in pecoribus varie inſtitui poteſt: Interdum, ut tam pecora ipſa, quæ alteri traduntur, quam fructus, detrimenta, ac damna utrique danti, & accipienti communia ſint. Interdum etiam ita, ut pecorum dominium, ideoque etiam periculum ſpectet ad ſolum dantem; fructus autem ad utrumque.

NB. Paſtor dolum, & culpam præſtare debet, non caſum fortuitum: Quia res, ſi caſu pereat, domino ſuo perit; dominus autem pecorum manet is, qui ea paſcenda dedit: Ergo.

NB. Palliata uſura eſt: Si Titius tibi tradat 100. vaccas æſtimatas, tali pacto, ut liceat eas tibi diſtrahere, abſumere arbitratu tuo; poſt triennium vero, quomodocunque interim res eveniat, ſimiles vaccas, earumque æſtimationem reddere cogaris, atque interea quotannis penſionem ipſi ſolvere, cum hoc ſit virtuale mutuum: Quia perinde eſt, ac ſi Titius tibi vaccas venderet, & pretium numerandum crederet, ſeu mutuo daret ad triennium, interim penſionem, ſeu lucrum ex credito accipiens.

5 Impendia, quæ ſocius occaſione Societatis fecit, a reliquis ſecundum proportionem rependi debeat.

6 Socius, ratione Societatis conventus, non amplius obligatur, quam commode facere poteſt, habita ratione, ne egeat: Niſi dolo egerit, quo minus integre ſatisfacere poſſet: *Nec enim æquum eſt, dolum ſuum quemquam revelare*, dicitur in l. cit. ſ. tempus autem.

7 Societatis contractus ſolvitur 1. Ceſſante negotio, aut pereunte re. 2. Elapſo tempore, ad quod Societas inita fuit. 3. Morte unius ſociorum, niſi cautum ſit, ut uno moriente inter alios Societas permaneat. 4. Renuntiatione ſeu expreſſa, ſeu tacita; modo id fiat ſine dolo. 5. Publicatione, aut ceſſione bonorum.

Regula in praxi obſervanda.

Unica regula eſt hic potiſſimam attendenda in praxi a Confeſſario, & hæc eſt, multoties Potentes, & divites ſine publico inſtrumento, & ſolum verbis quaſdam particulares ſocietates inire, tribuentibus ipſis pecuniam ad emenda animalia, ſericum &c. & aliis laborem, & induſtriam. Interim vendere volunt ad ſui libitum, & quando ipſis placet finire ſocietatem, non audentibus contradicere iis, qui poſuerunt induſtriam, quamvis videant vendi merces, & finiri ſocietatem cum ipſorum gravi damno, Moneat Confeſſarius hos divites non ipſis licere ad ſui libitum vendere, & finire ſocietatem, etſi neceſſe habeant uti ſua pecunia, vel alia de cauſa, ſed attendendum etiam eſſe, ne ſocius damnum patiatur. Si ergo vendant mercem emptam, rationabiliter prævidendo majori pretio poſt aliquod tempus vendendam, Confeſſarius eos obliget ad compenſanda damna illi, qui in ſocietate ſuam induſtriam contulit.

CAPUT XXI.

De Ludo, & Sponſionibus.

1 Ludus alearum, & chartarum, licet ſuapte natura (quippe quibus prudentes in Republica utuntur) licitus contractus ſit; tamen per accidens adjuncta mala habet, ideoque humana lege prohibitus eſt, præſertim Clericis, qui, ſi frequenter, aut publice cum ſcandalo populi ludant, peccant mortaliter. Quod ſi Clericus publicus luſor, poſtquam beneficium legitime obtinuit, eſſe incipiat, prius moneri debet, antequam deponatur, juxta c. t. d. 13. Quia *multa impediunt promovendum, quæ non dejiciunt promotum.*

2 Si Clerici chartis ludant propter recreationem, & ſine ſcandalo, excuſari interdum poſſunt a peccato. Quod ſi lex diœceſana illis prohibeat, peccant ſolum venialiter.

NB. Lex iſta, in qua decernitur, ut, qui aleis ludendo (qui luſus Jure civili prohibitus eſt) ludendo perdidit, ſolvere non cogatur, ſolum pœnalis eſt, in ludi odium lata, ideo naturali obligatione ſolvendi perdentem non liberat.

3 Qui non parata pecunia, ſed credita luſit, ac perdidit, ſolvere non tenetur, ſpectato Jure Cæſareo: At in locis, ubi non recepta, vel abolita eſt iſta Conſtitutio Cæſarea; in externo foro non conceditur actio ad repetendum id, quod ludo alearum per ſe licito perditum, & ſolutum fuit; niſi valde magnæ quantitatis ſit, ac in detrimentum proprii ſtatus, aut familiæ cedat. Quo caſu partes inter ſe tranſigere debent, vel Judicis æquitatem implorare.

4 In Sponſionibus, qui propria perſuaſione ſine alterius dolo decipitur, ſibi imputare debet.

5 Qui propria bona non habet, ut ad lucrandum, ita & ad perdendum in ludo inhabilis eſt, videlicet Religioſus, aut filiusfamilias ex bonis profectitiis a patre: Nam in Academia ſtudentes poſſunt ex 100. aureis 5. in anno florenos in honeſtos ludos inſumere; idque ex præſumpta voluntate ſuſtentantium.

6 Filiusfamilias una pecuniæ depoſitione plus lucrari non poteſt, quam perdere, ideoque reſtituere tenetur exceſſum. At vero ſucceſſive pluribus jactibus nihil obſtat, quo minus magnam pecuniæ ſummam lucretur.

NB. Pupillus, & Minor lucrari honeſto ludo non impediuntur, cum naturalis in ipſis quoque obligatio ſubſiſtat; ut dixi hoc Tract. Cap. 9. n. 7. Quod ſi vero Minor animo lucrandi acceſſerit, & non ſolvendi perditum, peccabit ludendo, imo ob dolum lucrum reſtituere tenetur.

Uxori, & marito, quatenus eis ludere, & ludendo perdere conceſſum eſt, collige ex eis, quæ ſupra dixi Cap. 12. n. 6. & 7.

7 Olla fortunæ contractus licitus eſt, ſecluſa omni fraude, & revocari poteſt ad emptionem, & venditionem.

Regulæ in praxi obſervandæ.

Nimis faciles ſunt Confeſſarii Eccleſiaſticorum Secularium, & Regularium in abſolvendis qui frequentiſſime ludunt. Certe dantur Eccleſiaſtici tam ſæculares, quam regulares, qui nec leviter peccare ſibi blandiuntur, etſi quotidie alearum ludis incumbant. Quod ſi de hujuſmodi frequentia ſe accuſant, quaſi de levi quodam nævo ſe putant accuſare; & ab indocto Confeſſario faciliime abſolutione donantur. Ergo hos Confeſſarios obteſtor, ut attente legant, quæ Theologi etiam minus rigidi dicunt de Eccleſiaſtico in ſacris conſtituto, & multo magis de Regulari, frequentes aleis, taxillis ludente.

II. Cautus quoque debet eſſe Confeſſarius in abſolvendo filiosfamilias ludentes, eoſque qui cum ipſis ludunt. Filius igitur familias non habens propria, peccare graviter poteſt ſurripiendo in materia gravi quæ ſunt Patris; non reddendo Patri notabilem ſummam, quam fuerit lucratus, ſi poſſit credere Patrem eam velle; tunc etenim adminiſtratio & uſusfructus ad Patrem pertinet; & tranſgrediendo exceſſivis ludis præceptum Patris eos prohibentis: nam tunc graviter peccat, etiamſi habeat propriam pecuniam, vel paciſcatur de ſolvendo poſt mortem Patris. Ludentes pariter exceſſivis ludis cum Filiusfamilias faciliime peccabunt; difficile enim ignorabunt ſe ipſorum peccato cooperari. Facile etiam incurrent obligationem reſtituendi quando ſcilicet ſcire poſſunt filium non ludere pecunia propria. Advertat etiam Confeſſarius exceſſum ludorum menſurandum juxta ſtatum, & divitias filii ludentis; & ita quod reſpectu unius non erit exceſſus, erit reſpectu alterius. Cautus igitur, iterum dico, ſit Confeſſarius in excipiendis confeſſionibus iſtorum filiorumfamilias, & illorum, qui cum illis ludunt.

III. Solent quandoque ludentes conviciis, precibuſque adeo importunis, ut vi æquiparentur, alium compellere ad ludendum: valde e. g. exprobrando illi ſuam avaritiam, ſi non ludat; vel illum irridendo, quaſi nimis timeat Parentes ægre ferentes ludum; vel quia velit nimis complacere uxori illum increpanti, ſi ludat &c. His aliiſve modis tam importune ſe gerunt, ut alter tamdem, animo tamen reluctante, inducatur ad ludendum. In his caſibus poteſt Confeſſarius in praxi ita ſe gerere. Si ita inductus ad ludendum nondum ſolvit, poteſt illum eximere ſolvendo, cum ſententia valde probabili non habere obligationem ſolvendi, utpote quia veluti per vim coactus eſt ludere. Si vero ſolvit, non facile debet victorem obligare ad reſtitutionem, cum & pro eo ſtet ſententia probabilis excuſans a reſtitutione, quamvis certo peccaverit utendo talibus mediis, ut alium induceret ad ludendum.

IV. Si Confeſſarius audiat in confeſſione aliquem, qui illicitis fraudibus uſus eſt in ludo, interroget ſtatim, an dum uſus fuit tali fraude, cognoverit impediſſe alterum a vincendo. Si ita avenit, non ſolum ipſum obliget ad reſtituendum, quod forte vicit, ſed etiam ad ſolvendum, quod alter viciſſet, ſi ipſe non uſus fuiſſet fraude, & dolo. Si vero non cognoverit his modis alterum impediſſe a vincendo, tunc dumtaxat obliget ad reſtituendum quod ipſe vicit. Semper autem præ oculis habeat Confeſſarius non conſiderandum, an Fraudator in fine ludi vicerit nec ne, ſed quod evenit in ſingulis ſortibus, ita ut etiamſi fraudator in fine perdat e ſua pecunia, ulterius debet ſolvere quidquid in decurſu ludi amiſit, ſi non adhibuiſſet illicitas fraudes.

V. Animadvertat demum Confeſſarius ſæpiſſime conſurgere obligationem reſtituendi ex inæqualitate peritiæ in ludendo. Mos perditiſſimus eſt inter luſores, ut ſi adveniat aliquis Juvenis luſor dives, alii peritiſſimi luſores certatim pertrahant ad ludendum, & illum expolient magna pecuniæ ſumma; adhibita quandoque etiam hac iniqua arte, ut initio permittant illi quædam lucrari, ex quo facilius inducatur ad perſeverandum in ludo. Neque Confeſſarius ita facile acquieſcat, dum victor reſpondet bene potuiſſe illum ſuam majorem peritiam agnoſcere; nam iſti juvenes luſores, neſcio qua vanitate, nolunt ſe perſuadere imperitos in ludendo, atque ita ex falſa credulitate ſeſe aliis non eſſe impares in peritia ludendi, rem familiarem funditus evertunt.

C A-

CAPUT XXII.

De Locatione, & Conductione.

1 Locatio eſt contractus, quo res alteri utenda, vel fruenda conceditur certa penſione conſtituta, (equus, domus, bos, ager ad 10. annos; ſin ultra ſit emphyteuticus) Qui concedit, dicitur locator, qui ſuſcipit, conductor.

NB. 1. In locatione non transfertur dominium, ſicut in emptione, & venditione. Deinde res locata ante traditionem ſi pereat, contractus diſſolvitur, & conductor liberatur.

NB. 2. Mercede pecuniaria conductum non licet pane, aut panno ſolvere, &c. niſi alio modo ſolvi non poſſit.

2 Conductor rem ſibi locatam alteri locare non prohibetur; modo æque idoneo, & ad eundem uſum.

3 Si impedimentum accidit ex parte rei conductæ, liberatur conductor a ſolvenda penſione ſecundum proportionem temporis, quo uti, frui, non potuit (impedimentum tamen peſtis non eſt ubique receptum) Sin vero ex parte conductoris impedimentum incidit, non ita liberatio contingit.

4 Expenſas in rem conductam, quæ duraturæ ſunt, item tributa, & onera publica, præſtare, ad locatorem, ſeu dominum ſpectat. Excipe conſuetudinem. Quod ſi conductor in rem conductam neceſſarias, vel utiles expenſas fecerit, poteſt eas de penſione detrahere, vel finita locatione a locatore repetere.

5 Conductor, cuſtos, &c. oſtendere debent rem ſibi commiſſam periiſſe ſine culpa, V. C. pecus eſſe mortuum. Ratio: Quia ea, quæ facti ſunt, puta, rem periiſſe, non creduntur, niſi oſtendantur; partim, quia talis obligatio ex natura contractus, veluti gentium Jure, conductoribus, & cuſtodibus imponitur, ut oſtendant, rem ſibi commendatam abſque eorum culpa periiſſe: Niſi graves conjecturæ adſint pro hominis innocentia.

6 Incendium culpa inhabitantium accidiſſe in dubio præſumitur; Quia tamen ſæpe famulorum culpa, quam paterfamilias præſtare non cogitur, incendium ortum, ideo conductor abſolvendus eſt, niſi locator culpam oſtendat.

7 Propter modicum infortunium nihil colono de penſione remittitur. Ratio: Quia, ſi colonus ob unius, aut alterius anni fertilitatem majus commodum capiat, nihil ipſi auſertur, nec penſio augetur: Ergo etiam modicum damnum æquo animo ferre debet. Secus, ſi magna, & pluſquam tolerabilis clades facta fuit; tunc autem eſt immodica clades, *ſi colonus vix recolligat tertiam partem ſoliti*.

NB. Excipe: Niſi conventum ſit, ut non obſtante quacunque clade ſolvatur plena penſio, vel niſi antecedentium annorum fertilitate damnum compenſetur.

NB. *Si prædium inundatum ſit, aut propter latronum potentiam non poſſit poſſideri, recte dicitur, non eſſe, quod poſſideatur*, V. C. ab emphyteuta. Quod ſi ab emphyteuta magna penſio ſolvenda ſit, non tam in recognitionem dominii, quam fructuum, quos capit, compenſationem, æquitas poſtulat, ut remiſſio aliqua fiat.

8 Si pluribus annis ob cœli clementiam uberiores fructus ex fundo proveniant, colono emphyteutico penſio augeri poteſt, ſicuti & vice verſa diminui penſionem convenit ob cladem immodicam.

9 Locator conductorem tempore conductionis expellere non poteſt, niſi in caſibus jure expreſſis, veluti 1. Si penſionem ſtatuto tempore non ſolvat. 2. Si caſus improviſus accidat, ob quem domus locata uſibus domini neceſſaria ſit. 3. Si rem locatam reficere neceſſe ſit. 4. Si conductor in re locata male verſetur.

10 Succeſſor univerſalis, ſive hæres locationis contractu ſtare tenetur. Ratio: Quia eadem cum defuncto perſona cenſetur. Non vero particularis ſucceſſor, V. C. emptor, donatarius, legatarius. Excipe: Niſi pactio interveniat, ne res locata durante locationis tempore alienetur, aut niſi ea lege emptio fiat, ut emptor conductorem ante tempus finitum non expellat. Quod ſi locatio fundi facta ſit ad tempus longum, videlicet ad decennium, ad vitam, ut proinde tranſeat in contractum emphyteuticum, quo dominium utile transfertur, non poteſt colonus a ſucceſſore particulari expelli. Ratio diſcriminis eſt: Quia colonus emphyteuticus jus reale utile in fundo obtinet; colonus autem mere conductitius ſolum perſonam locatoris ſibi obligatam habet.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. In praxi attendendum eſt, multoties illum, qui aliquam rem ſive mobilem, ſive immobilem ab altero ſibi locatam habet, eamdem alteri iterum locare, ex quo deterior redditur cum præjudicio Domini. Exempla habemus in eo, qui boves ſibi locatos, alteri ad aliquod opus locat, eoſque ob nimium laborem reddit vilioris pretii. Item plura exempla habemus in ruſticis, qui non valentes multa prædia a ſe conducta ferere, aliis ſublocant; at interim quia iſti brevi tempore talibus prædiis fruendum ſciunt, nullam rationem habent terras ſteriliores reddendi, vites, aliaſque arbores fructiferas, modo quo debent, colendi, &c. Hæc omnia non ſunt licita conductoribus, & tenentur de damno, quod inde Domino evenit; quamvis enim prædia ſibi locata aliis valeant ſublocare, nihilominus iſti debent eſſe æque idonei; & exinde nullum præjudicium debet advenire primo Locatori.

II. In locando rem vitioſam multoties peccatur: Peccant e. g. locatores Beſtiarum, locando equum aſſuetum ſe ſe in aquam demergere, vel aliud habentem vitium; & tunc certum eſt hujuſmodi locatores teneri ad damna, quæ vel mercibus, vel conductoribus avenerunt. Peccant qui locant peſcua ferentia herbas nocivas. Peccant qui domos locant, in quibus eſt periculum contagionis, eo quod ibi aliquis obierit ethyſi, vel morbo contagioſo infectus &c. Ex his facile eſt cognoſcere cætera.

III. Advertere debet Confeſſarius multoties valde gravari conductores prædiarum, eo quod non reddiderint annuam penſionem, ſeu frumentum, de quo in contractu convenere. Vere ergo in conſcientia affictuarii non tenentur in pluribus annis ſterilibus totum ſolvere, nam ſi detrahantur eorum expenſæ in fodiendo, arando, ſtercorando, alienas operas conducendo, & ſemina emendo, reperite erit ſæpe nec dimidium annuæ penſionis colligere; adeoque etiam juxta SS. Canones penſio eſſet eis minuenda. Nec refert dicere annis ubertatis compenſari damnum, quod paſſi ſunt; nam quandoque tanta eſt annua penſio, ut annis etiam uberibus non ſit quomodo ſe compenſent. Interim miſeri conductores in carceribus tabeſcunt, coacti ſolvere debitum, quod locatores in conſcientia non poſſunt exigere.

IV. Notet pariter Confeſſarius locatores multoties peccare abutando ſua præpotentia, ac expellendo ante tempus debitum Inquilinos, ſeu conductores prædiorum. Ultra culpam non ſervandi contractum locationis, ſunt etiam cauſa plurium damnorum; nam multoties Inquilini non reperiunt ſtatim domum ſibi commodam, vel debent magis impendere pro altera domo conducenda; coacti etiam ſæpe greve pati diſpendium ad mobilia in novam domum valde abſentem transferenda. Item conductores quandoque non reperiunt alia prædia, quæ conducant, vel reperiunt valde ſterilia, ſeu in regione aeris non valde ſalubris. Si hæc & alia damna ſubeant Inquilini, & conductores, quando ante debitum tempus expellantur, certum eſt locatorem teneri ad ea compenſanda, & id bene advertere debet Confeſſarius, nam non raro in praxi hujuſmodi accidunt.

V. Pariter notata eſt multoties conductores uti re conducta ad alium uſum, ac in locatione conventum eſt. Ita equo conducto ad equitandum, utitur aliquis ad vehendum; & equus conductus ad breve iter, pro majori itinere retinetur. In his & ſimilibus caſibus debet Confeſſarius conductorem obligare ad augendam penſionem, quo magis aliter conventionem uſus eſt re conducta, & ad compenſandum id, in quo ex tali uſu res conducta deterior evaſit.

VI. Peccant non raro Potentes valentes ante finitum tempus conductionis reſtituere rem conductam, quia non amplius deſervit ad uſum, ob quem illam conduxerunt. Ut ſi ante dictum tempus relinquant domum, quam conduxerent ad habitandum; equum, quem conduxerent ad equitandum, &c. Si igitur locator damnum patiatur, quia non ſtatim inveniat cui rem ſuam eodem pretio locet, Confeſſarius obliget conductorem ad ſolvendam mercedem locationis pro toto tempore convento.

VII. Multoties peccant locatores operarum ſuarum, quia aſſumunt facere quod non ſatis bene ex ſua imperitia poſſunt facere, vel quia adhibent materiam ſeu in quantitate non ſufficientem, ſeu in qualitate non idoneam. Hinc etiam pluribus quam conveniret diebus ob ſuam imperitiam opus perficiunt; & cum ſingulis diebus mercedem accipiant, cogunt conductorem ad ſubeundum ex hoc capite aliquod damnum. Item illum damnificant, quia opus ab imperito factum, neceſſe eſt, ut cito reparetur; quod item verificatur, ſi adhibita fuerit materia non idonea, ſeu deterioris qualitatis. Hæc bene obſervent Confeſſarii, & multoties reperient opifices ad reſtitutionem teneri. Obſervet etiam Confeſſarius famulos, famulas &c. ita teneri laborare, ut ipſorum labor ſaltem perveniat ad infimum gradum juſti laboris; unde ſi frequenter nimis otientur, tenentur pro rata mercedem remittere.

VIII. Secundo, ad reſtitutionem ſunt cogendi, qui locant ſuas operas ad res cuſtodiendas, quando ex defectu convenientis diligentiæ res vel periit, vel deterior evaſit; ut ſi vinum aceſceret, vel omnino fuerit corruptum negligentia famuli, ſeu Cuſtodis Cellæ vinariæ; ſi frumentum ebulliret &c. In iis caſibus, aliiſque ſimilibus negligentia famulorum, ſeu cuſtodum illos reddit obnoxios reſtitutioni, cum teneantur ad diligentiam, quam adhibere ſolent diligentiores. Idem obſervandum quoad eos, qui aſſumuntur ad cuſtodiendum gregem, aliaſque beſtias, ſi ipſorum culpa deteriores fiant, non ſaginentur &c.

IX. Item obſervent Confeſſarii, quod cum in contractibus in gratiam utriuſque celebratis, teneantur contrahentes, ut dictum eſt, adhibere attentionem, & ſolicitudinem, quam adhibere ſolent diligentiores, ſæpe etiam ex hoc capite locatores ſuarum operarum tenentur ad reſtitutionem, quia nimis tardi ſunt in laborando, vel quia nolunt defatigari, vel quia optant opus diutius perdurare, ut magis lucrentur. Id maxime avenire ſolet, quando non pro dominis particularibus, ſed pro Republica, ſeu Communitate laborant.

X. Aliud

X. Aliud peccatum quandoque committunt operarii, & famuli, quod ab oculis Confeſſariorum effugit, dum ſcilicet vel fingunt aliquam cauſam deſerendi opus, ſeu famulatum, vel ita ſe gerunt, ut a Dominis vel invitis dimittantur; & id quia habent præ manibus occaſionem aliam magis lucrandi. Si igitur ita præſtant ante finitum opus, pro quo fuerunt conducti, vel ante finitum tempus famulatus, v. gr. antequam menſis abſolvatur, & hac ratione conductor cogatur majori ſtipendio famulum conducere, ſive majoribus impenſis opus perficere, prædicti tenentur compenſare damna illata conductori.

Adſimile eſt peccatum conductoris, quando poſtquam operarios conduxit, vel ex ſua volubilitate renuit amplius eis uti; vel ita ſe gerit, ut operarii cogantur diſcedere. Certum eſt quod ſi non adinveniant cui ſuas operas locent, & eodem pretio, conductores tenentur ipſis dare quantum lucri ex eorum volubilitate, vel malitia amiſerunt.

XI. Aliud etiam obſervare debet Confeſſarius, nimirum conductorem debere ſolvere penſionem operariis, vel famulis, ſi ex ipſo proveniat, quamvis ſine culpa, ut operas ſuas præſtare non poſſint, dum tamen ex inde locatoribus damnum proveniat. Ita dicendum e. g. de Domino, qui ante tempus conventum dimittit famulum, quia cogitur alio pergere; de eo qui dimittit operarios, quia deeſt illi pecunia ad opus perficiendum &c.; cum etenim obligatio ſolvendi conventam penſionem oriatur ex contractu, non poteſt ab ea ſolvenda ſe eximere conductor, eo quod ſine ſua culpa non poſſit ſtare locationi.

XII. Videant etiam Confeſſarii, an Domini differendo mercedem, ſeu ſalarium famulis, illos aliquo modo damnificent, quia e. g. cum non habeant promptam pecuniam, debent credito carius emere ſibi neceſſaria &c. Si ex his & ſimilibus capitibus famulos damnificarunt, cogendi ſunt ad reſtitutionem, ſeu ad compenſationem damnorum &c.

CAPUT XXIII.

De Emphyteuſi.

1 Ἐμφύτευσις græce, latine dicitur inſitio, ſive plantatio. Nam olim terræ incultæ (jam etiam cultæ) dari ſolebant in emphyteuſin, id eſt, ut plantatione, ac cultu meliores redderentur, utili tantum dominio in emphyteutam, ſive colonum translato, ea lege, ut penſionem annuam ſolvere cogeretur in recognitionem dominii directi penes eum manentis, qui prædium ad emphyteuſin conceſſit.

2 In emphyteuſi jus dominii utilis transfertur, in eoque a locatione diſtinguitur.

3 In dubio, num ſit contractus cenſualis, an emphyteuticus, præſumitur talis, qualis in eo loco uſitatior eſt.

4 Laudemium (quo ruſticus tenetur ad omnia onera, quæ emphyteutis communiter imponi ſolent) ad ſubſtantiam emphyteutici contractus neceſſario non requiritur, cum is variis modis inſtitui poſſit.

5 Emphyteuſis alia eſt Eccleſiaſtica, cujus dominium directum pertinet ad Eccleſiam. Quod ſi illa laico conceſſa eſt, judicandum erit de ea, quod attinet ad dominium utile, ſecundum leges ſæculares, ut exinde tributa laicus, tanquam de re ad ſe pertinente, Principi ſuo ſæculari pendere cogatur. Alia laica, ſive communis.

6 Ad emphyteuticum contractum ſcriptura requiri ſolet.

NB. Emphyteuta domino exigenti Inſtrumentum, ſeu titulum emphyteuſeos, ipſaque prædia emphyteutica, & fines eorum exhibere cogitur: Alioquin omnia ipſius bona emphyteutica cenſebuntur. Quod ſi vero emphyteuta jure præſcriptionis ſe defendere poſſit, oſtendens, ſe 30. annorum ſpatio, ſi emphyteuſis laica ſit, vel 40. annorum, ſi Eccleſiaſtica, fuiſſe in pacifica poſſeſſione rei emphyteuticæ, & tanquam emphyteutam penſionem uniformem domino perſolviſſe, tunc alia probatione ad oſtendendum titulum emphyteuſeos opus non erit, juxta Malcardum, & eſt communis Sententia.

7 Impendia, quæ ad fundi conſervationem, & fructuum collectionem ſpectant, emphyteuta præſtare debet, & cavere, ne deterior fiat. Quod ſi vero domus, torrea, putei abſque culpa emphyteutæ collapſa ſint, ad dominum pertinet ea reſtaurare. Ratio: Quia ſubſtantia fundi ad dominum pertinet, rei autem ſubſtantia domino damno perit. Quod ſi per emphyteutæ negligentiam fundus deterior factus ſit, privari poteſt jure emphyteuſeos, & uſusfructus fundi cum proprietate conſolidari; requiritur tamen, ut Judicis arbitrio deterioratio notabilis ſit, idque culpa lata, vel levi.

8 Si emphyteuta 3. annis continuis in emphyteuſi laica, duobus vero annis in emphyteuſi Eccleſiaſtica penſionem integram non ſolvat, ipſo jure cadit in pœnam commiſſi. Excipe 1. Niſi dominus debitor ſit emphyteutæ, ut compenſationi locus eſſe poſſit. 2. Si emphyteuta penſionem offerat, & per dominum ſtet, quo minus recipiatur. 3. Si ob ignorantiam penſio non ſolvatur, quia videlicet hæres neſcivit rem emphyteuticam eſſe: Nam, ubi culpa non eſt, neque pœna commiſſi locum habet ſecundum æquitatis rationem. Porro emphyteuta ob negligentiam non ſolvendi canonem in pœnam commiſſi, ſeu privationem juris, utilitatiſque prius non incidit, quam dominus voluntatem exequendi pœnam declaret. Quod ſi dominus omiſerit voluntatem ſuam declarare, cum facile ei licuiſſet, non poteſt deinde ejus ſucceſſor caducitatis pœnam exequi; imo nec ſic contra hæredem. Alias poteſt dominus emphyteutam negligentem, & renitentem propria authoritate ejicere.

NB. In emphyteuſi Eccleſiaſtica, ſi poſt elapſum biennium intra 10. dies oblatis penſionibus emphyteuta moram purget, poſtquam dominus a negligente emphyteute penſiones accepit, præſumitur jus ab ipſo revocandæ emphyteuſeos condonare.

Eccleſia præteritas penſiones debitas, quæ ante incurſam caducitatem debitæ erant, petens, vel accipiens, pœnam caducitatis non cenſetur remittere.

9 Emphyteuta, ſi domino non requiſito rem emphyteuticam alienet per venditionem, ipſo jure ea privatur. Ea propter domino duo menſes conceduntur, partim ad deliberandum, an ipſemet jus emphyteuticum emere malit, partim ad explorandum, an emptor novus idoneus ſit, ut eum deinde in poſſeſſionem emphyteuſeos ſuſcipiat, accepto pro inveſtitura laudemio (eſt per conſuetudinem pars viceſima pretii, ſeu æſtimationis emphyteuſeos). Excipe: Niſi clauſula in inveſtitura appoſita ſit, ut illius alienatio fieri poſſet cuicunque; tunc enim interpretanda eſt clauſula, ut domini conſenſus non requiratur. Quod ſi emphyteuta fundum emphyteuticum alii in emphyteuſin concedat, qui contractus dicitur ſubemphyteuticus, requiritur domini conſenſus, cum ſit ſpecies alienationis.

10 Poteſt tamen emphyteuta fundum oppignorare, ad vitam ſuam locare, cenſum, vel ſervitutem in illo etiam irrequiſito domino conſtituere.

11 Titulo lucrativo legati, donationis, dotis, non prohibetur emphyteuta fundum emphyteuticum in alterum transferre, ſalvo tamen jure proprietarii, & cum ſignificatione domino, ut donatarium idoneum ad emphyteuſin agnoſcat, & inveſtiat, accepto laudemio, ſi extraneus ſit. Quod ſi emphyteuta alia bona habeat, non poteſt dare fundum emphyteuticum in dotem domino irrequiſito; ſed, licet eo caſu det, durat tantum ad vitam dotantis, & dotatæ.

12 Emphyteuſis alia eſt ſimpliciter hæreditaria, id eſt, conceſſa cum facultate transferendi ad quoſcunque hæredes, etiam extraneos, in qua non requiritur domini conſenſus, ſi ex inveſtitura appareat, conceſſam fuiſſe cum libera facultate alienandi. Alia mixte hæreditaria, quæ conceſſa eſt pro filiis, ſeu deſcendentibus, iiſque hæredibus. Alia eſt emphyteuſis ex pacto, ſeu providentia, quæ data eſt pro filiis, ſeu deſcendentibus, vel abſolute, vel in certas generationes: Et ad hanc non requiritur, ut filius ſit hæres, ſicuti in mixta, cum poſſit etiam repudiata hæreditate paterna ſuccedere in emphyteuſi (quod in mixta non fit) quippe quam non jure hæreditatis, ſed ex pacto, ſeu prima inſtitutione accepit.

NB. Si emphyteuſis abſolute alicui concedatur, *Do tibi hunc fundum in emphyteuſin*, nulla facta expreſſione hæredum, cenſeri debet ex pacto. Ratio: Quia emphyteuſis, ſicut & feuda, ita concedi ſolent.

13 Emphyteuſis alicui conceſſa pro ſe, & filiis ſuis comprehendit etiam ſœminas. Ratio: Quia nomen filiorum etiam ſœminas comprehendit; per conſuetudinem tamen non admittuntur ſœminæ, niſi deficientibus maſculis. Emphyteuſis tamen alicui conceſſa pro filiis, & hæredibus, aut ſucceſſoribus cenſeri debet hæreditaria, ut ad extraneos quoque tranſire poſſit. Ratio: Quia nomine hæredum etiam comprehenduntur. Si conſuetudo ſit, ut in Eccleſiaſtica emphyteuſi nomine hæredum non intelligantur, niſi deſcendentes, excluduntur extranei.

14 Emphyteuſis, etſi abſolute hæreditaria ſit, tamen in perſonam potentiorem transferri non poteſt, magiſque privilegiatam, V. G. Eccleſiam, civitatem. Ratio: Quia proprietarii conditio deterior redderetur tali alienatione, cum difficilius emphyteuſis ad eum reverteretur.

NB. Si bona alicujus ob crimen confiſcentur, conſuetu-

ſuetudine receptum eſt, ut emphyteuſes, & feuda Eccleſiaſtica ſtatim ad Eccleſiam revertantur.

15 Si emphyteuta Religionem profiteatur, quæ capax eſt immobilium bonorum, tranſit emphyteuſis ad Monaſterium, ſi ſit ex pacto ad dies vitæ; ſi hæreditaria, tunc poſt mortem Religioſi debet vendi: Quia alioquin omnem ſpem proprietarius amitteret accipiendi laudemium. Quod ſi Religionem ingrediatur emphyteuta, quæ capax non eſt ſtabilium bonorum, videlicet Sancti Franciſci Capuccinorum, Soc. Jeſu, emphyteuſis pertinet ad hæredes legitimos. Ratio: Quia Profeſſio talis Religioſi morti naturali æquiparatur.

NB. Etſi in inveſtitura expreſſum ſit, ut emphyteuſis non transferatur in Eccleſiam, non impeditur illa translatio in Monaſterium; tum, quia non eſt alienatio proprie, cum Monaſterium poſſideat locum Profeſſi; tum, quia prohibitio alienationis intelligenda eſt de alienatione voluntaria, non autem de ea, quæ ex legis diſpoſitione neceſſario ſit; qualis eſt iſta, ut omnia bona profeſſi in Monaſterium tranſeant.

16 Pater uni filiorum donare, vel prælegare poteſt emphyteuſin, ſi hæreditaria ſit. Ratio: Quia ejuſmodi bona cenſentur potius libera, ſeu allodialia, quam emphyteutica. Sin vero ex pacto, non poteſt in præjudicium aliorum liberorum, niſi ſit emphyteuſis nova, & primitus acquiſita; idque cum conſenſu domini. Ratio: Quia pater ſtipulando pro ſe, & filiis ſuis cenſetur ſtipulatus cum dependentia liberorum a ſua perſona, ita ut nullum jus habeant ante mortem ipſius.

NB. Emphyteuſis mixta non poteſt prælegari cum diminutione legitimæ aliorum liberorum. Si emphyteuſis ſit antiqua, ne quidem cum domini conſenſu uni liberorum prælegando aliis præjudicare poteſt. Ratio: Quia poſt mortem primi acquirentis jus deſcendentibus acquiſitum eſt ex vi primæ inveſtituræ.

17 Si tempus juris emphyteutici ad hominis vitam, ad duas, aut tres generationes conceſſi, finitum ſit, non tenetur dominus ſecundum Juris rigorem agnatum proximum, quamvis idoneus ſit, inveſtire, idque de jure, & non de conſuetudine: Nam contrahens ex contractu non plus obligatur, quam inter partes conventum eſt.

18 Laudemium ex venditione fundi emphyteutici (quando uſusfructus a proprietate ſejunctus eſt) uſufructuario, non proprietario debetur, V. C. patri, non filio ex bonis adventitiis. Ratio: Quia omne emolumentum, proveniens ex re fructuaria, debetur uſufructuario.

NB. Si emphyteuta fundo emphyteutico privatus eſt ob canonem non ſolutum, meliorationes a domino repetere non poteſt.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Animadvertendum hic pro praxi eſt, quod cum contractus emphyteuſis maxime Eccleſiaſticæ non ſit firmus, niſi poſtquam ſcriptura, ſeu inſtrumento contrahentium conventionis fuerint explicatæ, ut clara *ex Novell. 7. in fin. præfat.* hinc ſequitur, quod etiamſi aliquis verbo ſe obligavit vel ad dandam rem, vel ad eam recipiendam in emphyteuſim, & convenerit de obligationibus &c., poſſit nihilominus tuta conſcientia reſilire, ſi nondum ſcripto factus fuerit contractus. Idem ex dictis videtur dicendum de omnibus contractibus ſtricti juris.

II. Obſervet Confeſſarius emphyteutam ſi prope ſit tempus, quo vel relinquere vult, vel debet rem emphyteuticam, multoties permittere, ut valde deterior fiat, eam non excolendo ut par eſt, vel non reparando domum, &c. cum illi ſatis ſit percipere quos poteſt fructus, eo tempore quo ea frui vult, vel debet. In hoc igitur emphyteuta graviter onerare poteſt ſuam conſcientiam, cum teneatur agros, vineas, domus ſaltem in ſua bonitate conſervare, ut ſupra dictum eſt, adeoque ſi, ut moris eſt, rem emphyteuticam deteriorem relinquat, obliget ad reſtitutionem.

III. Notet ſecundo Confeſſarius etiam in annis ſterilibus integrum canonem exigi a Dominis directis, quod ex dictis facere non poſſunt tuta conſcientia. Neque Domini directi ſatis noſtris hiſce temporibus poſſunt ſe defendere, quia emphyteuta annis ubertatis poteſt damnum, quod paſſus eſt, compenſare; nam annuus canon multoties ſolet eſſe gravis valde, ut proinde etiam annis ubertatis, ſi computentur labores, & impenſæ emphyteutæ, quæ pro eo remanere debent, non ſatis reputabuntur ad compenſanda, quæ paſſus eſt damna annis ſterilitatis. Secus dicendum eſſet, ſi canon eſſet moderatus. Videat ergo, ne Domini directi, qui ſolent eſſe valde potentiores emphyteutis, nimis exigant contra juſtitiam.

IV. In praxi etiam advertendum Dominos directos, dum emphyteuta ex canone non ſoluto cadit in commiſſum, nil curare de melioramentis factis in re emphyteutica, quæ cogitur deperdere emphyteuta ob ſuam paupertatem. Moneat igitur Confeſſarius divites, ut juxta conſcientiam melioramenta indebita compenſent, ne ex aliorum labore, & impenſis locupletiores fiant, cum maxime agatur de damno pauperum avertendo.

V. Magnum demum eſt inconveniens in eo, quod emphyteutæ, maxime ſi ſint ruſtici, rem emphyteuticam ad alios diſtrahant, vel oppignorando, vel in dotem aliquem partem tradendo &c. Quamvis enim hæc fieri poſſint irrequiſito Domino, juxta doctrinam ſupra explicatam; nihilominus ſemper fieri debent ſine ipſius damno. In praxi autem compertum eſt, quod ita diſtrahendo partem rei emphyteuticæ, ſucceſſu temporis veluti propria ab his, quibus traditur, & præcipue ab eorum ſucceſſoribus prætenditur; ac ita confundantur res emphyteuticæ, & omnia jurgiis, & litibus involvuntur. Debet ergo curare Confeſſarius, ut hujuſmodi taliter fiant, quod ſemper conſtet quæ ſint res emphyteuticæ, qui earum fines &c.

VI. Solent multoties emphyteutæ maxime idiotæ alteri tradere ſive totam, ſive partem rei emphyteuticæ ſine ſolutione laudemii Domino directo. Hoc omnino repugnat juſtitiæ; ſicut enim alia debita ſolvenda ſunt, etiamſi non petantur, ita & laudemium; nam facta alienatione rei emphyteuticæ ſtatim conſurgit obligatio ſolvendi a novo emphyteuta laudemium. Et id verum eſt etiamſi in primo contractu conceſſum fuiſſet jus transferendi in quemcumque rem emphyteuticam, nam ſemper intelligitur id conceſſum fuiſſe ſalvo jure Domini directi. Notet id Confeſſarius maxime ruralis, nam facile ruſtici ab uno ad alium transferunt res emphyteuticas.

VII. Notet ſecundo Confeſſarius multoties Dominos directos agere ad expulſionem emphyteutæ propter canonem non ſolutum, abſque eo quod conſiderent an emphyteuta ceſſaverit a ſolutione propter ſterilitatem, aliaſque graves neceſſitates. Monere ergo debet Dominum directum, quod ſi non adfuit culpa emphyteutæ, neque locum habet ipſius expulſio, ſed expectare debet ut emphyteuta poſſit ſatisfacere.

VIII. Emphyteutæ, quaſi eſſent pleniſſime Domini rei emphyteuticæ, illam non raro deteriorem reddunt in ſubſtantia, ſuccidendo e. g. arbores fructiferas, extirpando ſylvas, negligendo debitas reparationes, permittendo ab aquis notabiliter damnificari &c. Moneat ergo illos Confeſſarius teneri in conſcientia ad omnia hæc damna reparanda, immo ad dimittendam emphyteuſim, ſi ita ſe velle Dominus declaret. Perperam proinde ſe gererent, ſi vellent litibus ſe tueri, & tenerentur ad reficiendas omnes expenſas, quas Dominus directus facere cogeretur.

IX. Solent etiam emphyteutæ nolentes in emphyteuſi perſeverare, permittere ut res emphyteutica deterioretur, atque ita Dominus directus adigatur ad eos liberandos ab emphyteuſi. Sicut ergo Confeſſarius graviter debet increpare Dominos directos, qui propter modicam deterioritatem agunt in judicio contra pauperes emphyteutas ad eos expellendos; & ita ſæpe evenit, quia non habent pecuniam, qua ſe defendant: ita graviter objurgare debet emphyteutas, qui prædicto modo ſe gerunt, illoſque monere, quod eſt illi liberum ab emphyteuſi recedere, & quod non ſolum perſeverat in illis obligatio annui canonis ſolvendi, ſed etiam reſarciendi damna ob deteriorationem. Suadeat ergo illis amicabiliter agere cum Dominis directis.

CAPUT XXIV.

De Feudo.

1 FEudum (ſic dictum a fide, ſeu fidelitate) veluti donatio, ac beneficium eſt, ob quod fidelitas, & perſonale obſequium a vaſallo exigitur.

2 Feudum cum emphyteuſi convenit. 1. Quia utrumque conſtituitur in re immobili. 2. Utrinque transfertur uſusfructus in vaſallum, manente proprietate domino. 3. Vaſallus etiam, uti emphyteuta, inveſtiri debet, ſive in poſſeſſionem mitti, vel corporaliter, vel per juris fictionem, tradendo annulum, enſem, ut acquirat jus ad rei poſſeſſionem. 4. Vaſallus non poteſt alienare feudum ſine conſenſu domini; alioquin cadit in commiſſum, & alienatio irrita eſt.

3 Feudum magis alienari prohibitum eſt, quam emphyteuſis, quovis titulo oneroſo, ſeu gratuito, etiam ne quidem quoad dotem. Conſuetudo tamen permittit, ut domino non requiſito terras incultas poſſit ad longum tempus locare, in emphyteuſin dare, imo etiam alium vaſallum ſibi ſubinfeudare. Omnia tamen ſine præjudicio domini fieri debent.

4 Duplex eſt feudum, novum, & antiquum. Novum eſt, quod primo alicui acquiſitum eſt beneficio ſolius conferentis. Antiquum, quod ab aſcendente jure agnationis ad alterum tranſmiſſum fuit. Item aliud eſt hæreditarium (*Erblehen*) quod alicui ſimpliciter conceſſum eſt pro ſe, & hæredibus. Aliud gentilicium, ſeu ex pacto, & providentia (*Stammlehen*) quod conceſſum eſt alicui pro ſe, & ſolis filiis. Nam appellatione liberorum in materia feudali veniunt ſoli maſculi, & non fœminæ, niſi ſpecialis earum mentio fiat. Et licet fœminarum mentio fiat, tamen non admittuntur, niſi in defectum maſculorum. Mynſinger.

5 De feudo novo vaſallus cum domini conſenſu diſponere poteſt, etiam non requiſita voluntate agnatorum. Ratio: Cum enim in hoc feudo deſcendentibus, vel agnatis nondum jus acquiſitum fuit, ideo primus acquirens de eo, tanquam de re ſua, pro arbitratu diſponere poteſt. Excipe: Niſi feudum novum conceſſum ſit ſpeciali favore alicujus filii, vel ita, ut ſit inſtar antiqui; tunc alienari non poteſt cum præjudicio filiorum, aut collateralium, qui ab eodem illo communi ſtipite, patre, avo, proavo deſcendunt.

De ſeudo proprie hæreditario vaſallus ſuopte arbitratu diſponere poteſt. Ratio: Quia tale ſeudum ratione primæ inveſtitoræ ad quoſcunque etiam extraneos devolvi poteſt, reſervata domino directo fidelitate, a ſeudi ſucceſſore præſtanda.

7 De ſeudo antiquo ex pacto vaſallus non poteſt diſponere ſine renuntiatione agnatorum, etiam cum domini conſenſu. Ratio: Quia agnatis ex pacto, & providentia primi tum conferentis, tum acquirentis jus acquiſitum eſt, cui pactum, vel diſpoſitio poſterior obeſſe non debet. Poteſt tamen vaſallus ex fructibus ſeudi diſponere ad vitam ſuam.

8 Bona ſeudalia ex pacto, ſicut & emphyteutica, omnino ſeparata ſunt ab hæreditariis, ſeu allodialibus, nec poſſunt confiſcari, eo quod nulla bona poſſunt confiſcari, niſi ea, quæ poſſunt devolvi ad extraneos.

NB. 1. Feudalia bona non poſſunt computari filio in legitimam. Deinde proximus agnatus repudiata hæreditate in ſeudo ſuccedere poteſt; quia in ſeudo antiquo ex pacto jure agnationis, & non jure hæreditatis ſucceditur. Eadem ratio eſt de emphyteuſi conceſſa alicui pro ſe, & filiis, non exprimendo, quod debeant eſſe hæredes.

NB. 2. Bona feudalia non veniunt in generali bonorum obligatione, aut hypotheca.

9 Feudum differt ab emphyteuſi, quod in emphyteuſi annua realis penſio ſolvitur; in ſeudo autem plerumque obligatio perſonalis tantum eſt, honorem, ac reverentiam domino præſtandi, ac defendendi contra omnes modo licito. Porro vaſallus non tantum primus, ſed etiam filius, aliuſque ſucceſſor intra annum, & diem fidelitatis juramentum domino præſtare debet, & inveſtituræ renovationem, præſtito juramento, petere cogitur, niſi juſta cauſa excuſet. Iterum, ſi dominus moriatur, vaſallus intra diem, & annum ab hærede, aliove ſucceſſore illius inveſtituram petere, & fidelitatem jurare cogitur; alioquin ſeudo privatur, ſaltem per Judicis ſententiam. In quibuſdam etiam ſeudis conſuetudo eſt, ut vaſallus in recognitionem dominii directi realem penſionem præſtet non tantum, cum novus vaſallus inveſtitur, *in Anfall*, ſed etiam cum mortuo domino alius eidem ſuccedit, *in Herrenfall*. In quo diſcrepat ab emphyteuta, qui laudemium ſemel tantum, cum inveſtitur, pendere cogitur.

10 In ſeudo jure communi ſœminæ non ſuccedunt, nec Clerici in Sacris conſtituti, nec Religioſi, nec Epiſcopi; quia ſervire non valent: Niſi ſeudum ex prima ſua inſtitutione, & voluntate conſerentis Eccleſiaſticæ dignitati annexum ſit.

11 Illegitimi quoque, quamvis per Principis reſcriptum legitimati, a ſeudis excluduntur: Niſi expreſſa mentio fiat, quod etiam ſeudi capaces eſſe debeant. Legitimati tamen per ſubſequens matrimonium admittuntur. At vero in emphyteuſi etiam naturales liberi ſuccedere poſſunt: Niſi ſit Eccleſiaſtica, a qua illegitimi omnes excluduntur.

12 Feudum a vaſallo auſertur ob crimen ingratitudinis erga dominum ſuum. 1. Si mortuo domino vaſallus intra annum, & diem hæredem, vel ſucceſſorem illius non adierit, ut fidelitatem polliceatur, & inveſtituram petat, vel per ſe, vel per Procuratorem ſuum. 2. Si vaſallus dominum ſuum in prælio dimiſerit, aut de inſidiis domino paratis dominum certiorem non reddiderit. 3. Si uxori, filiæ, nurui, ſorori in domo domini ſui adhuc manenti ſe immiſcuerit. 4. Si conditionem ſeudi falſe inficiatus fuerit. Requiritur tamen Judicis ſententia.

NB. *Si vaſallus ita in dominum peccaverit, ut feudum amittere debeat, non ad proximos, ſed ad dominum revertatur, ut ſaltem hanc habeant ſuæ injuriæ ultionem.*

CAPUT XXV.

De Depoſito.

1 IN depoſito (quod alicui cuſtodiendum datum eſt) dolus, non culpa niſi quæ ſecundum præſumptionem dolo æquiparatur, præſtanda venit: Niſi de culpa conventum fuerit (nam contractus ex conventione legem accipiunt) & niſi mercedem pro depoſiti cuſtodia accipiat.

Quod ſi quis expreſſe prædixerit, ſe damnum non præſtiturum, ſecuto damno ſine culpa in conſcientiæ foro ad nihil tenetur.

NB. Ut is, apud quem res deponitur, obligationem contrahat, neceſſe eſt, ut ejus curam ſuſcipiat, conventione vel expreſſa, vel tacita.

Quod ſi ciſta depoſita fuit, &, qui depoſuit, queratur, aliquid ex ea omiſſum eſſe, ipſi incumbit probatio, talem rem in ciſta fuiſſe.

2 In contractu depoſiti adeo fides ſervanda eſt, ut etiam furi deponenti reſtituere debeas: Niſi dominus una cum fure repetat.

3 Depoſitarius abſque conſenſu domini expreſſo, vel tacito re depoſita uti prohibetur; alias incurrit crimen furti.

4 Cæſareo Jure prohibitum eſt, ne pecuniæ publicæ titulo mutui, alteriuſve contractus exponantur. Fortaſſe tamen Officialis a culpa mortali excuſari poteſt, ſi in aliquo caſu certum ſit, nec Magiſtratui, nec ſubditis ullum in ea re damnum inferri, aut lucrum decedere; imo, etiamſi Magiſtratus expreſſe prohibeat, non eſt mortale, modo æque bonæ pecuniæ tempore ſolutionis in promptu ſint.

5 Depoſitarii poſſunt eſſe omnes (Clerici etiam, & ſœminæ) qui judicii diſcretionem habent. Religioſi male faciunt, ſi ſine conſenſu Prælati fiant depoſitarii.

6 Eccleſia, vel Monaſterium non tenetur, ſi depoſitum dolo, aut culpa lata Clerici, vel Religioſi amiſſum fuerit: Niſi Capitulum conſenſerit in depoſiti ſuſceptionem. Quod etiam dicendum de Prælato, apud quem res depoſita fuit: Quia delictum perſonæ non debet redundare in detrimentum Eccleſiæ.

7 Sequeſtrum ſpecies quædam depoſiti eſt. Sequeſter dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controverſia eſt, depoſuerunt.

NB. Sequeſtratio duplex eſt, voluntaria, & neceſſaria. Voluntaria, ſeu quæ partium conſenſu fit, ea natura eſt, ut dum apud ſequeſtrum res depoſita manet, niſi aliter conventum fuerit, neuter poſſidere cenſeatur: Quia ei poſtea a ſequeſtro tradenda erit, qui poſt cauſæ cognitionem ſuperaſſe cenſebitur. Neceſſaria eſt, quæ a Judice certis caſibus fieri poteſt, videlicet, ſi periculum ſit, ne res pereat per fugam, per abſumptionem, per dilapidationem; item, ſi maritus ad inopiam vergat, ipſius bona pro dote ſequeſtrari poſſunt.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum in depoſito non concedatur depoſitario uſus rei, obſervet Confeſſarius, quod ſi depoſitarius ea utatur, debet ſolvere Domino pretium uſus ipſius rei, quando non poſſit judicare dominum ſaltem tacite in eum uſum conſenſiſſe; vel quod nihil curet de pretio uſus, quamvis ægre tuliſſet depoſitarium re ſua uſum fuiſſe.

II. Meminiſſe etiam debet Confeſſarius, quod ſi Depoſitarius utatur re uſu conſumptibili apud ſe depoſita, ut pecunia, tritico &c. & proinde pereat, minuatur &c., perit, vel minuitur ipſi depoſitario; per hoc enim quod hujuſmodi rebus utatur, ipſarum acquirit dominium, atque ita ipſi pereunt.

III. Obſervet Confeſſarius, quod ſi perierit res depoſita, pro foro conſcientiæ non debet attendere niſi an perierit ex culpa gravi theologica ipſius Depoſitarii. Hinc ſi ex mera oblivione in loco publico reliquerit rem depoſitam, ac proinde fuerit furto ſublata, non proinde in foro conſcientiæ ad reſtitutionem tenetur etiamſi res depoſita fuiſſet pretioſiſſima.

CAPUT XXVI.

De Mandato, Procuratore, Syndico.

1 MAndatum eſt *officium ab eo, qui gratis ſuſcepit, exequendum*. Quod ſi merces interveniat, in locationem tranſit. Remuneratio tamen mandatario facta non eſt ita ſtricte debita, ut compenſationi locus eſſe poſſit.

NB. 1. Salarium Advocatorum, Procuratorum, conſtituendum ad Judicem pertinet.

NB. 2. Inter mandantem, & mandatarium conventio intervenire debet, ſaltem tacita.

2 Mandatarii officium eſt, ut mandatum fideliter exequatur; alioquin famæ periculum eſt incurſurus.

Mandans ratum habere debet, quod nomine ejus a mandatario geſtum eſt: Præterquam ſi fines mandati exceſſit; nam geſta contra, vel præter formam mandati irrita ſunt. V. C. Si a me juſſus equum vendere aureis 100. vendidiſti 90. non teneor ratam habere venditionem. Si autem pluris vendidiſti, V. C. 110. non cenſeberis fines mandati tranſgreſſus; reſtituendum tamen eſt illud, quanto pluris venditum fuit: Niſi dominus contentus eſſe videatur.

3 Mandans mandatarium indemnem ſervare debet; nemi-

Digitized by Google

nemini enim officium ſuum damnoſum eſſe debet: Niſi ſalarium interveniat. Unde famuli amittentes eoſdem 10 via non poſſunt eum exigere a domino.

4 *Rei turpis nullum eſt mandatum.*

5 Mandatum aliud eſt generale, aliud ſpeciale. Generale non extendit ſe ad ea, quæ ſpeciale mandatum exigunt; qualia ſunt, facere alienationem, tranſactionem, oppignorationem. Excipe: Niſi generale mandatum fiat cum *poteſtate plena, ac libera*, V. C. Syndicis, & Adminiſtratoribus civitatum.

NB. Litteræ *Credentiæ*, in quibus generatim continetur, ut offerenti eas plena fides habeatur, non obligant ſcribentem. Secus vero, ſi fides litteris habenda magis ſpecificata ſit: V. C. *Latori huic plene a me informato habebis omnem fidem.*

6 Mandatum per revocationem exſpirat, 1. Si res integra ſit. Tunc autem res integra cenſetur, cum nondum cœpit mandatarii intereſſe. Quod ſi negotium cœptum fuerit, revocari non poteſt. 2. Per renuntiationem. 3. Morte mandantis re integra. Excipe executionem dotis ob ſpecialem favorem dotis, & piarum cauſarum, V. C. eleemoſynæ. 4. Morte mandatarii.

7 Procurator eſt, *qui aliena negotia mandantis domini adminiſtrat*. Alius eſt generalis, alius ſpecialis. Et Procurator debet exhibere litteras, & formam mandati.

Porro Procurator alius eſt ad lites, ſive judicia (debet eſſe Major), alius ad negotia. Procurator ad lites non poteſt alium ſubſtituere, niſi id mandato contineatur, aut in propria cauſa.

8 Procurator ad lites differt ab Advocato; quia cum Procuratore contrahitur, & mandati actio in eum competit, quandoquidem litem alterius abſentis nomine proſequendam ſponte ſuſcepit: Advocatus vero obligatione mandati non conſtringitur, ſed clienti in judicio præſenti patrocinium, & defenſionem præſtat.

9 Procurator nemo eſſe cogitur: Quia uti nemo invitus contrahere cogitur, ita etiam nemo officium Procuratoris ſuſcipere cogitur. Sed Advocatus ad defendendas perſonas miſerabiles a Judice compelli poteſt, a divitibus ſalarium juſte accipit.

10 Irritum eſt pactum, quod vocant *de quota litis* obtentæ ſolvenda Advocato, videlicet, ut certa pars ejus, quod ex lite proventum eſt, Procuratori cedat. Certa quantitas tamen pro victoria obtenta promiſſa poteſt ſolvi; modo id ſit moderatum, & lege ſpeciali non prohibitum.

11 Clericus in Sacris, & Beneficiatus in cauſa civili, ſi aliena ſit, Procurator, vel Advocatus eſſe non poteſt; poteſt tamen in cauſis Eccleſiaſticis, vel coram Judice Eccleſiaſtico (*a*).

„ (*a*) Aliquoties tamen id conceditur Clericis ex „ diſpenſatione ſpeciali Romani Pontificis in favorem „ Sacerdotis ſæcularis pauperculi, cum certis tamen „ limitationibus, ut in cauſis criminalibus reis tan- „ tummodo patrocinentur, & tandiu munus illud in „ tribunalibus laicis exerceant, quoadusque non pro- „ videantur de Eccleſiaſticis reditibus uſque ad con- „ gruam ſuſtentationem, vel beneficium reſidentiale „ obtineant. Ita Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. l. „ 13. cap. 10.

12 Religioſis munus Advocati omnino prohibetur; præterquam in cauſis ſui Monaſterii.

13 Syndicus dicitur Procurator alicujus Communitatis.

14 Procurator, vel mandatarius, ſi ſe habeat ut merus internuntius, V. C. ad prolem Baptiſmo ſuſcipiendam, ad matrimonium nomine Regis contrahendum, ſibi nullum jus, aut obligationem acquirit, ſed tantum domino ſuo, ſeu Principali.

Quod ſi vero aliquis mandatum quidem ab altero habeat contrahendi, V. C. merces emendi, contractum tamen nullo expoſito mandato veluti ſuo nomine celebret, talis non ſolum jus, & obligationem ſibi ipſi acquirit, ſed etiam executio ſententiæ in ejuſdem bonis fieri ſolet; licet poſtea actione mandati hoc ipſum repetere poſſit a mandante.

Regula in praxi obſervanda.

I. Solent aliqui ſe ſponte offerre ad alterius mandatum exequendum, ut illius gratiam acquirant &c. Interim ſub prætextu ſuorum laborum, operarum &c. ſibi occulte compenſant, mercedem ſibi tribuendo juxta labores, & dies quos pro mandante inſumpſerunt. Advertat igitur Confeſſarius, demptis expenſis neceſſariis faciendis in executione mandati, ad quas certo tenetur mandans, mandatarium, maxime ſi ſe obtulit, nil poſſe pro ſuis operibus prætendere; nam, ex dictis, gratuito intelligitur ſuſcepiſſe executionem mandati; & ſi hanc non habuit intentionem, habere ſaltem debebat.

CAPUT XXVII.

De Actione ex juſſu, & de in rem verſo.

1 Contrahens cum eo, qui in alterius poteſtate eſt, interdum actionem acquirit adverſus dominum, ſive eum, qui illum in poteſtate habet, ſive ex juſſu, ſive de in rem verſo. Vel enim, qui in poteſtate poſitus eſt, voluntate, & juſſu domini, patris, Prælati, contrahit, vel ſine ejus juſſu. Si juſſu, interdum eſt juſſus directus: Quo caſu competit actio ex juſſu adverſus dominum, patrem, Prælatum, in ſolidum, quatenus juſſit, ſeu intra fines, & formam juſſionis. Interdum intervenit juſſus interpretativus, puta, ſi poſtea ratum habeatur; in his quoque actio ex juſſu competit.

2 Huc ſpectat actio exercitatoria, & inſtitoria ex juſſu; ſi quis videlicet maritimæ, vel terreſtri negotiationi alium præpoſuit, cenſetur ratum habere, quidquid in tali negotio geſſerit, dummodo fines negotii non excedat. Competit tunc actio adverſus præponentem, tanquam ex juſſu generali.

3 Inter mandatum, & juſſum hoc intereſt, quod juſſum neceſſitatem imponit (V. C. ſervo), ſed mandatum libere ſuſcipitur.

Quod ad actionem *de in rem verſo* attinet, ſi perſonæ in poteſtate alicujus poſitæ ſine juſſu ejus expreſſo, vel tacito contraxerunt, tunc abſolute loquendo non obligatur Prælatus V. C. ex contractu Religioſi, pater ex contractu filii, famuli, ſed ſolum, quatenus in rem ejus aliquid verſum eſſe demonſtrari poteſt.

Monaſterium non obligatur ex contractu, aut delicto Religioſi, exceptis caſibus. 1. Si Religioſus communicato conſilio cum Prælato, & Capitulo delictum commiſit: Quia delictum Prælati, & Capituli nocet Eccleſiæ. 2. Si Religioſus adminiſtrationi præpoſitus aliquid egit, aut contraxit ſecundum limites commiſſionis, & officii. 3. Si Religioſus, in Academia, vel alibi cum licentia Prælati degens, ſumptus faciat, vel pecunias mutuo accipiat ſecundum quantitatem illi deſtinatam.

NB. In rem alicujus aliquid verſum eſſe eſt, ſi quid vel domino utiliter comparatum, vel in quoſcunque ſumptos neceſſarios, aut utiles domino expenſum fuit.

5 Non cenſetur aliquid in rem meam verſum eſſe, niſi quatenus exinde locupletior factus ſum.

6 Si famulus vinum numerata pecunia domino emere juſſus, impetrata fide de ſolutione, pecuniam intercipiat, & aufugiat, venditori contra dominum neque ex juſſu, neque de in rem ejus verſo actio competere poteſt. Non de in rem verſo: Quia l. 3. §. 1. ſi hic, ff. de in rem verſo: *Æquum non eſt, ut vel credulitas creditoris domino obſit, vel calliditas ſervi noceat; quare curioſus creditor eſſe debet, quo vertatur.* Nec ex juſſu: Quia dominus non juſſit, ut obligatio mutui, ſeu crediti contraheretur, ſed ut pecunia præſente emeretur.

7 Actio, *quod juſſu*, ſeu exercitatoria, ſeu inſtitoria commodior eſt, quam actio *de in rem verſo*. Nam ſtulte quis faceret, ſi omiſſa actione, per quam mox totum a domino propter voluntatem, & juſſum ejus conſequi poteſt, adigat ſe ad difficultatem probandi, rem creditam in utilitatem domini verſam fuiſſe.

CAPUT XXVIII.

De Negotiis geſtis, aliiſque Obligationibus ex quaſi contractu.

1 Qui abſentis negotia gerenda utiliter ſuſcepit, is actionem negotiorum acquirit, etiam contra ignorantem, qua compellitur, rem geſtam ratam habere, item expenſas neceſſarias, damnum præſtare, & compenſationem laboris facere. *Et id utilitatis cauſa receptum eſt, ne abſentium desererentur negotia, quæ ſane nemo curaturus eſſet, ſi de eo, quod quis impendiſſet, nullam habiturus eſſet actionem.* Et competit hæc actio negotiorum geſtorum, tametſi negotii eventus infelix fuerit, dummodo negotii geſtor prudenter, & utiliter egerit, V. C. Si equum Titii de manu furis, aut militis, tanquam illius negotium geſturus,

exiguo

exiguo pretio redimas; ſed, dum equum ad dominum reducis, fortuito caſu pereat, nihilominus pretium, & expenſæ ſibi reſtituendæ ſunt, reddita tamen ratione adminiſtrationis domino.

2 Inventor rei alienæ nihil a domino ratione inventionis exigere poteſt, juxta l. falſus. *Qui alienum quid jacens lucri faciendi cauſa ſuſtulit, furti obſtringitur*. Nihilominus tamen compenſationem laboris, & expenſarum factarum, rem ad dominum deferendo, exigere poteſt. Ratio: Quia gratis non tenetur ad expenſas, & laborem.

3 Qui ex gratia, aut mera liberalitate in alterum expenſas fecit, non poteſt deinde, mutata voluntate, repetere.

Dominus famulo ægrotanti non cogitur præſtare ſalarium, neque expenſas majores, ſed tantum ſimplicem victum. Excipe: Niſi conſuetudine loci receptum ſit, ut dominus famulo propter infirmitatem nihil de annua mercede detrahere poſſit.

4 Salarium conſtitutum repeti non poteſt ab hæredibus Advocati mortui: Quia per eum non ſteterat, quo minus cauſam ageret. Idem etiam locum habet in Profeſſore ſcientiarum, ob legitimum impedimentum non docente.

5 Mater, & avia in dubio cenſentur filio præſtare alimenta, non animo repetendi, ſed materno affectu. Alia vero ratio eſt de vitrico, qui in dubio non præſumitur alimenta gratis præſtare privigno, propria bona habenti. Quod ſi privignus fuerit in ſervitio vitrici, alimenta repeti non poſſunt.

CAPUT XXIX.

De Fidejuſſoribus.

1 OBligatio fidejuſſoris (Fidejuſſor eſt, qui de alterius obligatione, interpoſita propriæ fidei, & obligationis cautione, ſecuritatem præſtat) acceſſoria eſt alteri obligationi, ſaltem naturali, adeo, ut hoc caſu fidejuſſor etiam civiliter compelli poſſit, V. C. pro ſervo, vel Minore fidejubens. Si autem is, cujus promiſſioni fidejuſſor accedit, nec naturaliter, nec civiliter obligetur, nulla etiam in fidejuſſore oriri poteſt obligatio.

2 Qui pro Religioſo fidejubet, cenſetur ad id ſe obligare, quod Prælatus, & Capitulum rem ratam habeount.

3 Fidejuſſor intenſius obligari poteſt, quam Principalis, ut videlicet civiliter magis obligetur: Non tamen obligari poteſt extenſius ita, ut ad plus obligetur.

4 Fidejuſſores alii in judicio ſuſcipiuntur (ſunt tales, qui ſe obligant, quod Rei ſeu criminis, ſeu debiti ſiſtentur in judicio ſeu criminali, ſeu civili, & interdum, quod judicatum fuerit, ſolutum iri) Alii extra judicium. Deinde alii ſimpliciter dicti fidejuſſores ſunt (interponentes ſcilicet fidem ſuam, in id, quod Principalis debet) Alii *indemnitatis*, qui non obligant ſe ſimpliciter, ſed quanto minus creditor a debitore ſuo conſequetur. Atque hi ante conveniri non poſſunt, quam facta diſcuſſione principalis debitoris. Fidejuſſores autem ſimpliciter dicti conveniri quidem poſſunt, ſed opponere eis licet exceptionem ordinis, ut videlicet prius diſcuſſio fiat bonorum debitoris principalis, ſi præſens ſit, in ejus vero defectum ſe poſtea ſolvere paratos eſſe. Excipe: Niſi notorium ſit, principalem debitorem ſolvendo non eſſe, quia fruſtra fieret diſcuſſio; item, ſi debitor, quia nimis potens, conveniri non poteſt; item, ſi nemo ſit, qui emat excuſſa bona: Quo caſu creditor diu exſpectare non cogitur.

5 Ordinarie, quicunque principaliter obligari, idem etiam fidejuſſor eſſe poteſt. Excipe mulierem, quæ, ſi fidejuſſerit, opponere poteſt exceptionem SC. Vellejani, quo minus ſolvere cogatur, etiam in conſcientiæ foro; quippe quod ob ſexus fragilitatem boni publici cauſa introductum eſt. Quod ſi per errorem mulier ſolverit, retinere quidem poteſt creditor, ſed mulier poteſt rurſum repetere, cum exceptio illa favorabilis ſit. Id tamen locum non habet in exceptione odioſa, V. C. in SC. Macedoniano.

NB. Quod ſi Mulier pretium pro fidejuſſione accepit, aut publico Inſtrumento coram teſtibus promiſerit ſe fidejuſſuram, obligatur ſublato omni SC. Vellejano. Ratio: Quia tunc non ex levitate, aut naturali fragilitate, ſed pro præmio conſequendo interceſſiſſe creditur.

6 Conſuetudo obtinet, ut mulier SC. Vellejano renuntiare queat, modo a Notario ſufficienter inſtructa ſit. Quamquam de hoc ſpectato jure communi dubitari poteſt, ſi juramentum non intercedat: Quia eadem facilitate, qua ad fidejubendum, etiam ad renuntiandum Vellejano adduci poſſet.

7 Clericus in damnum proprium fidejubere poteſt; ita enim conſuetudo obtinet. Quamquam etiam tunc ex fidejuſſione non teneatur, niſi quatenus commode ſolvere poteſt, ita, ut non egeat. Sed Clericus non poteſt fidejubere in præjudicium Eccleſiæ ſuæ; multo minus Religioſus: Prælatus tamen in re modica.

8 Si plures fidejuſſores ſunt omnes ad ſolvendum idonei, non niſi ſecundum portionem obligantur. Quod ſi unus ſolvat, poteſt cogere creditorem, ut actionem ſibi contra reliquos fidejuſſores cedat, per quam eos compellat, ut ſinguli ſolutionis portionem refundant.

NB. Fidejuſſor etiam ante ſententiam Judicis in conſcientia tenetur ſolvere debitum in defectum Principalis; idque ex obligatione Juris naturalis propter promiſſionem.

9 Certi caſus ſunt, quibus fidejuſſor obligatione liberatur. 1. Si ita conventum fuit, ut elapſo tempore, vel cum fidejuſſor id peteret, fidejuſſione liberaretur. 2. Si debitor principalis bona ſua dilapidare incipiat, ut periculum fidejuſſori immineat. 3. Si fidejuſſor longo tempore in obligatione manſerit; quod Judicis arbitrio ex circumſtantiis æſtimandum eſt. 4. Si fidejuſſor ad ſolvendum condemnatus ſit; ſtatim, antequam ſolvat, agere poteſt adverſus debitorem principalem, ut ipſum liberet, & indemnem ſervet.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Frequenter evenire ſolet, ut Creditores, quia habent fidejuſſorem magis commodum, relicto principali debitore, agunt in judicio contra eumdem fidejuſſorem. Advertat ergo Confeſſarius id iniquum eſſe, & contra juſtitiam, niſi in caſibus ſupra exceptis, & moneat pœnitentem de obligatione exigendi ſuum creditum a debitore. Id evenire ſolet, dum debitor eſt in gradu æquali cum Creditore, & fidejuſſor inferioris conditionis; tunc enim potius contra hunc lis movetur, ut vel timore diſplicendi Creditori cogatur ſolvere, vel cogatur expenſas facere, ut ſe in judicio defendat. Moneat ergo Confeſſarius in hoc caſu ſuum Pœnitentem de injuſtitia, & de obligatione damna compenſandi.

II. Hæc regula eſt in praxi attendenda a Confeſſariis quoad fidejuſſionem mulierum. Solent hæ multoties pro liberando Patre, Marito, filiis &c. a vexatione creditorum pro ipſis fidejubere abſque publico contractu; ac deinde ſolvere. Hæc igitur fidejuſſio nulla eſt, ex dictis, in utroque foro, non ſolum quia multoties fit a muliere ignorante ſuum privilegium, ſed etiam quia irrita eſt ipſius fidejuſſio facta ſine publico inſtrumento tribus teſtibus conſignato. Hinc non ſolum repetere poteſt quod ſolvit, utpote ſolutum per errorem, ſed Creditor tenetur reſtituere, etſi mulier non repetat; ſicuti teneretur reſtituere quod habuiſſet ab aliquo, qui nullam cum eo contraxiſſet obligationem.

Advertat tamen Confeſſarius id verum eſſe, ſi mulier ſolvat ex bonis propriis, quæ non ſint ſub dominio Mariti; non vero ſi ſolvat ex bonis ſuo labore acquiſitis, quæ tamen communia ſunt ipſi Marito.

CAPUT XXX.

De Pignore, & Hypotheca.

1 NOmen pignus (quod eſt res alteri obligata in ſecuritatem debiti, ut, ſi aliter ſatisfactum non fuerit, inde ſatisfieri poſſit) ferme rebus mobilibus, hypotheca immobilibus tribuitur.

2 Hypotheca, ſeu pignus dividitur in Prætorium, quod ſubdividitur in Judiciale, ſic dictum; quia in executionem ſententiæ Judicis authoritate conſtituitur, mittendo creditorem in poſſeſſionem bonorum debitoris, poſtquam ille in ſolvendo contumax fuerit. Prætorium eſt, quod ante latam ſententiam a Magiſtratu conſtituitur, mittendo actorem in poſſeſſionem, vel retentionem bonorum, quatenus ipſi cautum ſit; puta, ſi Reus in judicio non compareat. Conventionale eſt, quod partes contrahentes expreſſe conſtituunt ſive rei interventu, ſive ſolo conſenſu.

NB. Non prohibetur, qui rem in pignus, ſeu hypothecam accepit, alteri oppignorare, tamen abſque præjudicio illius, cujus pignus.

3 Pignus, ſeu hypotheca conventionalis alia eſt generalis, quæ ad omnia bona ſe extendit, exceptis veſtibus, inſtrumentis artificum, Doctorum libris. Alia particularis, quæ eſt unius, vel plurium rerum in ſpecie obligatio.

Legitimum, ſive tacitum pignus eſt, quod ſola legis diſpoſitione conſtituitur.

Talem

Talem hypothecam habet. 1. Fiſcus in bonis cujuſcunque debitoris. 2. Pupillus in bonis tutoris: Eccleſia in bonis Adminiſtratorum ſuorum: Quia *Eccleſia jure Minorum fungitur*. 3. Liberi in bonis patris pro adminiſtratione bonorum adventitiorum. 4. Maritus in bonis uxoris pro dote promiſſa, & viciſſim uxor pro reſtitutione dotis in bonis mariti, etiam per retentionem mortuo marito poteſt inſiſtere bonis mariti, relictis in domo. 5. Quæ a conductore in urbanum prædium inducta ſunt, vel illata, tacitæ hypothecæ loco obligata cenſentur pro penſione, & damno rei.

NB. Quæ inquilinus in domum invexit, interim a domino retineri poſſunt, donec ei penſio debita ſolvatur, ob generalem regulam Gail. Si res debitoris ſine vitio perveniat ad creditorem, & ſubſit cauſa retinendæ rei cohærens, interim retineri poſſe, V. C. veſtem a ſartore, ob non ſolutam mercedem.

4 Quæ res vendi, eæ etiam oppignorari poſſunt, etiam uſusfructus, emphyteuſis. Quæ autem vendi prohibitæ ſunt, eæ ferme etiam oppignorari non poſſunt, eo quod oppignoratio ſit ſpecies quædam alienationis.

5 Pignoris creditor alteri oppignorare non prohibetur, ſine præjudicio tamen debitoris.

6 Pactum legis commiſſoriæ, in eo conſiſtens, ut, ſi debitum V. C. ex mutuo ad certum tempus ſolutum non ſit, pignus creditoris exiſtat, utroque Jure reprobatur: Tamen juſtum eſt pactum, ut, ſi ad certum diem ſolutio ſacta non fuerit, juſto tunc pretio ſecundum boni viri arbitrium æſtimando vendi debeat: Nam ejuſmodi obligatio debitori imponitur partim in pœnam juſtam propter dilatam ſolutionem, partim ob intereſſe creditoris, ut is indemnis ſervetur.

NB. Debitore in mora exiſtente biennio elapſo poſt trinam denuntiationem pignus diſtrahere licet; ipſe tamen creditor non poteſt emere.

NB. Pœna conventionalis mediocris adjecta a debitore in conſcientiæ foro ſolvi debet, contra Sanchez (*a*).

„ (*a*) Excipe tamen, ſi debitor non ſolvit, quia „ eſt impos; cum enim non peccet differendo ſolutio„ nem, non poteſt eſſe obligatus ad ſolvendam pœ„ nam: nam pœna debet correſpondere culpæ.

7 Fructus ex pignore perceptos creditor in partem ſortis exonerandæ computare debet. Ratio: Quia debitor manet dominus pignoris, ideo tam uſus, quam fructus, vel æſtimatio eorum eidem debetur.

8 Debitor rem, quam uni oppignoravit, alteri vendere non prohibetur: Emptor tamen de evictione tenetur.

NB. Si res particularis, uni oppignorata, poſtea alteri oppignoretur, cum tamen ad utriuſque debiti ſecuritatem non ſufficiat, refert, utrum id factum fuerit ſciente priore creditore, atque ignorante poſteriore; tunc prior ille juri ſuo cedere videbitur. Sin autem inſcio priore creditore, manet illi ſaltem jus priſtinum; ſed poſterior, ſi neſcivit, rem ante oppignoratam eſſe, agere poteſt adverſus debitorem ſuum hypothecaria actione, ut rem aliam ſufficientem in pignoris locum ſubſtituat. Adde, quod in hoc caſu etiam actio de crimine ſtellionatus ob calliditatem debitoris intentari poſſit. Dictum autem ſtellionatus, ſeu callidæ ſimulationis crimen a ſtellione varii coloris animali.

9 Oppignorato fundo, vel alia re frugifera, etiam fructus oppignorati cenſentur: Quia cenſentur pars fundi, ideoque eandem hypothecæ obligationem ſubeunt, & poſſunt a creditore vindicari deductis expenſis.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Valde expedit Confeſſarium non ignorare, quando adſit hypotheca, nec ne; cum etenim creditor hypothecarius prælationem habeat quoad alios non hypothecarios, hinc eſt quod ſi attendatur ſola ratio temporis, accidere poteſt aliquem Creditorem male numerari inter eos, cui ex hæreditate non poſſit ſatisfieri. Hinc credidi male collocatum inter Creditores poſteriores unum, cui debitor defunctus publico inſtrumento faſſus erat illi debere 300. nummos aureos ex mala adminiſtratione bonorum ipſius Creditoris. In graduatione Creditorum hic conſideratus fuit ut ſimplex Creditor a die, a quo de ſuo credito factum fuerat publicum inſtrumentum, & ita nil ex hæreditate obtinuit. Ego vero dicebam conſiderandum, ut Creditorem hypothecarium, & hypothecam recepiſſe a die ſuſceptæ a Defuncto adminiſtrationis.

II. Quandoque debitores, quod pro ſuo debito pignus creditori tradiderint, putant retardare poſſe ſolutionem faciendam vel tempore determinato, vel quando ſine gravi incommodo ſunt ſolvendo. Advertat ergo Confeſſarius non proinde debitores tutos eſſe in conſcientia; nam pignus datur ob ſecuritatem crediti, non vero ut retardetur ſolutio, quando fieri debet. Inſurgit P. Layman P. 1. proinde etiam obligatio reſtitutionis, ſi ex mora ſolvendi creditor damnum patiatur, vel ei ceſſet aliquod lucrum.

III. Aliud, quod in praxi attendere debent Confeſſarii, eſt quod multoties habentes pignus, videndo debitores retardare ſolutionem, illud quocumque pretio diſtrahunt, ut ſibi ſolvant proprium creditum. Primo ergo poſſunt peccare contra juſtitiam, ni prius moneant debitorem de venditione pignoris, ut poſſit ſibi conſulere, vel ſolvendo, ſi poteſt, vel ab alio eodem pignore debitam pecuniam comparando. Item poſſunt creditores peccare contra juſtitiam, quando ipſis ſatis eſt ex pignore pecuniam ſufficientem pro ſuo credito retrahere, non curantes aliquid ſupereſſe in favorem debitoris, quod modica diligentia aſſequi poſſent. Semper cum ergo in hoc caſu ipſe debitor non conſentiat, etſi pignus diſtrahatur infimo pretio, cum facile poſſet medio, Creditor tenebitur de damno illato, ut de ſe patet. Demum in venditione pignoris poteſt peccari contra Charitatem, tunc ſcilicet quando creditor nullum pateretur damnum, nec ullum ipſi ceſſaret lucrum ex mora aliqua ſolvendi, & nihilominus, quia tempus advenit ſolutionis, vult omnino a debitore pignus vendi cum gravi ipſius damno.

CAPUT XXXI.

De Tranſactione.

1 TRanſactio eſt de re dubia, & controverſa non gratuita pactio. Dicitur 1. *De re dubia*. Si enim per tranſigens ſciat, jus ſibi nullum in re competere, tum in conſcientiæ foro, tum etiam in externo tranſactio irrita eſt, vel ſaltem doli mali exceptione reſcindenda.

2 Qui in tranſactione bona fide facta immodice læſus eſt, V. C. infra dimidium juſti, reſciſſionem ejus petere non poteſt.

NB. 1. Ad Tranſactionis juſtitiam neceſſe eſt, ut pro lucri pendentis arbitrio ſervetur æqualitas.

NB. 2. Tranſactio legitima parit exceptionem litis, perinde ac ſi res in judicio deciſa eſſet, juxta l. non minorem. *Non minorem tranſactionem, quam rerum judicatarum authoritatem eſſe.*

NB. 3. Tranſactio eſt contractus reciprocus innominatus.

3 Qui alienare rem prohibentur, ii neque circa eam tranſigere, aut compromittere poſſunt; V. C. hæres fideicommiſſo gravatus; Tutor ſine Judicis decreto; vaſallus in feudo ex pacto ſine conſenſu domini. Tranſactio in bonis immobilibus Eccleſiaſticis, aut mobilibus pretioſis ſine ſolemnitate irrita eſt.

4 Procurator Principis non poteſt tranſigere ſine conſenſu. In neceſſitate tamen poteſt fieri tranſactio, V. C. ad diuturnas lites finiendas.

5 Tranſigere in crimine publico, cui pœna ſanguinis imponi ſolet, prohibitum non eſt, videlicet dando adverſario pecuniam, ut accuſatione abſiſtat. Excipe adulterium; idque propter dedecoris notam, quæ conjugi innocenti, ejuſque conſanguineis ex tali tranſactione aſpergi poteſt. In aliis vero criminibus cum accuſatore tranſigens pro confeſſo habetur, excepto crimine falſi, circa quod tranſactio valida eſt: Quia, licet pœnam ſanguinis non ingerat, tamen condemnato gravem infamiam irrogat, a qua ſe liberare Reus omnino deſiderat. Veruntamen praxis Judicum obtinet, ut, licet accuſatio de crimine per tranſactionem abolita ſit, Judex tamen vel actore accuſante, vel per inquiſitionem novo judicio procedere non prohibeatur.

In aliis vero publicis criminibus, quibus pœna ſanguinis irroganda non venit, ſi Reus aliquo dato cum adverſario tranſigat, habetur pro confeſſo, juxta l. ult. ff. de prævaric. *Quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciſcitur*. Quare ordinaria criminis ejus pœna aſſici poteſt, niſi probet, ſe innocentem eſſe, & pecuniam V. C. ſolum ad redimendam vexationem dediſſe.

6 Non valet tranſactio ſine Judice facta de relictis in teſtamento, niſi inſpectis verbis teſtatoris.

7 Si tranſactio circa unam, vel plures res particulares fiat, non extenditur ad alias ejuſdem cauſæ controverſias contentas, niſi connexæ ſint.

8 Tranſactio generatim, ſeu indefinite facta ad omnia particularia ſe extendere cenſetur, ſaltem ea, de quibus tractatus præceſſerat, etſi ea in ſpecie incognita ſint: Quia ſatis eſt, ea confuſe, ſive in genere cognita, adeoque comprehenſa fuiſſe, ſi excepta non ſint.

9 Judex in cauſa valde dubia tranſactionem partibus ſuadere debet, ſed ad eam compellere non poteſt, exceptis quibuſdam caſibus. 1. Niſi Judex ſit ſupremus, qui in illa cauſa liberam diſponendi facultatem obtinet, puta, Papa in Eccleſiaſticis beneficiis. 2. Si partes diu litigaverunt, quia cauſa valde dubia eſt, ut difficile ſit, eam decidere; hoc caſu Judex, præſertim ſupremus, ad tranſactionem partes compellere poteſt. Idem aliquando poteſt Epiſcopus in cauſa beneficiali.

10 Si diviſio hæreditatis V. C. inter fratres inſtituenda ſit, ad majorem natu pertinet ex æquo dividere, ad minorem eligere: Ubi vero talia conſuetudo non eſt, ad Judicem pertinet, juſtam diviſionem inſtituere.

Regula in praxi obſervanda.

Regula pro praxi adnotanda a Confeſſario eſt, multoties in tranſactionibus apertas committi injuſtitias. Primo enim, aliquando ſine ſufficienti fundamento lis minitatur parti poſſidenti; unde hæc, ut ſe redimat a vexatione, & ab expenſis litis, tranſigit cum parte minitante, aliquam pecuniam erogando, quod omnino injuſtum eſt, ſi non detur prudens fundamentum litem intentandi. Secundo, altera intervenire poteſt injuſtitia in his tranſactionibus, ut ſcilicet litem minitando inducatur pars ad erogandum plus, quam mereantur rationes illius, qui vult litem intentare. Ut igitur dictum eſt, in tranſactionibus non dandum eſt tranſigentibus niſi pro rata rationum, quas videntur habere; ita ut ſi rationes judicentur hinc inde æquales, res ſit dividenda; ſi majora momenta videantur aſſiſtere uni parti, quam alteri, illi etiam plus ſit tribuendum. Si proinde una pars litem minitando &c. plus extorqueat, quam videantur mereri ipſius rationes, in tali tranſactione intervenit injuſtitia.

TRACTATUS V.

De Teſtamento, aliiſque ultimis Voluntatibus.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Teſtamentum, & quotuplex?

1 TEſtamentum (quaſi teſtatio mentis) *eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem fieri velit. Juſta.* Id eſt: Diſpoſitio legitima, ſive Juri congrua.

2 Teſtamentum inter ultimas voluntates principatum tenet, requirens hæredis inſtitutionem. Reliquæ autem ultimæ voluntates (codicillus, legatum) hæredis inſtitutionem non requirunt, & imperfectæ, ac diminutæ ſunt.

NB. Milites habent ſpeciale privilegium, etiam in codicillo hæredem directe inſtituere poſſunt.

3 Duplex eſt teſtamentum. Unum in ſcriptis, ſive clauſum, quod ſua propria, vel alterius manu conſcriptum coram 7. teſtibus maſculis, puberibus, liberis, ad id rogatis, octavus pro ignorante ſcribere teſtatore ſubſcribit loco ipſius: Quod ſi ipſe poſſit, non opus erit alio. Alterum eſt nuncupativum, ſolum requirens, ut 7. teſtes ſimul vocati ſint, qui audiant, & intelligant teſtatoris voluntatem, coram eis ſcripto, vel voce articulata prolatam. Solet tamen hodie talis nuncupatio coram teſtibus, & Notario in ſcripturam redigi non ad actus ſubſtantiam ſervandam, ſed ad meliorem ejus comprobationem, & ſecuritatem: Quia fieri poteſt, ut teſtes interim decedant, vel inhabiles reddantur, quorum defectum Notarius ſupplet, ut inſinuatione nulla apud Judicem opus ſit.

NB. 1. Surdus, cæcus, mutus, prodigus, furioſus, jure infamis, ad teſtamentum inhabiles ſunt; item, qui in teſtatoris poteſtate ſunt: Pater in filii teſtamento non recte teſtis adhibetur, nec hæres. Legatarius tamen poteſt eſſe teſtis in eo teſtamento, in quo ipſi aliquid relictum eſt; ſicuti & qui tutor liberis a patre nominatus eſt. Notario nihil relinqui poteſt; bene tamen dictanti. Religioſi teſtimonium a teſtamentis non repellitur.

NB. 2. Teſtamentum valet, ſi Tabellione, vel alio quopiam coram teſtibus interrogante teſtatorem, num hunc V. C. Cajum hæredem inſtituere velit? teſtator verbo expreſſo annuat. Sæpe tamen infringitur, allegando, teſtatorem non ſatis compotem mentis fuiſſe, vel non auſum contradicere.

NB 3. Teſtamentum valet, ſi teſtator hæredis inſtitutionem, & legata coram 7 teſtibus non exprimat, ſed ſolum mentionem faciat ſcripturæ, aut ſchedulæ, quam tali V. C. Confeſſario tradiderat, in qua voluntatem ſuam contineri aſſeveret.

4 Pactum de futura ſucceſſione irritum eſt. Ratio; Quia jus hæreditatis futuræ pacto acquiri, vel auferri nequit. l. hæreditas. *Pactum inter privatos ſcriptum, ut is, qui ſupervixerit, alterius rebus potiatur, ne donationis quidem mortis cauſa geſtæ ſpeciem efficaciter oſtendere.*

Pactum ſucceſſionis in propria hæreditate favore militum & cauſæ piæ explicatur, ut ſit inſtar ultimæ voluntatis, quæ ante mortem non confirmatur: Nam ſolemnitates illæ civili Jure introductæ in cauſis piis locum non habent. Volo dicere: Si quis velit ſua bona Eccleſiæ, aut pauperibus poſt mortem ſuam obvenire, quomodocunque diſponat, ſive paciſcatur, validam eſſe diſpoſitionem, ita tamen, ut ante mortem revocare poſſit.

NB. Ejuſmodi pacta tamen valent inter privatos, ſi fiant de futura ſucceſſione reciproca, dummodo fiant per modum donationis morte confirmandæ. Idque inter conjuges receptum eſſe in Germania, teſtatur Mynſingerus.

Regula in praxi obſervanda.

I. Confeſſarius non facile ſuadeat Pœnitenti Teſtamentum ſcriptum; cum etenim ad illius valorem multæ deſiderentur ſolemnitates, facile erit in eis errare, atque ita Teſtatoris diſpoſitiones faciliime a Judice declarabuntur invalidæ.

II. Notet ſecundo Parochus aliquando Domeſticos Moribundi, vel ipſum etiam Moribundum ſine fundamento ſollicitos eſſe, quia non reperitur Tabellio, qui ipſius excipiat Teſtamentum. Advertat igitur ad teſtamentum nuncupativum nullam exigi ſcripturam, & ſatis eſſe ſi Teſtator coram ſufficienti numero teſtium exprimat ſuam voluntatem, præcipue inſtituendo determinatum hæredem, ſine qua inſtitutione, ut dictum eſt, omnino corruit teſtamentum. Ut totius etiam rem agat, advertat Confeſſarius, vel Parochus, cui Teſtator manifeſtavit ſuam voluntatem, ut ſi timeat tempore quo vult illam conſcribere, vel quo advocandi ſunt teſtes, ægrotum ſemper magis debilitandum, bene faciat ſi advocet ſaltem duos domeſticos teſtes, quibus Teſtator exprimat ſe Confeſſario, Parocho, vel alteri manifeſtaſſe ſuam voluntatem, ipſoſque rogaſſe, ut venientibus teſtibus eaſdem communicarent. Hac adhibita cautela, cum duo teſtes ſufficiant ad legitimam probationem, etiamſi Teſtator interea ita debilis evadat, ut non poſſit niſi capite annuere Parocho dicenti coram ſufficientibus teſtibus talem, ac talem eſſe ipſius voluntatem, Teſtamentum validum erit.

III. Advertat Parochus, & Confeſſarius itaque aliquando excipi a Moribundis teſtamenta, vix valentibus ad interrogationem alterius reſpondere *ita eſt*, ſeu capite annuere. Quamvis igitur aliquis Teſtator prius egerit cum aliquo, ipſique ſuam manifeſtaverit voluntatem, ſimulque mandaverit ut teſtibus proponeretur, nihilominus, poſtquam hi advenere, ita debilis factus ſit, ut vix ad interrogata poſſit reſpondere *volo*, vel capite annuere, faciliime præſumi poteſt non ſatis habere ſanum intellectum, nec ſerio dicere *volo*, ſeu adnuere, & ita etiam teſtamentum faciliime nullum erit. Solum ſuſtineretur hoc teſtamentum, ſi prius adhibiti eſſent duo teſtes, ut explicavi in regula ſuperiori. Multo minus validum erit teſtamentum, ſi Teſtator, qui cum nullo antea egerat de eo faciendum, dum poſtea interrogatus a Parocho, vel Notario etiam coram ſufficientibus teſtibus vix valeat reſpondere *volo*, *ita eſt*, ſeu capite annuere; nam in hoc caſu nullatenus conſtat de ſeria ipſius voluntate, & præſumi etiam poteſt potius ad removendam moleſtiam eo modo reſpondere, quam animo teſtandi. Ex de facto talis Teſtator in jure mortuo æquiparatur: *leg. jubemus 29. C. de teſtam.* Communiter ergo hujuſmodi teſtamentum nullum reputatur quoad hæredis inſtitutionem, & idem dicit major pars DD. etiam quoad legata.

Si vero Teſtator, etſi antea nil egerit de faciendo teſtamento, nihilominus ad alterius cujuſcumque interrogationem non ſolum reſpondeat *volo*, *annuat capite &c.* ſed etiam ad diverſa puncta diverſis verbis reſpondeat, quædam affirmando, & quædam negando, tunc ex dictis certum eſt teſtamentum valere.

IV. Teſtamentum a Parocho, vel ab altero conſcriptum iterum eſt legendum coram Teſtatore, ne opponatur aliquid fuiſſe conſcriptum alienum ab ipſius mente: *leg. ſidei c mm. §. Quoties, ff. de legat.* Nihilominus ſi teſtes ſufficienter audierint omnem voluntatem Teſtatoris, & teſtari poſſint in ſcriptura nil eſſe alienum ab ipſius mente, teſtamentum erit validum; neque etenim ad teſtamentum nuncupativum ſcriptura requiritur, adeoque nec ipſius lectio: ſed ſolum quod ex ſufficienti numero teſtium conſtet de Teſtatoris voluntate.

V. Bene advertat Parochus, qui neceſſe habet alicujus condere teſtamentum, quod teſtes ſint idonei, unde admittere non debet mulieres, impuberes, ſervos, furioſos, mutos, ſurdos, alioſque, quos propter ſuam improbitatem Leges repellunt a ferendo teſtimonio. Neque etiam debet admittere cæcos, qui Teſtatorem videre non poſſunt. Religioſi poſſunt eſſe teſtes, etſi Monaſterium inſtitutum eſſet hæres, vel legatarius, quia cauſa Monaſterii non eſt cauſa ſingulorum Religioſorum, ſicut cauſa Eccleſiæ eſt cauſa ſingulorum Clericorum.

VI. Pro praxi advertat Confeſſarius nullatenus obligandum ad reſtitutionem ante Judicis ſententiam illum, qui aliquid poſſideret ex teſtamento minus ſolemni, quia eſt probabiliſſimum tale teſtamentum, licet non pariat obligationem civilem, adhuc parere poſſe obligationem naturalem.

E contra in praxi neque obligarem ad reſtitutionem illum, qui tamquam ſuccederet ab inteſtato, non attendens teſtamentum minus ſolemne, ſive totam, ſive partem hæreditatis Defuncti accepiſſet. Ratio mihi eſt, quia etiam valde probabilis eſt ſententia, eamque multi docent Theologi, quæ docet ſolemnitates juris requiri pro forma ſubſtantiali, ſeu validitate teſtamenti, ſicut & cujuſcumque alterius contractus; tum quia volunt leges præſcribentes earum ſolemnitates, non præciſe fundari in præſumptione actualis doli, ſed in periculo ejuſdem, quod ſemper adeſt; tum quia Princeps poteſt pro bono publico, & ad vitandas fraudes velle pro nullo foro ſubſiſtere contractum, ſive teſtamentum carens præſcriptis ſolemnitatibus. Cum igitur probabile valde ſit hæredem ab inteſtato poſſe adire hæreditatem contra teſtamentum minus ſolemne, non eſt expoliandus a Confeſſario ſua poſſeſſione, uſquedum evidenter demonſtretur injuſte poſſidere.

VII. Juxta noſtrum Statutum ad valorem Teſtamenti, de quo appa-

appareat publicum Inſtrumentum, ſat eſt ſi adfuerint tres teſtes maſculi, & idonei, quamvis non rogati. Et id etiam ſatis eſt, ſi a Cive Lucenſi, vel diſtrictuali alibi in Italia fiat Teſtamentum, quamvis, ubi conditum eſt, ex Statuta loci major numerus exigeretur. Quod ſi ibi minor exigeretur, valarat teſtamentum factum juxta conſuetudinem loci. Dum vero Teſtamentum per publicum Inſtrumentum extra Italiam factum aſſat, ſufficaret intervaniſſe duos teſtes italicos, vel tres alarius nationis, vel minores etiam, ſi ita ferret conſuetudo loci, in quo factum eſſet Teſtamentum. Si vero Teſtamentum fiat ſine publico Inſtrumento, exiguntur quinque teſtes. Si vero Teſtamentum fuerit ſcriptum manu Teſtatoris, ſat eſt ſi ſubſcribatur a tribus teſtibus idoneis, etiam non rogatis, vel etiam ignorantibus quid in Teſtamento contineatur, & deinde ſubſcribatur ab ipſo Teſtatore aſſerente Teſtes de ipſius voluntate ſubſcripſiſſe. Demum non requiritur Teſtatorem ore proprio hæredem nominare; dummodo de ejus voluntate appareat per ſcripturam. *Statutor. l. 2. c. 1.*

CAPUT II.

De Teſtamentis privilegiatis.

1 TEſtamenta privilegiata voco, in quibus vel nulla Juris civilis ſolemnitas requiritur, vel non tam plena, & perfecta. Ex horum numero primum locum obtinent teſtamenta, & legata ad pias cauſas, id eſt, quæ præcipue ad honorem Dei, Sanctorum honorem, vel animæ ſalutem facta, puta, quæ Eccleſiis, piis locis, vel in captivorum redemptionem, in pauperum, vel Religioſorum, quamvis conſanguineorum, ſuſtentationem, in ſatisfactionem pro peccatis &c. relicta ſunt.

2 In teſtamentis, & legatis ad pias cauſas nulla civilis ſolemnitas requiritur. Ratio: Quia Jura ſæcularia cauſis Eccleſiaſticis nullum præjudicium afferre poſſunt, niſi a S. Pontifice recepta, & approbata ſint: ſed ſolemnitates civili Jure introductæ circa Eccleſiaſticas cauſas receptæ non ſunt: Ergo.

3 Seu nutu, ſeu quocunque ſigno ad piam cauſam quidpiam relinquatur, valida eſt diſpoſitio: Quia Jure naturali, ac gentium plus non requiritur. Idem ſentiendum de muto, & ſurdo.

Coroll. Validum eſt teſtamentum, & quæcunque voluntas ad pias cauſas (exemplum habes in D. *Fleiſchbein*) manu teſtatoris ſcripta, etſi nullus teſtis adhibitus fuerit; modo ſufficienter conſtet, eſſe ſcripturam teſtatoris: Quia ad ſubſtantiam talis teſtamenti non requiritur interventus teſtium, licet ſæpe duo, vel tres requirantur ad probationem, ſi aliud probationis genus haberi non poſſit.

4 Unus teſtis ſufficiens non eſt ad probationem cum alterius præjudicio. C. licet univerſis, de teſtibus. Expediebat enim, certam regulam ſtatuere ad impediendas hominum fraudes, ut ad minimum duorum conteſtatione opus ſit; quia alioquin plurimæ fraudes, & injuriæ contingerent. Unde illud: *Unus teſtis, nullus teſtis.*

5 Nulla teſtium probatione opus eſt, ſi de veritate conſtet V. C. hæredi, aliquid ad pias cauſas a teſtatore legatum fuiſſe; etſi in foro externo id nequaquam probari poſſit, tamen in conſcientiæ foro ſatisfacere obligatus eſt.

NB. Parocho producenti manum a confitente vel ſcriptam, vel ipſi dictatam, in qua legata in pias cauſas continentur, debet eredi, ſi manus teſtatoris agnoſcatur, vel coram duobus teſtibus ejus voluntas probari poſſit. Parocho tamen ipſimet ſcribenti non creditur, niſi adducat duos teſtes maſculos, aut fœminas; quamquam etiam unus cum Parocho ſufficere poterit, licet legatum ſit pro Eccleſia ſua (NB. quod tamen in Curia Aſchaffenburgenſi rejectum eſt in legato Pellionis Uxoris Evæ Gabit.)

Item, ſi teſtator in teſtamento, vel coram teſtibus voluntatem ſuam declaravit, quod velit quædam ad pias cauſas erogare, ſicut V. C. Confeſſario ſuo mandaverat, Confeſſarius debet audiri; modo talia indicia afferat, ut ſpectatis circumſtantiis veriſimile ſit, defunctum ea ipſi mandaſſe.

6 Teſtamentum inchoatum, ſed non perfectum (ut in D. *Fleiſchbein*) valet duntaxat quoad legata pia.

7 Teſtamentum alterius arbitrio commiſſum valet piæ cauſæ favore. V. C. *Inſtituo hæredes bonorum meorum pauperes, quos Titius elegerit.* Vel; *Committo omnia bona mea arbitrio, vel diſpoſitioni Titii.* Tunc Titius ſolo nomine hæres cenſetur, atque obligatus eſt, totam hæreditatem in cauſas pias diſtribuere. Quia talis non decedit inteſtatus.

8 Captatoria inſtitutio irrita eſt, V. C. quæ fit cum conditione aptata ad alterius animum captandum. V. C. *Inſtituo hæredem Sempronium, ſi & ipſe me, vel fratrem inſtituerit.* Nam talis teſtatio etiam ne quidem in milite valet; quia bonis moribus adverſatur ejuſmodi conditio aptata ad adulandum alteri, & deludendum: Nam, qui conditionem appoſuit, poſtquam ab altero inſtitutus eſt, voluntatem ſuam mutare poterit; cum ultima voluntas (uti dici ſolet) ambulatoria ſit uſque ad ultimum ſpiritum, & ante firma non cenſeatur.

P. Laym. P. I.

9 Legata pia ab hæreditatis aditione non dependent, ſicuti legata profana: Nam, quod legata peti non poſſint, hæreditate non adita, eſt ſolemnitas civili Jure introducta.

10 Teſtamentum ad pias cauſas valet etiam quoad legata profana acceſſorie inſerta. Ratio eſt quia ſubſiſtente principali convenit etiam ſubſiſtere acceſſorium. Et infirmatio ultimæ voluntatis ob defectum civilium ſolemnitatum ad cauſſas pias non pertinet.

11 Teſtamentum non ſolemne inter liberos valet, V. C. quod a patre, matre, avo, avia, inter liberos conditum eſt; ſicut ſtatuit Conſtant. in l. ult. Cod. famil. herciſc. *Seu Epiſtola parentis eſſe memoretur, ſive quocunque alio modo ſcripturæ, quibuſcunque verbis, & indiciis inveniantur relictæ.*

12 Licet extrinſeca teſtamenti imperfectio ob legalium ſolemnitatum defectum non vitiet teſtamentum inter liberos; quippe quod ob mutuam charitatem ceſſare debeat inter eos omnis ſuſpicio fraudis, ad quam cavendam alioquin Juris ſolemnitates requiruntur. Secus tamen dicendum de imperfectione intrinſeca, id eſt, ſi teſtator voluntatem non plene declaravit.

NB. Extrinſece imperfectum teſtamentum valet etiam, tametſi pater liberos ſuos inæqualibus portionibus inſtituerit: Nam talis inæqualis diviſio habet vim prælegatorum. Item, valet etiam erga liberos Principis reſcripto, multoque magis ſubſequente matrimonio legitimatos. Imo etiam erga naturales, ſi mater non ſit Illuſtris: Quia comparatione matris filii naturales quaſi legitimi habentur.

13 In teſtamento ſcripto inter liberos condito major ſolemnitas requiritur (nimirum temporis conditi teſtamenti adjectio, nomina filiorum, & portiones manu teſtatoris ſcriptæ, aut ſaltem ſubſcriptio patris, aut filiorum) quam in nuncupativo; quia circa illud Juſtinianus nihil innovavit, ſi coram duobus teſtibus maſculis, vel fœminis factum fuiſſe conſtet. Etiam tale teſtamentum ſcriptum a patre quoad legata extraneis relicta valet.

Porro de teſtamento deſcendentium erga aſcendentes nullum privilegium in Jure reperitur.

14 Teſtamentum, quod miles in bellica expeditione ſine Juris ſolemnitate condidit, firmum eſt, etiam poſt miſſionem, ſi ille intra annum moriatur; modo duo teſtes adfuerint, etiam non rogati.

15 Teſtamentum coram Principe oblato libello conditum, vel coram Judice publice inſinnatum aliam teſtium &c. ſolemnitatem non requirit: Quia acta judicii habent vim teſtium.

16 Hominibus ruſticanis ſufficiunt quinque teſtes, ſi plures in eodem loco, ubi teſtamentum condere volunt, haberi nequeunt. Nec opus eſt ſubſcriptione teſtium, ſi inveniri literati non poſſint. Secus, ſi reperiri poſſint.

17 Æquum eſt, ut ſi in loco, V. C. peſtis tempore, plures teſtes advocari non poſſint, duorum præſentia ad valorem teſtamenti ſufficiat (eo quod lex non obliget illos, qui ea ſervare non poſſunt: Sed hæc ratio infirma eſt; quippe cum, ſi inter ruſticanos deſint quinque teſtes, teſtamentum irritum eſt, etiamſi non poſſint haberi quinque) licet ſpectato Juris rigore aliud docendum ſit. Ratio Aſſertionis eſt: Quod ob æquitatis rationem in Camera Imperiali receptum ſit, ut teſtamentum coram duobus teſtibus, vel tribus, inter quos tres Confeſſarius unus eſſe poteſt, peſtis tempore valeat.

18 NB. In terris Summo Pontifici ſubjectis valet teſtamentum coram Parocho, & duobus teſtibus, vel tribus aliis conditum. (*a*) Venetiis, & Viennæ tali tempore de conſuetudine ſufficiunt duo teſtes.

„ (*a*) Requiri tamen omnino præſentiam Parochi,
„ nec ſufficere Cappellanum, & Confeſſarium ordina-
„ rium, atque teſtes neceſſario debere eſſe maſculos
„ excluſis fœminis, notat Bened. XIV. in inſtit. Eccleſ.
„ inſtitut. 105.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Cum in teſtamento ad pias cauſas ſatis ſit certo ſcire voluntatem Teſtatoris, ex hoc poteſt Confeſſarius advertere, quod ſi Teſtator dedit alicui occulte pecuniam; ut in hoc vel illud opus pium eroget, poteſt ipſe tuta conſcientia pecuniam in opus ſibi injunctum ſumere. In hoc tamen neceſſaria eſt prudentia Confeſſarii, dum ipſi tradita fuerit pecunia; ſi etenim id non fuerit adeo occultum, & penitus ſcire non poſſit hæres, Confeſſarius ſe exponet multis detractionibus, quaſi ipſe vel minus juſte egerit, vel ſaltem ea pecunia negotium ſuum facere voluerit. Si ergo hæres aliquid ſcire poſſit de ea pecunia, optimum erit, ſi curet, ut ipſe Teſtator cum hærede de hoc ſermonem habeat.

II. Quia dum non conſtat aliunde de voluntate Teſtatoris, neceſſarii ſunt duo teſtes pro valore teſtamenti ad cauſas pias, hinc eſt Confeſſarium imprudenter agere, ſi aſſumat unus ipſe ſolus referendi hæredibus poſt ejus mortem voluntatem Teſtatoris quoad aliquam cauſam piam, neque etenim ipſi ſoli tenentur credere. Vel ergo curet, ut Teſtator ſubſcribat manu propria quæ ad piam cauſam reliquit; vel quod ſaltem adſint duo teſtes, dum ſuam manifeſtat voluntatem.

III. Advertat tertio Confeſſarius, quod, ſi aliqua probabiliter ſuſtineri poſſint tamquam non pia, vel de eis non diſpoſitum fuiſſe prout de jure neceſſe erat, non debet cogere hæredem, ut veluti pias diſpoſitiones reſpiciat, ac excommunicatione in noſtra Diœceſi lata ſonodari, ſi aliis non ſatisfaciat. Ratio eſt, quia propter jus alterius non certum haud debet ipſe expoliari ſua poſſeſſione. Exemplum ſit in eo, qui aliqua reliquiſſet pauperi conſanguineo, vel alicui conſanguineo religioſo; & non appareret, an Teſtator habuerit motivum pium, vel profanum, quale eſſet conſanguinitas, ſeu affinitas. Exemplum autem legati pii, de quo dubitari poteſt, an validum ſit nec ne, eſt legatum pium relictum in teſtamento alias nullo, quamvis diterim ſuſtineri poſſe quoad legata pia. Hac de re videndus *Bord. de Legat. cap. 5. n. 5. Barboſ. de Jur. Eccl. l. 3. cap. 27. num. 95.*, & alii apud ipſos. Fortaſſe etiam dubitari poſſet, an teſtamentum, ſeu legatum pium validum ſit, quoties duo teſtes pro eodem neceſſarii, jure civili inhabiles ſint ad teſtificandum; Vide Fagnanum *in cap. cum eſſet* 10. *de teſtam.* quamvis ipſe ſentiat affirmative. An vero ſatis probabile ſit non eſſe attendendum teſtamentum, ſeu Legatum pium, ſi non interfuerint duo teſtes, quamvis alias conſtet de mente Teſtatoris, videndum eſt apud Authores, cum non deſint qui velint duos teſtes requiri, non ſolum quoad probationem, ſed etiam quoad ſubſtantiam teſtamenti, ſeu legati pii.

IV. Non præceps ſit Confeſſarios in judicando aliquod teſtamentum, ſeu legatum factum fuiſſe ad pias cauſas, etſi in teſtamento legatur Teſtatorem intendiſſe facere opus pium vel adſint alia verba, quæ indicare videantur opus ſpirituale, ſeu motivum. Cum igitur hujuſmodi apponi potuerint ex ſolitis Notariorum formulis; ut Confeſſarius bene judicet, attendere debet, an vere Teſtator reſpexerit opus ſpirituale, ſeu habuerit motivum ſpeciale in hærede inſtituendo, vel in legato faciendo. Hinc certo certius credidi non eſſe reputandum vere pium quoddam legatum relictum pro nubendis quibuſdam determinatis puellis, quod tamen ita diſtribuendum diſpoſuerat Teſtator, ut illud promiſcue conſequi poſſent puellæ pauperes, & divites; quin immo accidere poterat quibuſdam annis ſolummodo illud puellas divites conſequi. Attenta ergo hujuſmodi diſpoſitione, manifeſtum erat Teſtatorem non contemplaſſe pauperes ſublevare, ſed ſolummodo favere puellis illius ſtatus, pro quibus reliquerat legatum. Quod ſi non contemplatas fuerat pauperes puellas ſublevare, ſed tales determinati ſtatus, puta puellas nobiles, vel pauperes eſſent, vel non, remanet ipſius legatum vere non fuiſſe pium, quamvis pium dixerit Notarius, ſimulque etiam titulo eleemoſynæ a Teſtatore fuiſſet relictum.

V. Debet etiam diligenter advertere Confeſſarius, qua ratione fuerit imperfectum teſtamentum, ſeu legatum pium; nam ſi fuit imperfectum propter voluntatem non omnino determinatam Teſtatoris, omnino corruit. Id evenit, ut ſupra innui, quando Teſtator nondum proponit determinate ſuam voluntatem ut adimplendam, ſed tantum loquitur, & proponit quod expediat ipſi facere. Ut ſi diceret, dum faciam teſtamentum opto, cogito hæc, vel illa relinquere, ſeu legare pauperibus, Eccleſiæ &c., ita enim dicendo non explicat determinate ſuam voluntatem modo eſſe, ut ea dentur pauperibus, Eccleſiæ &c. ſed exprimit ſuam intentionem de iis, quæ facere intendit, dum faciet teſtamentum; fortaſſe poſtea non ita feciſſet. Dum igitur ita ſe geſſit Teſtator, etſi adſint duo teſtes, non ſatis probatur de facto pium legatum inſtituiſſe; adeoque non debet Confeſſarius hæredis conſcientiam torquere, quaſi ad illius ſatiſfactionem teneatur.

CAPUT III.

Quis de bonis ſuis teſtari poſſit, vel non? & an aliqua teſtandi obligatio incumbat?

1 OMnibus hominibus libera eſt de bonis ſuis teſtandi facultas, niſi Jure prohibeantur. Naturali Jure prohibentur infantes, amentes, furioſi perpetuo.

2 Poſitivo Jure prohibentur teſtari, ſurdus, & mutus a natura, prodigus, ſervus, uſurarius manifeſtus, filiusfamilias de bonis adventitiis (poteſt tamen hic patre conſentiente teſtari ad pias cauſas, etiam ad donationes cauſa mortis. Quod ſi patri ipſimet velit relinquere bona adventitia, requiritur Judicis authoritas) impubes ob judicii immaturitatem. Captivus apud hoſtes interim teſtari non poteſt, ſed, quod ante fecerat teſtamentum, jure poſtliminii convaleſcit, ſi ad ſuos redierit, imo, etiamſi moriatur in captivitate, valet: Tamen damnatus ad mortem naturalem, aut civilem teſtari non poteſt, niſi conſuetudine aliter obſervetur. Verum ſpectato Jure communi non ſolum teſtamentum, ſed quævis alia voluntas, quamvis ante crimen commiſſum condita ſit, per ſententiam condemnatoriam infirmatur: Niſi quod donatio conjugi facta ante crimen commiſſum ſubſecuta ſententia condemnatoria ſubſiſtit; præterquam ſi ſit crimen læſæ Majeſtatis, ob quod memoria Rei damnanda eſt. His adde, quod neque donatio inter vivos facta poſt condemnationem de crimine capitali ſubſiſtat Cæſareo Jure. Sin autem ante condemnationem donatio facta fuerit, quamvis poſt crimen commiſſum, vim ſuam obtinet, niſi crimen ſit, ob quod bona ipſo Jure fiſco commiſſa ſunt.

3 Religionem profeſſus teſtari etiam non poteſt: Tum, quia ſui juris non eſt; tum, quia rerum dominium non habet. Si tamen ante Profeſſionem fecit teſtamentum, non rumpitur, ſed confirmatur per Profeſſionem, & Monaſterium fruitur bonis ejus, donec moriatur, ſi ſit dominii capax.

4 Religioſus, cui peculium conceſſum fuit, vel quædam utenſilia, cum Prælati conſenſu, cauſa mortis donare poteſt per diſpoſitionem non obligatoriam, ſed deprecatoriam. Ratio: Quia ſi res modica ſit, ut Prælatus licentiam dare poſſit donandi inter vivos, cur etiam non cauſa mortis?

5 Summus Pontifex Religioſo licentiam dare poteſt teſtandi ad cauſas pias, non ad profanas: (*a*) Intellige de bonis, quæ Religioſus de facto poſſidet, ſeu quorum adminiſtrationem habet; non vero de bonis Monaſterio jam ante acquiſitis per ipſius Profeſſionem. Ratio: Quia privilegium Pontificis intelligi debet ſine præjudicio tertii.

„ (*a*) Intellige de poteſtate ordinaria, non vero „ de ſuprema, quam habet ſummus Pontifex.

NB. Teſtandi facultas conceſſa eſt Religioſis Ordinum militarium, & Religioſis extra Clauſtrum, beneficium V. C. Epiſcopale, *Parochiale* poſſidentibus. Raro autem intra Clauſtrum, niſi tales ſint, quibus certa portio in alimenta, & veſtes tribuatur.

6 Novitii Religionum nullo Jure teſtari prohibentur: Quia ſui juris adhuc, & bonorum domini ſunt, libera exeundi poteſtate præditi.

NB. Religioſi Soc. Jeſu, qui ſimplicia, non formata vota habent, de bonis ſuis mortis cauſa diſponere poſſunt valide, ſed non licite. Ratio: Quia Religioſi Soc. Jeſu ante editam Profeſſionem, aut vota formata retinent dominium bonorum, impeditum quidem voto paupertatis, quo minus licite diſponere poſſint abſque Superiorum licentia, non tamen impedita lege Canonica, per quam diſpoſitio irrita reddatur.

7 Si Novitius de bonis ſuis nihil diſponens Profeſſionem edat, ſuccedit Monaſterium. Si tamen deſcendentes, vel aſcendentes habeat, ipſis portio legitima ſtatim conferenda debetur. Pater Religioſus diſponens de bonis ſuis debet Monaſterio dare tantum, quantum filio.

8 Pater Religionem profeſſus, taliter, uti jam dictum, diſponens de bonis ſuis, non poteſt tutorem filiis dare, cum eos in poteſtate jam non habeat: Quare dativo ejuſmodi tutori præferendus eſt legitimus idoneus; ſi non talis adſit, Judicis eſt aſſignare.

9 Filius habens aſcendentes inter eos diſponere poteſt ante Profeſſionem, & pater habens deſcendentes inter eos diſponere poteſt tum ante, tum poſt Profeſſionem, ſed uterque tantum de bonis acquiſitis ante editam Profeſſionem. Quæ enim poſtea acquiſita ſunt, ad Monaſterium pleno jure pertinent. Quæ Moniali in dotem data ſunt, illa Monaſterio irrevocabiliter acquiruntur.

10 Nemo, per ſe loquendo, obligatur ad teſtamentum condendum, ſed interdum per accidens, ne alioquin lites, aliave incommoda oriantur.

CAPUT IV.

De Revocatione Teſtamenti.

1 TEſtamentum revocatur, & caſſatur vel per factum teſtatoris contrarium, puta, lacerationem teſtamenti, vel per aliud teſtamentum validum.

2 Prius teſtamentum legitimum per alterum minus ſolemne non rumpitur. Excipe 1. Niſi teſtator poſt conditum teſtamentum lapſo decennio illud coram tribus ſaltem teſtibus revocet. 2. Si teſtator coram

ſeptem

ſeptem teſtibus dicat, ſe revocare prius teſtamentum, quia velit decedere inteſtatus. 3. Si in priore teſtamento hæres extraneus inſtitutus eſt, revocatur per poſteriorem voluntatem minus ſolemnem, in qua inſtituti ſunt ab inteſtato venientes. Limita: Niſi in priore pia cauſa inſtituta fuit. 4. Si teſtator hæredem a ſe inſtitutum hæreditate indignum declaret. 5. Teſtamentum primum ſolemne revocatur poſteriore minus ſolemni, ſi ad ejus valorem major ſolemnitas non requiratur, puta, teſtamentum ad pias cauſas inter liberos factum, vel militare.

3 Prius teſtamentum, continens clauſulam derogatoriam poſterioris, non cenſetur revocatum, niſi in poſteriori teſtamento illius clauſulæ mentio fiat: Quia, ut dicitur, *nemo eam ſibi legem poteſt dicere, ut a priori voluntate recedere non liceat*.

CAPUT V.

De Hæredibus inſtituendis.

1 TUm ſinguli homines, imo etiam Communitates, hæredes inſtitui poſſunt, niſi lege prohibeantur. Prohibentur autem hoſtium civitates, Judæorum Communitas, Collegium, quod publica authoritate erectum non eſt, deportatus vel damnatus ad metalla; hæreticus, apoſtata, ſpurius, ſive natus ex coitu damnato. Avus tamen deficiente prole legitima ſpurium hæredem inſtituere poteſt, non tamen intuitu patris. Spurii etiam poſſunt ſuccedere fratribus, aliiſque conſanguineis uterinis. Si autem uterini non ſint, ſed ex diverſis matribus geniti, non cenſentur habere cognationem inter ſe, & cum aliis cognatis patris. Porro occiſor teſtatoris, ſaltem per Judicis ſententiam, hæreditate privari debet, ut fiſco deferatur. Item perſecutores Cardinalium. Deinde, ſi teſtamentum deficiat, eo quod hæres, qui ſolus inſtitutus fuit, incapax eſt, legata ex eo non debentur, niſi pia ſint: Sin vero alius cum illo hæres capax inſtitutus fuit, eidem accreſcit portio alterius, neque devolvitur ad hæredes ab inteſtato; propterea quod Jura non permittant aliquem ex parte teſtatum, & ex parte inteſtatum decedere.

2 Religioſi profeſſi Ordinum, quibus permiſſum eſt bona immobilia in communi poſſidere, hæredes inſtitui poſſunt: Succedit autem eorum nomine Monaſterium. Excipe Capuccinos, & Soc. Jeſu PP. Ratio: Quia, cum hoc jus ſuccedendi in bonis immobilibus magnum ſit, competere illud non debet iis Ordinibus, qui etiam in communi bona, ac jura immobilia poſſidere nequeunt.

3 Collegia, & Domus Soc. Jeſu ratione alicujus Profeſſi, ac vota formata habentis, ſuccedere non poſſunt ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato.

4 Monaſteria Ordinum Minorum, & Capuccinorum capacia non ſunt ullius hæreditatis, imo nec Eccleſiæ eorum ſecundum probabiliorem Sententiam. At vero Soc. Jeſu Collegia, & Domus hæreditates accipere poſſunt; modo non deferantur contemplatione ſuorum Profeſſorum, &c.

5 Legata, ſicut & alia donata, contemplatione ſuorum Profeſſorum Soc. Jeſu accipere poteſt. Nam hæreditas non continet tantum jus, ſive dominium, uti legatum, ſed cum hæreditate ſimul tranſeunt varia onera, cum quibus lites, & actiones judiciales plerumque conjunctæ eſſe ſolent. At legata habent ſe inſtar eleemoſynæ. Unde etiam Capuccini eorum capaces ſunt.

6 Per Profeſſionem Religioſi omnia ejus bona, & jura, excepta legitima portione deſcendentibus, vel aſcendentibus debita, in Monaſterium tranſeunt, ſi bonorum immobilium capax ſit. Ratio: Quia ita decet, ut, qui ſe Deo, ac Monaſterio dedicat, non ſolum perſonam ſuam, ſed omnia ejus bona etiam ſimul offerat, ut plena ſit oblatio, ac ſacrificium.

NB. Legata poteſt accipere Monachus cum Prælati licentia.

7 Monaſterium ratione ſui Monachi hæreditatem delatam adire poteſt, etiam ipſo invito, vel ante aditionem mortuo, contra Legiſtas. Ratio: Quia Religioſi profeſſi propter paupertatis votum ſolemne incapaces ſunt ſibi acquirendi; ſed omnia eorum jura ad Monaſterium tranſeunt. Quapropter, licet Religioſus in eo, quod Monaſterio acquirit, ſervo comparetur, tamen quoad modum acquirendi filiofamilias potius comparatur.

8 Religioſus ad Epiſcopatum translatus hæreditariæ *P. Layman P. I.*

ſucceſſionis capax eſt, ſed bonorum adminiſtrationem tantum habet, non dominium.

9 Hæres (alius eſt ex teſtamento, alius ab inteſtato) inſtitutus vel eſt univerſalis, vel particularis. Hæreditas plerumque dividitur in 12. uncias, quæ *aſſis* appellatione continentur: Habent autem ſingulæ hæreditatis partes propria nomina, videlicet, *uncia*, *ſextans*, id eſt duæ unciæ; *quadrans*, id eſt, tres unciæ, *triens*, id eſt, quatuor unciæ, *quincunx*, id eſt, quinque unciæ, *ſextans*, ſive *ſemiſſis*, id eſt, ſex unciæ, *ſeptunx*, id eſt, ſeptem unciæ; *bes*, id eſt, octo unciæ, *dodrans*, id eſt, novem unciæ, *dextans*, id eſt, decem unciæ, *deunx*, id eſt, undecim unciæ. Qui ex parte aliquota hæres inſtituitur, onera hæreditatis proportione partis ſuæ ſuſtinere cogitur, non item, qui in certa aliqua re inſtitutus eſt: Talis enim potius legatarii loco habetur; ideoque jura, & actiones defuncti ad eum non pertinent, ſed ad hæredem proprie dictum.

10 Hæredes ex teſtamento alii ſunt neceſſarii, quos tenetur teſtator in portione legitima inſtituere, niſi juſtam exhæredandi cauſam habeat; hi ſunt deſcendentes, & aſcendentes, quibus ſaltem portio legitima debetur, quæ eſt triens hæreditatis (ſi plures, quam quatuor liberi exiſtant, ſemis.)

NB. Quæ hactenus dicta ſunt de legitima portione; ſolum extenduntur ad bona privata, & non ad Regna. Nam in Regnis, Ducatibus Magnatum, ſuccedit primogenitus, eoque mortuo ad nepotem maſculum devolvuntur, ſecluſo filio ſecundo genito. Deinde portio legitima intelligitur de bonis, quæ ſunt de ſubſtantia patris, & non de feudis ex pacto.

NB. Hæres non neceſſario eſt, quem teſtator inſtituere non cogitur.

11 Si alicui deſcendenti, aut aſcendenti portio legitima non relinquatur, competit ei actio vel ad petendum complementum, ſi aliquod relictum ſit (etiam nummus) vel ad reſcindendum teſtamentum, tanquam ipſo jure nullum, idque ſpatio 30. annorum ſi nihil jure inſtitutionis relictum ſit, neque cauſa idonea exhæreditatis expreſſe inſerta, & probata. Quod ſi probari non poſſit, competit hæredi neceſſario querela inofficioſi teſtamenti intra quinquennium, per quam evacuabit teſtamentum quoad extranei inſtitutionem; legata tamen valent.

12 Etiam ob poſthumi præteritionem, vel exhæredationem teſtamentum rumpitur, ſi vivus naſcatur, licet ſtatim moriatur. Intellige, poſt teſtatorem. Nam ſi præteritus prius, quam teſtator moriatur, tunc Prætoria æquitate convaleſcit teſtamentum.

13 Peccant parentes, ſi ſine juſta cauſa ſucceſſionis æqualitatem inter liberos conſtituant. Juſtæ autem cauſæ ſunt inæqualitatis, ſi inter eos aliqui domeſticis obſequiis magis meriti fuerint; ſi qui plus indigere videantur, quia bonis adventitiis carent, ſi adhuc puſilli magno ſumptu in ſtudiis educari debeant.

14 Liberi naturales reſpectu patris non ſunt hæredes neceſſarii; poſſunt tamen inſtitui deficientibus liberis legitimis, & data portione legitima parentibus patris. Quod ſi pater liberos habeat, non plus poteſt illis, eorumque matri relinquere, quam unam unciam. Reſpectu matris tamen ſunt neceſſarii hæredes non minus, quam legitimi.

15 Frater, & ſoror teſtatoris, ſi præteriti ſint teſtamento, tunc ſolum infirmare poſſunt, ſi perſona infamis inſtituta fuit. Hoc enim caſu poſſunt agere querela inofficioſi teſtamenti; niſi uterini tantum ſint, aut ipſi infames, & ingrati.

16 Jus naturæ poſtulare videtur, ut pater filiis teſtamento relinquat, quatenus ad vitæ ſuſtentationem indigent, etiam ultra legitimam civili Jure debitam: Prob. Authoritate Sancti Auguſtini, nolentis ab Eccleſia ſuſcipi legata, quæ neceſſitati liberorum parentes in teſtamento ſubtraxerant; niſi liberi maturi conſentiant ſponte. Similiter jus naturæ videtur dictare, comparatione parentum indigentium id obſervandum eſſe liberis.

17 Conſultum eſt morituris, etiamſi liberos habeant, partem bonorum ad pias cauſas relinquere pro ſalute animæ.

NB. Jus naturæ poſtulat, ut etiam uxori, fratribus, ſororibus, ſi indigentes ſint, pars aliqua bonorum relinquatur; licet ſecundum Jus civile non cogantur: Quia in vivis in neceſſitate tenentur illis alimenta miniſtrare: Ergo etiam deceſſuri. Quod ſi non indigeant, nullo modo tenentur.

18 Conſultius eſt, bona ſua in pauperes diſtribuere in vitæ decurſu, quam ad mortis tem-

pus diſcite . Ratio : Quia eleemoſynæ , quæ in vivis erogantur , majoris meriti ſunt , quam tempore mortis , quando homo dat , quia diutius retinere non poteſt .

19 Expedit teſtamentum condere non circa mortis agonem , ſed dum ratio viget .

20 Plerumque non expedit , ut Confeſſarii , præſertim Religioſi , confectioni teſtamenti interſint , aut in particulari ſuadeant , quibus relinqui debeant legata &c. juxta illud Chriſti Luc. 12.

CAPUT VI.

De Hæredibus ab inteſtato venientibus.

1 Liberi legitimi ante omnes alios ſuccedunt parenti ab inteſtato , & in demortuorum locum nepotes , indeque in ſtirpes .

2 Deficientibus deſcendentibus veniunt pater , & mater defuncti , & in eorum locum avi , & aviæ . Quod ſi una cum patre , & matre , vel bis deficientibus una cum avo , vel avia adſint fratres , aut ſorores ex utraque parte conjuncti , ſuccedunt ipſi æqualiter , ſive in capita .

3 Fratres , & ſorores , deficientibus deſcendentibus , & aſcendentibus , qui ex utraque parte defuncto conjuncti ſunt , ſuccedunt æquis portionibus , & excludunt eos , qui ex ſolo patre , vel matre conjuncti ſunt . Quod ſi unus ex fratribus , vel ſororibus utrinque conjunctis moriens liberos reliquerit , ſuccedunt hi loco parentis ſui cum patruis non in capita , ſed in ſtirpes . Si tamen fratres , & ſorores utrinque conjuncti omnes mortui ſunt , tunc eorum liberi (excluſis patruis ex una parte conjunctis) non in ſtirpes , ſed in capita , adeoque æquis portionibus ſuccedere debent ſecundum Carolinam Conſtitutionem . Ratio : Quia duorum fratrum filii non parentum ſuorum loco , ſed propriæ conjunctionis jure in hæreditate ſuccedunt : Cum ergo æqualiter conjuncti ſint , æquales etiam in hæreditatis portione eſſe debent .

Præterea deficientibus fratribus , & ſororibus utrinque conjunctis , & liberis eorum veniunt fratres , & ſorores ex una tantum parte conjuncti , ſed cum hoc diſcrimine , ut , qui ex parte patris conjuncti ſunt , ſuccedant in bonis a patre provenientibus , & qui ex parte matris conjuncti ſunt , in bonis a matre provenientibus ; in reliquis vero bonis æqualiter omnes . Si etiam fratres , ac ſorores , eorumque filii deficiant , ſucceſſio devolvitur ad propinquiores collaterales uſque ad gradum decimum .

4 Deficientibus conſanguineis intra 10. gradus ſuccedit uxor . Quod ſi uxor marito nupſit ſine dote , ei præmortuo , & conſanguineos hæredes qualeſcunque relinquenti , ſuccedit uxor , ſi inops ſit , in quarta parte bonorum , tali adhibita moderatione , ut , ſi liberi ex defuncto ſuperſtites ſint , ſolus uſusfructus ad ipſam , dum vivit , pertineat .

Deinde , ſi plures , quam 3. liberi , adſint , ipſa cum eiſdem in capita ſuccedat . Et ſimilis ratio eſt , ſi uxor dives præmoriatur relicto marito inope . Quod ſi nec uxor , nec ulli conſanguinei extent , tunc fiſcus ſæcularis ſuccedit in omnibus bonis laici , Eccleſiaſticus in bonis Clerici .

NB Maritus , aut uxor , tranſeuntes ad ſecundas nuptias , tenentur ea bona prioribus liberis relinquere , quæ acceperunt a prioribus ſuis conjugibus , unde ſinguli liberi nati .

Quod ſi vir , aut uxor non tranſeant ad ſecundas nuptias , licentiam habent bona a conjuge profecta , exceptis lucris ex dote , aut donatione propter nuptias , arbitratu ſuo alienandi , & conſumendi .

5 Hæres alius eſt ſuus (proximus deſcendens) qui dominium hæreditatis etiam ante ejus aditionem acquirit . Alius non ſuus , qui ante hæreditatis dominium non acquirit , quam eam adeat , id eſt , voluntarie eam acceptet , profitendo , ſe hæredem eſſe velle . Datur autem ei deliberandi anni ſpatium , num velit acceptare , nec ne .

6 Qui ære alieno gravatus hæreditatem ſibi oblatam repudiat , non cenſetur id agere in fraudem creditorum (quia *non fraudantur creditores , cum quid non acquiritur a debitore , ſed cum quid de bonis adimitur* . Reg. 16. ff.) ſed in conſcientiæ foro videtur adverſus juſtitiam delinquere , ſi alioquin ſolvendo impotens ſit : Propterea quod debitor ex juſtitia obligatus ſit , quemvis facile ſibi poſſibilem modum adhibere lucrandi bona , V. C. artificio , quo creditoribus ſuis ſatisfacere poſſit .

7 Hæres hæreditatem acceptando omnia in ſe debita , & onera realia defuncti transfert ; præditus tamen beneficio inventarii conficiendi ſpatio 30. dierum , & ſpatio aliorum 60. complendi omnino ſecurus exiſtit , ut defuncti creditoribus ſupra vires hæreditatis ſolvere obligatus non ſit . Cujuſmodi privilegium etiam Eccleſiæ (fiſco etiam) competit , ſi hæres inſtituta ſit , licet inventarium non conficiat . Alterum privilegium . Quod deductis expenſis funeris , itemque ſolutis debitis ſaltem quartam partem reſtantis hæreditatis obtinere debeat hæres unus , vel plures : Sin eam non habeat , de legatis detrahere poſſit beneficio legis Falcidiæ . Conſule hujus legis authorem .

CAPUT VII.

De Renuntiationibus Hæreditatum.

1 Renuntiatio hæreditatis futuræ nullius roboris eſt (nam Jure civili propter bonum publicum ſtatutum eſt , ut hæreditas pactis nec dari , nec auferri poſſit) Niſi juramentis firmata ſit ; cum non vergat in ſalutis æternæ diſpendium , nec in detrimentum cæterorum redundet . Eſto enim , cedat in detrimentum filiorum , ſi pater renuntiabit hæreditati , quia illi pueri ſucceſſiſſent : Quia tamen illis jus hæreditatis adhuc non competit , ideo non infertur illis injuria .

NB. Nepotes non poſſunt ſuccedere avo , ſi pater juratus renuntiavit . Quod ſi filius adhuc patre vivente accipit legitimam , poteſt renuntiare hæreditati , ſed ſi poſtea patris bona incrementum cœperint , poterit ſibi accipere augmentum portionis .

2 Renuntiationes , quæ odioſæ , & contra jus commune ſunt , ſtricte interpretari oportet , ut non extendantur ultra terminos ſecundum verborum proprietatem , aut communem renuntiandi conſuetudinem expreſſos . Quare non obſtat , quo minus filius , qui ſucceſſioni patris tam ex teſtamento , quam ab inteſtato renuntiavit , ab eodem patre , mutata voluntate , inſtitui poſſit : Quia quivis favori ſuo renuntiare , & obligationem etiam juramento firmatam remittere poteſt , tametſi renuntiatio in favorem V. C. fratris facta ſit .

3 Omne pactum , vel renuntiatio de alterius viventis hæreditate irrita eſt . V. C. Si Titius hæreditatem , quam ſperat a Semptonio , promittat Cajo (*Quia hujuſmodi pactiones odioſæ eſſe videntur , & plenæ triſtiſſimi , & periculoſi eventus* ; idque *propter inſidias , quæ parantur ejus vitæ , ſuper cujus bonis paciſcuntur*) Limita 1. Niſi conſenſus Sempronii accedat , iſque ad mortem in ea voluntate perſeveret . 2. Niſi renuntiatio fiat circa hæreditatem perſonæ incertæ : Quia tunc non timetur periculum . 3. Niſi renuntiatio fiat in favorem alicujus Communitatis V. C. Quia hoc caſu ceſſant omnes inſidiæ . *Quod enim Collegio datur , cum ſingulorum non ſit , quaſi nemini datur* . Confirmatur . Tametſi Canonico Jure ſtatutum ſit , ne beneficium alieni tradatur , vel promittatur , vivente adhuc Beneficiato priore , *ne deſiderare quis mortem proximi videatur* ; tamen permittitur in Conſultationibus de donat. ut cum authoritate Epiſcopi , Eccleſiæ , vivente adhuc Rectore , & in poſſeſſione permanente , locis Religioſis concedi poſſit . 4. Si aliquis ante ingreſſum , vel Profeſſionem in Religione V. C. Soc. Jeſu diſponere debeat in cauſas pias de omnibus bonis , ac juribus ſuis tum acquiſitis , tum acquirendis ſine ulla ſpe ea recuperandi ; conſequenter etiam poteſt renuntiare hæreditati , cum id non repugnet bonis moribus . Prob. Certum eſt , quod Princeps poteſt derogare , & ſtatuere , ut pacta futuræ ſucceſſionis valeant , non requiſito conſenſu ejus , de cujus hæreditate agitur ; atqui Pontifices approbarunt Conſtitutiones Societatis Jeſu talia præcipientes : Ergo .

4 Renuntiatio , vel obligatio , quamvis jurata , irrita eſt , quæ fit ab ingredientibus Religionem , niſi fiat cum requiſita forma Concil. Trident. Seſſ. 25. c. 16. de Regul.

5 Tridentina hæc Conſtitutio locum non habet in renuntiationibus , aliiſque diſpoſitionibus , quibus abſolute loquendo nulla obligatio imponitur renuntianti , aut diſponenti : Quia ratio Conſtitutionis Tridentinæ eſt , ne Novitiis aliqua perſiſtendi , vel profitendi Religionem neceſſitas incumbat , ſi videant , ſe beneficiis , aut hæreditatibus , aliiſve bonis per renuntiationem ſpoliatos : Hæc autem ratio ceſſat in ultimis voluntatibus ; quippe quæ uſque ad Profeſſionem revocabiles ſunt . Quare valet adhuc hodie teſtamentum a Novitio conditum , neque rumpitur ſecuta Pro-

ſeſſio-

Digitized by Google

feſſione ; Monaſterium enim loco filii non cenſetur ; niſi in caſibus Jure expreſſis . Porro decreto Concilii Tridentini comprehenditur donatio modica, quæ Monaſterio fit.

6 Renuntiatio beneficii Eccleſiaſtici ante menſes duos Profeſſioni proximos fieri non poteſt : Nam renuntiatio beneficii eſt magni juris amiſſio , ob quam libertas a Religione egrediendi impeditur . Porro intra duos menſes Profeſſioni proximos liberum eſt renuntiare beneficio in manibus Ordinarii ; quia Jure antiquo , quod ſublatum non eſt , poterat Novitius toto Novitiatus tempore renuntiare : Ergo etiam intra duos menſes . Tametſi interea egrediatur Religionem, debet illi reſtitui beneficium , & caſſari Beneficiatus novus .

NB. In Soc. Jeſu non vacant beneficia durante biennio probationis ; eo autem expleto ſtatim reſignari debent .

7 Tridentina Conſtitutio irritas reddens renuntiationes locum etiam habet in iis , quæ fiunt ante ingreſſum , ſeu aſſumptionem Habitus Religioſi . Oppoſita tamen Sententia probabilis eſt, quod intentio Concilii fuerit ſolum infirmare renuntiationes, quæ fiunt poſt ingreſſum ad probationem ; ut patet ex contextu , & connexione cap. 16. cum 15. Quare in conſcientia tutus erit, qui donationem ante ingreſſum accepit , donec per Judicis ſententiam reſcindatur .

8 Irrita eſt renuntiatio , aut donatio bonorum acquiſitorum , tametſi facta ſit ſub conditione regreſſus , ſeu recuperationis , ſi Profeſſio non ſequatur : Nam Concilium etiam talem renuntiationem comprehendit , ideo, quia donantes , ſeu renuntiantes ægre conſtituant donatarios , ut eos de poſſeſſione bonorum ſemel cœpta dejiciant ; cum id plerumque non ſine querela , & indignatione eorum fiat .

9 Renuntiatio a Canditatis Soc. Jeſu facta cum conditione regreſſus omnino repugnat Conſtitutionibus ejuſdem Societatis cap. 4. exam. generalis numero 1. & 2.

10 Si Renuntiatio , vel donatio bonorum poſt primum annum Noviſiatus, vel poſt edita vota ſimplicia in Soc. Jeſu facta fuerit in favorem Collegii ejuſdem Societatis , & poſtea contingat , eum , qui renuntiaret , dimitti , nihil ipſi reſtituendum eſt : Quia Conſtitutiones ejuſmodi donationem exigunt irrevocabiliter fieri . Nec obſtat , etſi donans needum vigeſimum quintum annum attigerit : Quia ejuſmodi Conſtitutiones , utpote finem ſupernaturalem ſpectantes , a Sede Apoſtolica approbatæ ſunt .

11 Locum etiam habere videtur hæc Conſtitutio , ſi Societatis noſtræ Candidati donationem , vel renuntiationem faciant aliter, quam ejuſdem Societatis Conſtitutiones requirunt .

12 Hæreditas alia delata eſt ipſa morte ejus, in cujus bonis ſuccedendum ex teſtamento , vel ab inteſtato : Tunc autem hæres acquirit jus ad rem cum deliberatione , an ſibi expediat . Hæreditas alia adita illa dicitur, quamprimum in eam hæres conſenſum dedit .

13 Poteſt aliquis donare ſaltem ad pias cauſas hæreditatem , ſi quæcunque illi ante mortem obvenerit . V. C. Si quis ignorans mortem fratris , & ante Profeſſionem donet Monaſterio quamcunque hæreditatem , poteſt fratris, vel a fratre acceptam Monaſterio dare . Ratio : Quia ſubtilitates civiles adverſus Jus gentium introductæ non habent locum in cauſis piis , cum civiles Magiſtratus poteſtatem ſuam extendere non poſſint ad cauſas pias , & Eccleſiaſticas . Certum eſt , ſpectato Jure naturali , & Canonico , validam eſſe donationem hanc : Si quæ hæreditas mihi commoda obvenit , volo , ut ea pertineat ad pauperes , vel ad hoc Monaſterium . Quid enim magis naturale eſt , quam ut quiſquam de bonis , ac juribus ſuis , quomodocunque quæſitis , aut delatis , ſicuti ipſi placet , ſtatuere poſſit , præſertim ad Dei honorem ? Secundo : Quia conſtitutio illa civilis locum tantum habet ſecundum jus ſtrictum, non ſecundum æquitatem , ſicut habetur in l. Pannonius , ubi dicitur , hæredem hæredis cum ignorantia delatæ hæreditatis decedendit ſecundum æquitatem reſtituendum eſſe . Quanto magis in cauſa pia ſecundum æquitatem procedendum eſt ?

14 Profeſſurus in Religione Mendicantium paciſci poteſt cum patre , ut veluti in præmium renuntiationis paternæ hæreditatis aliquid det ad piam cauſam , quam ipſe filius deſignat . Cum enim renuntiatio hæreditatis propter Conſtitutiones Ordinis ex neceſſitate quadam fiat, & adjectio pacti nihil incommodi, obligationiſque filio afferat , ſed ſolum patri , non eſt credibile , talem diſpoſitionem a Tridentino Concilio inhibitam fuiſſe : Quare nec Epiſcopi licentia opus erit .

15 Non poteſt aliquis donare hæreditatem obventuram a patre poſt mortem ſuam , aut Religionis Profeſſionem . Ratio : Quia *nemo plus juris in alterum transferre poteſt , quam ſibi competere dignoſcatur* . Reg. 79. in 6. Sed filius modo nullum jus habet ad hæreditatem patris , aut matris , aut cujuſcunque alterius perſonæ ; cum *viventis non ſit hæreditas* .

CAPUT VIII.

De Codicillis.

1 CODicillus , ut maxime locum habet in legatis ; eſt (veluti imperfectum teſtamentum) quaſi parvus codex , ſive ſcriptura continens ultimam aliquam voluntatem abſque hæredis directa inſtitutione . Dico : *Imperfectum teſtamentum* . Quia ſolemnitas teſtamenti non requirit , præterquam quod quinque teſtes , licet non rogati , & fœminæ ſint , in codicillo exigantur .

2 Codicillos etiam plures quis facere poteſt , modo inter ſe contrarii non ſint ; alioquin prior a poſteriore cenſebitur revocatus . Duo autem teſtamenta ſimul conſiſtere non poſſunt , ſed poſterius , quod jure factum eſt, priori derogat .

3 Codicillus fieri poteſt & ſine teſtamento , & cum teſtamento , ita ut ex teſtamento pendeat , tanquam acceſſorium a principali . Quod ſi nullum teſtamentum factum ſit , tum quaſi teſtamenti loco eſt codicillus obligans hæredem ab inteſtato venientem , etiam poſthumum . Si tamen defunctus una cum codicillo teſtamentum condiderit , nativitate poſthumi præteriti rumpitur teſtamentum , ſimul & codicillus ; ſiquidem cadente principali cadit etiam acceſſorium .

4 Clauſula codicillaris adjici ſolet a Notariis teſtamenti , ut , ſi non valeat diſpoſitio , ut teſtamentum ſolemne , valere debeat , tanquam codicillus , ejuſque clauſulæ effectus ſunt . Primo : Quod ex teſtamento minus ſolemni , etſi hæredis inſtitutio omnino irrita ſit , tamen hæres ab inteſtato ſolvere cogatur legata propter adjectam illam clauſulam . Secundo : Si teſtator carens hæredibus neceſſariis in teſtamento minus ſolemni inſtituat extraneum , virtute ejuſdem clauſulæ inſtitutio directa vertitur in fideicommiſſariam, & proximi hæredes ab inteſtato cenſentur gravati reſtituere extraneo hæreditatem . Tertio : Si teſtator hærede neceſſario ſcienter præterito , vel injuſte exhæredato in teſtamento minus ſolemni inſtituat extraneum virtute illius clauſulæ formaliter , vel virtualiter adjectæ , cenſetur hæres neceſſarius gravatus , ut detracta portione legitima reliquam hæreditatem reſtituat inſtituto .

5 Codicillus nuncupativus , legatum continens , nutu relinqui poteſt .

Regula in praxi obſervanda.

Solent aliquando Teſtatores inquirere a Confeſſario , vel Parocho , quomodo ſe gerere poſſint , optantes uni ex liberis aliquid ſpecialiter legare , vel aliquid diſponere pro anima ſua , abſque eo quod conficiant teſtamentum . In tali igitur caſu ſuadeat Confeſſarius , ut mediante codicillo faciant tales diſpoſitiones , & cum ad ipſum etiam fœminæ poſſint , ut teſtes intereſſe ; & aliunde pro diſpoſitione , quæ reſpicit filios , vel piam cauſam , duo tantum teſtes ſufficiant ; facile erit hoc modo Teſtatori ſuam adimplere voluntatem . Juxta noſtrum Statutum ad codicillum requiruntur duo teſtes , ſi de eo datur publicum inſtrumentum ; ſine iſto vero tres , ſed non debent eſſe mulieres .

CAPUT IX.

De Subſtitutione , & Fideicommiſſo.

1 SUbſtituere eſt in locum hæredis unius alterum ſtatuere : Quod dupliciter fieri poteſt , directe, & indirecte . Directa ſubſtitutio eſt , in qua ſine miniſterio inſtituti hæreditas ſub conditione defertur ſubſtituto . V. C. Inſtituo hæredem Titium ; ſi is hæres non fuerit, vel nolens, vel non potens (morte præventus) eſto hæres Sempronius . Et hæc dicitur ſubſtitutio vulgaris . Item , ſi teſtator impuberem , in ſua poteſtate conſtitutum , & poſt mortem ſuam in alterius poteſtatem non caſurum , hæredem inſtituat , eique alium ſubſtituat ſub conditione ; ſi ante annos pubertatis , cum ipſemet teſta-

teſtamentum facere prohibetur, decedat. Et dicitur hæc ſubſtitutio pupillaris. Ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis alia introducta eſt, quæ fit liberis amentibus, ſurdis ſimul, & mutis; eo quod & hi teſtamentum facere nequeant. Et dicitur hæc ſubſtitutio exemplaris; quam etiam mater facere poteſt: Sed debet ſubſtitui aliquis ex hæredibus neceſſariis; ſi non exiſtent, fratres. Mater autem non poteſt pupillariter ſubſtituere; cum impuberem in poteſtate non habeat.

2 Indirecta ſubſtitutio, quæ & fideicommiſſaria dicitur, ea eſt, in qua hæreditas ſubſtituto defertur miniſterio hæredis, qui a teſtatore gravatus eſt vel abſolute, vel ſub conditione, (niſi tale aliquid fecerit;) ut hæreditatem vel totam, vel partem ejus aliquotam alteri reſtituat, qui idcirco fideicommiſſarius appellari ſolet. Hæres tamen fideicommiſſo gravatus poſt aditam hæreditatem quartam partem ejus, in qua inſtitutus fuit, ſibi retinere poteſt, quæ pars Trebellianica dicitur a SC. Trebelliano. Cæterum teſtator prohibere poterit, ne Trebellianica a fideicommiſſo detrahatur, non minus, quam ut Falcidia a legatis. Deinde non poteſt detractio fieri a fideicommiſſis; ſicuti neque a legatis ad pias cauſas. Excipe: Niſi tam hæres inſtitutus, quam fideicommiſſarius, aut legatarius ſit pia cauſa: Quando enim privilegium concurrit cum privilegio, tunc, ceſſato utroque, ſervatur jus commune.

Porro ſi hæres inſtitutus hæreditatem repudiet, tunc omnia ejus jura, & actiones ad fideicommiſſarium transferre cogitur, nullo nec damno, nec commodo apud hæredem remanente.

3 Præter prædictas ſubſtitutiones quatuor ſunt aliæ duæ mixtæ, quia plures in ſe ſubſtitutiones continent. Prima eſt quoad perſonas, quæ dicitur reciproca, ſeu breviloqua, in qua plures hæredes inſtituti ſibi invicem ſubſtituuntur. V. C. *Inſtituo Caium, & Titium hæredes meos, eoſque invicem ſubſtituo*. Altera ſubſtitutio mixta plures in ſe continet ſecundum tempora, & ætates, atque vocari ſolet compendioſa; puta, ſi pater, aliuſve deſcendens ita teſtamentum concipiat. *Inſtituo filium meum hæredem, eique, quandocunque ex vita deceſſerit, ſubſtituo Titium*. Tunc ſi filius hæres patris non extiterit, admittitur ſubſtitutus Titius ex vulgari. Sin vero hæres extiterit, ſed intra pubertatis annos deceſſerit, admittitur Titius ex pupillari. Si autem poſt pubertatem deceſſerit, ſuccedituṙ ei ex fideicommiſſaria, detracta tamen non ſolum legitima, ſed & Trebellianica. Si denique & mente captus filius ſit, ſuccedit ei Titius ex exemplari.

4 In donatione inter vivos veluti fideicommiſſum intervenire poteſt, ſi quis alteri donet ea lege, ut poſt tranſactum tempus, vel eveniente aliqua conditione alteri tradat: Cum caſu res vinculata dicitur, quia alienari a poſſeſſore non poteſt.

5 Imperitia Notarii inepte, & obſcure loquentis non vitiat diſpoſitionem defuncti.

Confeſſio patris omne genus probationum excedit. Quamobrem etiam in externo foro, ſi verba teſtamenti ambigua ſint, ſed intentio teſtatoris duobus ſaltem teſtibus probari poſſit ex verbis extra teſtamentum a teſtatore prolatis, multoque magis, ſi hæres certis conjecturis perſuaſus fateatur, teſtatorem voluiſſe inſtituere fideicommiſſum; haud dubie contra eum pronuntiabitur.

6 Hæres fideicommiſſo gravatus, ſi ſine liberis deceſſerit, profitendo Religionem, hæreditatem acquirit Monaſterio: Niſi aliud expreſſerit, & evidens conjectura ſit, noluiſſe teſtatorem, ut fideicommiſſum ad Monaſterium deveniat, ſi gravatus in eo profiteatur; ſed ſtatim deveniat ad ſubſtitutum. Potuit enim teſtator de bonis ſuis arbitratu ſuo diſponere, imo juſtam ita diſponendi cauſam habuiſſe, V. C. ut in familia divitiarum decus, potentia, ac teſtatoris memoria conſerventur.

Regula in praxi obſervanda.

Occurrere poteſt caſus, in quo Confeſſarius facile poteſt errare, ſi nempe filius, cui Pater aliquem ſubſtituit, moriatur in ætate pupillari. Facile credet Confeſſarius ſubſtituto nil aliud tradendum eſſe, quam quod filius habuit a Patre, cum tamen demptis expenſis, & convenienti animæ ſubſidio, debeat obtinere quidquid pupillus, ſeu impubes quocumque modo acquiſivit. Hoc idem DD. extendunt ad ſubſtitutionem exemplarem: *arg. §. 1. Inſt. de pupill. ſubſt., & leg. 9. Cod. de impub. & aliis*, *Covarr. de teſtam. cap.* 10. *n.* 10.

Fortaſſe etiam errabit, vel anceps erit Confeſſarius in judicando quid juris, ſi filius poſt mortem Patris, vel impubes, vel pubes repudiet hæreditatem, quid nempe obtinere debeat ſubſtitutus. Sciat ergo hodie communiorem, & receptam eſſe eam ſententiam, qua dicitur ſubſtitutum ex tacita vulgari ſubſtitutione ſuccedere debere in bona Teſtatoris. Ratio deſumitur ex ipſius præſumpta voluntate; ſi enim volebat quod dum filius hæres inſtitutus impubes deceſſiſſet, & propria, & filii bona ad ſubſtitutum deveniſſent, præſumi certe poteſt, filio repudiante hæreditatem, voluiſſe ſubſtitutum ſaltem ſua bona obtinere ex tacita vulgari ſubſtitutione: *arg. leg. hæredes mei* 57. §. 5. *ff. ad S. Conſ. Trebell. Cov. cit.*

CAPUT X.

De Legatis, & Fideicommiſſis particularibus.

1 Legatum ſeu fideicommiſſum eſt particularis quædam *donatio a defuncto relicta, & hærede præſtanda*.

2 NB. Legatum, & fideicommiſſum particulare non differunt inter ſe, niſi verborum forma; cum enim ea ad ipſum legatarium diriguntur, V. C. *Lego Titio centum*, dicitur legatum ſtricte: Cum vero ad hæredem, vel legatarium relatis verbis, rogantur, ut talem rem dent alteri tertio, dicitur fideicommiſſum particulare.

Qui teſtari, is etiam legare poteſt. Codicillum autem facere nemo poteſt, niſi qui & teſtari; & qui hæredes inſtitui, iis etiam legata relinqui poſſunt. Excipe ſpurios, quibus habitatio ſolum, & alimenta relinqui poſſunt; modo id non fiat in fraudem.

3 Licet Fratres Minores hæredes non poſſint inſtitui, tamen legata per modum eleemoſynæ iiſdem relinqui poſſunt; modo id non fiat in magna quantitate, ut veluti hæreditas ſub nomine legati dari videatur.

4 Fratribus Minoribus non habitatio ſejuncta ab eorum Monaſterio, nec reditus annuus perpetuus, vel ad tempus longum, ut tollatur mendicitas, pro victu, aut veſtitu eorum legari poteſt; poteſt tamen legari pro ornamentis Eccleſiæ, pro luminibus annuis, pro libris, pro vino ſacrificii.

5 Rem immobilem FF. Minoribus abſolute legari nihil prohibet, cum eam vendere poſſint, & debeant, & ex pretio neceſſitati Fratrum ſubvenire: Niſi hortus ſit ad Fratrum recreationem, vel quotidiana olera decerpenda neceſſarius; cum enim poſſidere poſſunt.

6 Domui profeſſæ Societatis Jeſu tum hæreditas, tum legatum relinqui poſſunt, ita tamen, ut, ſi in hæreditate, vel legato bona ſtabilia contineantur, uſui Domus non opportuna, ea vendi debeant.

7 Res non tantum teſtatoris propria, ſed etiam aliena legari poteſt (modo non ſit ipſius legatarii) ita, ut hæres cogatur eam redimere, & præſtare, vel, ſi redimere non poteſt, æſtimationem dare. NB. Legatum debet eſſe gratuitum.

8 Si debitor legaverit creditori, cenſetur reliquiſſe in compenſationem debiti, ſi ex juris neceſſitate debeat (V. C. dotem debitam; item ex injuſto contractu, ut hoc modo colore legati honeſtius reſtituat) Secus, ſi ex voluntario contractu.

9 Debita plerumque non poſſunt teſtamento relinqui (præterquam ſi juſta cauſa, vel neceſſitas excuſat) quoniam ipſemet debitor tum animum verum non habet ſatisfaciendi.

10 Legata interdum pura fiunt, non adjecta conditione: Cujuſmodi legatis id proprium eſt, ut tranſmittantur ad hæredes legatarii, licet is ante aditam hæreditatem decedat; peti tamen non poſſunt ante aditam hæreditatem, niſi ſint legata pia, vel niſi ſubſiſtant virtute clauſulæ codicillaris. Interdum legata ſunt in diem certum. V. C. *Lego Titio centum aureos, dandos ipſis Calendis Januarii*. Et hæc legata annumerantur puris. Vel ſub conditione fiunt legata. V. C. *Lego Titio centum, ſi Cajam uxorem duxerit*.

11 Conditio in futurum alia eſt poteſtativa, pendens a ſola voluntate ejus, cui imponitur. V. C. *Lego Titio centum, ſi ſervum ſuum manumiſerit*. Alia caſualis, V. C. *Si navis ex Indiis veniat*. Alia mixta V. C. *Lego Titio centum, ſi Cajam uxorem duxerit*. Utrique hoc commune eſt, ut, ſi ante impletam conditionem legatarius moriatur, ad hæredes non tranſmittatur, ſi intuitu perſonæ relictum erat; ſecus, ſi ex intuitu dignitatis. Quod ex circumſtantiis dijudicandum erit, an quis dotem V. C. reliquit Titiæ puellæ pauperi, principaliter id egerit cauſa pietatis? an vero principaliter motus fuerit favore perſonæ, quia ipſi fideliter ſervivit?

NB. Si legato relicto pro Monaſterio in certo loco ædificando ibi ædificari non poſſit, alio loco ædificandum

dum

dum eſt cum conſenſu Epiſcopi, & executoris teſtamenti.

12 Legatum, vel hæreditas relicta ſub conditione nuptiarum non debetur, niſi nuptiæ ſigneatus, cum ſit juſta, & honeſta conditio; ſi tamen perſona, cui relictum fuit, Religionem ingrediatur, videtur et dandum ſecundum benignam interpretationem voluntatis teſtatoris, V. C. ſi teſtatori in mentem veniſſet de Religione cogitare, nihilominus legaturum fuiſſe. Excipe: Niſi expreſſe exceperit Religionem.

Adde quod etiam valeat adjecta conditio legato; ſi Titius, a nuptiis abſtinens, Religionem ingreſſus fueris.

13 Juſta cenſetur eſſe conditio, legato, vel hæredit inſtitutioni adjecta, ſi cum certa perſona matrimonium contractum fuerit. Excipe: Si talis perſona, cum qua matrimonium contrahendum eſſet, indigna ſit, ut non cum ea honeſte contrahi poſſit, habetur conditio pro non adjecta: Niſi per eandem tiam perſonam ſtes, quominus nuptiæ celebrentur, vel ante nuptias moriatur, tunc legatarius legatum abſolute conſequitur. Eſt enim hoc ſpeciale in conditione mixta, pendente a duorum voluntate, ut, ſi non ex culpa gravati, ſed alterius deficiat, habeatur pro impleta.

14 Conditio legato, vel hæredit inſtitutioni adjecta, ſi matrimonium non contrahatur, tanquam bonis moribus repugnans rejicitur: Niſi vidua ſit, cui ita relinquitur; vel niſi conditio adjecta ſit in favorem ſtatus Religioſi, aut ſacerdotalis. Ratio: Quia, quod conditio non contrahendi matrimonium ab ultimis voluntatibus tanquam inutilis rejiciatur, id non ex Jure naturali, ſed civili proficiſcitur: Civiles autem diſpoſitiones cauſis piis nihil præjudicii adferunt, niſi Canonico Jure approbatæ ſint.

15 Si conjux conjugi promiſerat, ſe poſt mortem ejus alteras nuptias non contracturum, obligatur promiſſione (modo non immineat vidua periculum incontinentiæ) ſed tamen plerumque non ſub mortali. Ratio: Quia præſumendum eſt, noluiſſe ſe obligare ex juſtitia, ſed tantum ex virtute fidelitatis obligantis ſub veniali. Deinde, licet ex juſtitia ſe voluerit obligare, tamen ob levitatem materiæ ſolum veniale eſt; quia exiguum damnum conjugi mortuo infertur: Niſi liberi ex eo ſuperſtites ſint, quibus grave damnum ex matrimonio tali accidet, vel niſi uxor promiſſionem juramento confirmaverit.

C A P U T XI.

De executione Teſtamenti.

SI nullus a teſtatore teſtamenti executor nominatus eſt, ad hæredem, ſive maſculus, ſive fœmina, ſive Clericus ſit, executio ſpectat: Niſi quod in quibuſdam caſibus executio ad Epiſcopum ſpectet, V. C. in legatis pro redemptione captivorum, & pro eleemoſynis. Quod ſi unus ex executoribus moriatur, ſolus ad executionem procedere poteſt.

2 Qui executor a teſtatore nominatus eſt, non cogitur hoc munus ſuſcipere; Poſtquam autem ſemel ſuſceperit, poteſt compelli. Qui vero non ſuſcipere vult, privandus eſt commodo, quod ex diſpoſitione teſtatoris ipſi proventurum eſſet, imo etiam hæreditate.

3 Fratres Mendicantes executores teſtamenti eſſe non poſſunt: Alii vero Religioſi non niſi cum licentia Prælati. Sed in Soc. Jeſu requiritur ad hoc diſpenſatio Generalis Præpoſiti.

4 Ordinum Prælati poſſunt eſſe executores teſtamenti: Nam facultate, quam Ordinis Prælatus ſubdito dare poteſt, etiam ipſemet uti non prohibetur. Deinde Regolares Parochi poſſunt eſſe executores, cum ceſſet in eis ratio prohibitionis; ſed debent rationem reddere Ordinariis, a quibus etiam delinquentes in executionis officio puniri poſſunt, etiamſi ſint exempti.

5 Si Religioſus contra Canonum decreta executor teſtamentarius ſit, acta ejus valent: Quia Canones, licet prohibeant, tamen non infirmant.

6 Clericus, vel Religioſus teſtamenti executor legatum inter pauperes, vel ad cauſas pias diſtribuendum Monaſterio, vel Eccleſiæ ſuæ applicare poteſt; ſicut quilibet executor etiam pauperibus filiis ſuis conſanguineis: Quia nulla eſt ratio, cur hoc non liceat. Siquidem non cenſetur cauſa propria, ſed diſtinctio inter dantem, & recipientem.

7 Non videtur executor ſibi ipſi poſſe applicare legatum pauperibus relictum, licet ipſe pauper ſit; propterea quod hoc noluerit teſtator, eo quod, ſi ſciviſſet, eum capacem eſſe legati, expreſſe ei aliquid reliquiſſet, & non talem modo capiendi poteſtatem feciſſet. Quod ſi teſtator ignoravit paupertatem executoris, poteſt ſibi applicare ſecundum præſumptam voluntatem teſtatoris.

8 Legata ad pias cauſas ob incertitudinem loci, Eccleſiæ, caduca non fiunt, ſed plerumque pauperi Dei Eccleſiæ danda erunt. Quod ſi legata ſine pro duobus legatariis, & non poſſit cognoſci, cujus? Tunc certuis legatum civili Jure ad lites vitandas ita conſtituto.

9 Si indeterminate legata ſit res, & a natura terminos non habeat (videlicet, ſi legatus ſit bos, aut equus) dandum eſt pretium mediocre: Si ex arte, vel induſtria hominis, V. C. veſtis, domus, dandum eſt pretium minimum, niſi conjectura ſumi poſſit, aliud teſtatorem voluiſſe; idque etiam in legatis piis locum habere improbabile non eſt. Nam ſatisfacit teſtator (ſi quidpiam Eccleſiæ promiſeris) in dubio præſtando rem in eo genere minorem: Ergo etiam hæres perſonam defuncti repræſentans.

10 Legata pia, ſi ad uſum a teſtatore applicari nequeant, ad alium pium uſum adhiberi debent.

11 Legata ad alium uſum contra, aut præter voluntatem defuncti applicari non poſſunt (*nam ultima voluntas defuncti modis omnibus ſervari debet*) niſi per diſpenſationem Summi Pontificis ex juſta cauſa. Interdum tamen ad Epiſcopum, atque hæredem pertinet interpretari, non alienum fore a voluntate defuncti, ſi mutatio fiat. V. C. Si Eccleſiæ pecunia ſit legata ad vaſa ſacra, ſed Eccleſia non indigeat, indigeat tamen Caſula, poteſt emi Caſula.

12 Hæres, aliique executores, ſi negligant, aut longo tempore differant ſolvere legata, præſertim pia, graviter peccant; eo quod ſit res magni momenti.

13 Hæredem, vel executorem negligentem, ſi laicus ſit, uterque Judex Eccleſiaſticus, & ſæcularis compellere poteſt ad exequendas ultimas voluntates defunctorum: Nam officium hujus juriſdictionis eſt mixti fori, daturque locus præventioni. Et Eccleſiaſticus Judex poteſt compellere quoad cauſas profanas: Nam Judex Eccleſiaſticus ſubvenire debet perſonis miſerabilibus, & deſtitutis omni auxilio; ſed defunctus omni auxilio deſtitutus, & idcirco miſerabilis cenſetur, cum cauſam ſuam ipſemet agere non poſſit: Ergo.

NB. Pœnæ negligentium executorum ſunt, ſi a die publicationis teſtamenti ſine cauſa legitima pia legata differant intra medium annum, poſtea illa ſolvere debent cum omnibus emolumentis: Hoc tamen poſt Judicis ſententiam (a).

„ (a) Excipe tamen, ſi ſint legata de miſſis re„ lictis a teſtatore pro ſuffragio animæ ſuæ; cu„ randum eſt enim ab executore, ut illas quantoci„ tius poteſt, celebrare faciat, ut ſi differat ultra „ duos menſes, communis ſententia eſt illum grave „ peccatum commiſſurum.

14 Legatarius poſt aditam hæreditatem rei ſibi legatæ dominus efficitur, inde inſtituere poteſt actionem non tantum perſonalem contra hæredem, ſed etiam realem vindicationis, imo etiam hypothecariam.

15 Si nemo ſit, qui legata, præſertim pia, exigat, aut exigere poſſit, ad Judicem pertinet, hæredem compellere, ut ſolvat.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Si Confeſſarius diligens ſit in perſcrutando ſtatum ſuorum Pœnitentium, aliquando adinveniet Executores teſtamentarios, qui licet tale munus non recuſaverint, nihilominus omnino negligentes ſunt in ſuo munere adimplendo, ac arbitrio hæredis omnia relinquunt. Si non certi ſint hæredem omnia adimpleviſſe, & actu adimplere, quæ ſingulis annis debet præſtare, graviter ipſos moneat reos eſſe peccati mortalis, dum ipſorum negligentia per longum tempus differtur ſolutio legatorum &c. Vel ergo illos dimittat ſine abſolutione, vel compellat in poſterum ad majorem diligentiam.

II. Advertat ſecundo Confeſſarius perniciosam dari ignorantiam in hærede, vel executoribus, eo quod cenſeant propriæ conſcientiæ ſatisfacere, ſi intra annum perſolvant legata pia, quia intra id tempus ſub excommunicatione reſervata præſcribuntur adimplenda in noſtra Diœceſi. Eliminet quantum poteſt hanc praxim, & moneat quod licet intra tale tempus ſolvendo ſe eximant ab excommunicatione, non tamen a peccato, cum teneantur ex dictis ſtatim ac commode poſſunt, non ſolum adimplere legata pia, ſed profana etiam.

III. Bene addiſcat Confeſſarius, quando incurratur dicta excommunicatio propter pia legata non ſoluta. Ea igitur innodantur: *Non ſolventes legata pia intra annum a die ſcientiæ, & a*

tempore,

vel potius accuſatio deſcendit, quæ fit ad publicam vindictam. Alia vero ſunt crimina, quibus non tantum offenditur publica juſtitia, ſed etiam particularis perſona; uti ſunt homicidium, furtum, injuria, ſive contumelia. Ex quibus duplex actio oritur, una criminalis ad publicam vindictam, & altera civilis ad damnum reſarciendum, vel pœnam applicandam parti offenſæ.

4 Si utraque actio civilis, & criminalis ad pœnam, ſeu vindictam tendit, una intentata altera tollitur: Secus, ſi ad diverſa tendant, V. C. una criminalis ex cauſa furti, vis illatæ, tunc una per aliam non tollitur.

NB. Præter actionem criminalem, & civilem eſt aliqua quaſi mixta, & de utraque particularis; ut cum agitur coram Judice Eccleſiaſtico ad ſeparationem thori ob cauſam adulterii.

CAPUT II.

De Judice.

1 JUdex eſt perſona publica ad id conſtituta, ut ſecundum legis præſcriptum, vel loci conſuetudinem populo jus dicat. Alius eſt ordinarius, qui tanquam ex officio univerſitati cauſarum præeſt, ſive ex proprio jure ſuo, ſi ſupremus Judex ſit, ſive ex Principis beneficio, ſi ſubordinatus. Alius eſt delegatus, cui Ordinarius vices ſuas commiſit.

NB. Arbiter nemo conſtitui poteſt ante annum ætatis vigeſimum, neque Judex ante eam ætatem delegari, niſi a Principe, vel ſi partes conſentiant. Ordinarie Adminiſtrator Reipublicæ debet attigiſſe annum vigeſimum quintum.

2 In cauſis civilibus Judex non procedit, niſi poſtulatus: Quin & tunc operam dare debet, ut, ſi fieri poſſit, partes ad concordiam revocentur; cum ad *officium ejus pertineat lites diminuere*. In criminalibus autem cauſis procedit vel ad inſtantiam accuſatoris, vel ex officio per viam inquiſitionis.

3 Triplex eſt inquiſitio Judicis. Una generalis, quæ fit, utrum in Communitate aliquis ſit criminoſus, quia nulla infamia præcedit? Altera, cum generatim quæritur de crimine, ſpeciatim de perſona; utrum V. C. Titius ſervet ſtatuta? Cujuſmodi inquiſitio fieri non debet ad puniendum, niſi infamia, vel indicia criminis præcedant: Quia merito aliquis ægre fert in vitam ſuam quaſi malefactoris inquiri, dum famam integram ſervat. Porro, cum quæritur generatim de perſona, ſpeciatim vero de crimine, quod commiſſum eſſe conſtat: V. C. quis hujus homicidii auctor ſit? Licet Judex de commiſſo crimine, cujus notitiam acquiſivit generatim inquirere poſſit; interrogati tamen denuntiare non debent reum occultum, cum Judex non habeat jus de illo inquirendi, niſi de eo infamia, vel ſufficientia indicia præcedant. Tertia eſt inquiſitio ſpecialis, in qua tam perſona, quam crimen exprimitur; V. C. utrum Titius homicidii author ſit? Hinc inquiſitionem infamia præcedere debet, Judice prius informato de ea, & de indiciis. Ratio: Quia æquitas poſtulat, ut in omni judicio præter Judicem duæ partes adſint, una Rei, altera Actoris, ſeu accuſatoris. Neque idem poteſt eſſe Judex, & accuſator: Cum alioquin judicia publica ſæpe perverti poſſint, ſi ex notitia Judicis privata contra Reum procedere liceret, juxta Apoſtolorum Acta. Cap. 25.

4 Quamobrem, ſi Judex ad punienda crimina ex officio procedat, tunc accuſatoris vicem ſupplere debet publica infamia, quæ & *clamoroſa populi inſinuatio* dicitur.

Sola fama orta ab hominibus improbis crimen ſufficienter non probat (juxta Cajet. *Infamia vocatur non frequens vox diſcolorum, ſed frequens vox talis, ut apud probos, & providos viros reddatur perſona de crimine rationabiliter ſuſpecta*. Quia dictum unius facile ſequitur multitudo nimis credula, & prava in malum) ſed criminis tantum indicium Judici præbet, ob quod ulteriorem proceſſum V. C. Rei citationem, cuſtodiam, inſtituere poſſit, donec veritas cognoſcatur.

NB. Judices, præſertim ſæculares, ſæpe procedunt contra criminoſum nulla præcedente infamia ex aliis indiciis criminis.

5 Indicia alia levia ſunt, quæ dubitationem movent. Alia gravia, quæ præſumptionem includunt. Præſumptio duplex eſt, Juris, & hominis. Præſumptio Juris eſt, quæ ex Juris authoritate provenit: Talis eſt, V. C. ſi quis inter Chriſtianos natus ſit, quod pro baptizato haberi debeat. Alia hominis quam vir prudens, puta, Judex ex apparentibus conjecturis, tanquam ſignis veritatis, concipit. Alia indicia ſunt, quæ violentam præſumptionem, ac moralem certitudinem pariunt; quamvis in his, ſi de contraria veritate aperte conſtet, præſumptioni nullus locus eſſe poſſit: Quia præſumptio cedit veritati.

6 Ex una parte tanto majora indicia ad inquirendum de perſona requiruntur, quanto ea dignior eſt, præſertim ſi Eccleſiaſtica dignitate fulgeat. Nam cauſa 2. quæſt. 5. *Prælati quaſi ſignum ſunt ad ſagittam poſiti; quia non poſſunt omnibus placere: cum ex officio teneantur arguere &c. frequenter odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur*. Majora item indicia requiruntur, quo majus eſt crimen, & major hominis infamatio timenda, ſi de eo inquiratur; unde magna prudentia opus Judici. Ex altera parte tanto leviora indicia ſæpe ad inquirendum ſufficiunt, quanto perniciosius eſt Reipublicæ crimen.

7 Judex non poteſt abſolvere innocentem, quamdiu is ſecundum publicas probationes nocens apparet, neque poteſt Reum condemnare, antequam per legitimas probationes convictus, vel ſponte in judicio confeſſus ſit; quamvis Judex privata notitia ſciat, nocentem eſſe: Nam Jure gentium judicandi poteſtas tali conditione Magiſtratibus collata eſt, ut ea non niſi ſecundum publicas allegationes utantur, ne alioquin prætextu privatæ notitiæ publica judicia ab improbis pervertantur.

8 Excipe tamen, quod in cauſis notoriis, & indubitatis non ſemper requiratur Juris proceſſus, V. C. quoad furem, & latronem in flagranti crimine deprehenſum.

In cauſis civilibus, ac minoribus criminalibus ſemper Judex ſententiam ferre debet ſecundum publicas allegationes, cum eas falſitatis arguere non poſſit; quia Reipublicæ plurimum intereſt, ut quoad bonum ſubditorum judicia ſecundum publicas allegationes terminentur. At vero in criminalibus, quibus pœna mortis, vel membrorum mutilatio imponenda eſt, Judex non poteſt ſecundum publicas allegationes hominem condemnare, quem privata notitia ſcit, innocentem eſſe. Ratio: Nam hominem innoxium occidere per ſe, & intrinſece malum eſt; unde id Jure gentium non conceditur. Etiam nec carnifex poteſt occidere Reum, quem ſcit privatim eſſe innocentem: Reus tamen non poteſt reſiſtere ob ſcandalum.

9 Sententia juſte lata ordinarie non retractatur propter Inſtrumenta poſtea reperta: Secus, ſi inimice lata fuit contra leges. Dixi: *Ordinarie*. Nam ſi cauſa publica ſit, V. C. ad fiſcum ſpectans; item, ſi cauſa ad Minorem, vel Eccleſiam ſpectet, concedi tum ſolet reviſio, ac inſtitutio propter nova Inſtrumenta reperta.

10 Si Judex dolo, vel magna imperitia ſententiam injuſte tulit, litem ſuam facere cenſetur, & de damno tenetur, & amiſſa dignitate efficitur infamis. Et habet hoc etiam locum in arbitris; quia arbitria ad formam judiciorum redacta ſunt. Item in imperito Tabellione male conficiente Inſtrumenta: Quia *imperitia culpæ imputatur*. Reg. 174. ff.

11 Si Judex ex fragilitate per errorem male judicavit, cum formaliter non læſerit partes, ad nihil tenetur, niſi quod, ſi ſine magno incommodo ſuo fieri poteſt, ſuadere debeat parti, quæ damnum injuſtum materialiter paſſa eſt, ut cauſæ reviſionem poſtulet.

12 Nemo in cauſa propria Judex eſſe poteſt: Quia Judex debet eſſe medius, ac veluti diremptor inter partes contendentes. Excipe 1. Niſi ſit Princeps, & Judex ſupremus comparatione ſubditorum ſuorum, qui, niſi aliud Conſtitutionibus Regni receptum ſit, cum Conſiliariis ſuis agnoſcere, ac definire litem poteſt; idque propter plenitudinem poteſtatis, & quod nihil, niſi juſtum, in Primatibus præſumitur.

13 Excipe 2. Niſi Judex ratione publici officii calumniatus, & injuriatus fuerit. 3. Quod Prælatus poſſit eſſe Judex in cauſa Eccleſiæ ſuæ. 4. Quod Judex a parte requiſitus, ſi dubitetur, an judicandi poteſtatem habeat, id ipſum ante omnia decernere poſſit. Nam *Prætoris eſt æſtimare, an ſua ſit juriſdictio*.

14 Orto dubio; num cauſa ad hoc forum pertineat? id poteſt Judex agnoſcere, & cauſæ principali proceſſum adoriri: Nam alioquin V. C. Epiſcopus ſufficiens ſibi non foret ad gubernandam Diœceſin, ſi orta controverſia circa fundamentum ſuæ juriſdictionis illam dirimere non poſſet.

NB. Si Judex a parte contendente tanquam ſuſpectus recu-

recuſetur, juſtitiam hujus recuſationis cognoſcere non poteſt, ſed cauſa ſuperſedendum erit. Nam exceptio ſuſpicionis (niſi notorie frivola ſit) ſicut Judicem inhabilem reddit, quo minus cognoſcere poſſit ſuper principali; ita & multo magis ſuper incidente: Cum per talem exceptionem ad indignationem provocetur.

NB. Illud. *Nemo in propria cauſa Judex eſſe debet*, intelligitur, ne directe id fiat in propriam utilitatem ſententiam ferendo.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Primo, monendus eſt Confeſſarius, ut non facile permittat ſuo Pœnitenti, maxime ſi ſit nobilis, & potens, intercedere apud Judicem pro Delinquentibus. Non nego Judicem multoties licite pœnam diminuere, maxime ſi ſit Eccleſiaſticus: *can. non eſt iniquitatis* 23. q. 5. accedente præcipua cauſa honeſta, ex qua rigor legis poſſit remitti; vel ſi crimen ſit dubium, aut pœna arbitraria. Nihilominus in praxi cognoſcitur ex importunis intercessionibus virorum nobilium, & potentum perſæpe Judices nimis flecti, quia illis complacere cupiunt, cum ab ipſis ſperent vel confirmari in officio, vel validam protectionem. Ex hoc autem ſequuntur graviſſima inconvenientia, vel quod ſcilicet non plene reparentur damna illata, vel quod benignius agatur cum facinoroſis, & incorrigibilibus cum communi damno Reipublicæ, ac denique quod vigor legum omnino pereat. Hi ſolent eſſe effectus hujuſmodi interceſſionum. Accidere etiam poteſt in cauſis civilibus Judicem contra jus inclinare in eam partem, quam illi importune commendarunt viri Potentes, ut aliquando etiam eveniſſe non pauci ſciunt. Debet ergo Confeſſarius ab iis faciendis ſuum pœnitentem removere, & ad ſummum permittere quod ſine importunitate intercedat, exprimendo ſe ſolum quod juſtum eſt petere.

II. Confeſſarius Principis Supremi, ſeu illorum qui componunt Senatum, moneat Pœnitentem, ne tam facilis ſit in relaxando pœnas ſtabilitas a legibus; nam ipſi ſunt cuſtodes legum, & ex nimia ipſarum diſpenſatione compertum eſt ſemper magis augeri homicidia, latrocinia, aliaque delicta. Solum ſuadeat relaxationem pœnæ, quando adeſſet aliqua cauſa juſta, & conveniens; unde ex tali relaxatione non valeant facinoroſi anſam ſumere peccandi. Cæterum moneat ſemper inexorabiles eſſe debere erga inſigniter ſceleſtos, ut ſunt Sicarii, famoſi latrones, leones &c. Nam cum tales ſceleſti ſemper ſint graviter nocivi Reipublicæ, non eſt in poteſtate Principis eorum pœnam relaxare, ut ſupra notavi.

III. Cum Judex ſequi debeat opinionem probabiliorem, videat Confeſſarius Judicum, ne ſegnes ſint in ſtudendo; nam exiguo ſtudio non tam facile opinio probabilior apparet, quæ maxime ex doctrina, & praxi Tribunalium dignoſcitur. Quod ſi Judex, cujus confeſſiones excipit, vel propter rude ingenium, vel debilitatem capitis, vel propter animum addictum humanioribus ſtudiis, ſeu recreationibus non poſſit, aut nolit ſufficienter ſtudere, cogat illum dimittere officium, vel ſine abſolutione dimittat; nemo etenim poteſt ſine gravi culpa officium exercere, cui non vult, vel non poteſt, ut par eſt, animum intendere.

IV. Advertat Confeſſarius bene poſſe accidere aliquem non ſufficienti doctrina præditum, ex importunis interceſſionibus ad Judicis officium eligi. Lucrum quod ex officio ſperant cauſa eſt cur ita decipiant, & decipiantur. Statim ac ergo Confeſſarius communiter a Viris doctis de ipſius ignorantia certioratur, qua debet liberare, moneat ipſum teneri officium dimittere, quod retinere haud poteſt ſine aliorum damno, & propriæ ſalutis diſpendio.

V. Inexorabilis ſit Confeſſarius adverſus illos Judices, qui accipiunt munera ſibi non debita ex vi ſui officii. Ultraquamquod id prohibeant omnia jura, ſcias Confeſſarius, me teſte, iſtos Judices numquam ſatis recte judicare, & muneribus excæcatos injuſte favere majore offerenti. Hinc *Deuter. 16.* dicitur: *Non accipies perſonam, neque munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* Præterea ſemper illos obligat ad reſtitutionem, nam talia munera numquam dantur liberaliter, ſed coacte, & invite, quia ſcilicet litigantes putant Judices remiſſe incumbere illorum cauſis. Quid vero dicendum, dum dantur ad extorquendam ſententiam injuſtam, vel ne Judices aliquod crimen detegant, habes *Tract. 13. q. 2. c. 6.*

VI. Aliud vitium in Judicibus graviſſime increpandum eſt, moroſitas ſcilicet in cauſis expediendis. Ita agendo peccant contra leges, quæ exigunt celeritatem in judicando: *leg. properandum, C. de judiciis*, contra munus proprium, quia ſine cauſa procraſtinant dicere unicuique jus ſuum; contra Rempublicam, quam, præcipue dum agitur de cauſa criminali, deberent quantocyus a malis hominibus liberare; ac denique contra juſtitiam, nam procraſtinatione cogunt majores expenſas facere. Hanc ergo tarditatem, & incuriam removeat a Judicibus bonus Confeſſarius; & ſi ipſorum culpa majores expenſas coacti ſunt facere litigantes, obliget eoſdem Judices ad reſtitutionem, utpote qui eas injuſta actione cauſarunt.

CAPUT III.

De Actore, & Accuſatore.

1 QUi in civilibus Actor, in criminalibus Accuſator dici ſolet. Quod ad Actorem attinet: Cum Judex officium ſuum ei non impertiatur, niſi imploratus; ideo, ſi Actor, adverſarium ad certum tempus citari faciens, ipſemet tempore conſtituto non compareat, inſtare poteſt Reus præſens, ut Judex cauſa cognita illum ad expenſas condemnet, quas Reus citatus in comparendo facere debuit. Et videtur id etiam locum habere in accuſatore, quin & in Reo, ſi peremptorie citatus contumaciter non compareat, quod ad expenſas Actori condemnari debeat. Neque ad alteram citationem devenire oportet, niſi contumax ſufficienter caveat in judicio ſiſti. Denique, ſi Reus ad trinam, & peremptoriam citationem nec per ſe, nec per Procuratorem compareat, nulla legitima cauſa impeditus, per Judicem miſſio fieri poteſt in bona ejus; alioquin Excommunicatio inferri. Sin vero Actor contumaciter non compareat, Reo præſente teſtes recipi, & ad definitivam ſententiam procedi poteſt, etiam lite nondum conteſtata: Nam Actoris contumacia intolerabilior eſt, quam Rei.

2 Citatio Rei, per quam Reo præſenti copia datur ſe defendendi, eſt neceſſarium fundamentum omnis judicii: Niſi notorium ſit, Reo nullam defenſionem competere poſſe; tunc enim ſtatim ad condemnatoriam ſententiam procedendum.

NB. Libellus Actoris Syllogiſmum Juridicum continere debet, Reo per Judicem offerendus, cujus Syllogiſmi Propoſitio ſit principium Juris; Aſſumptio vero facti ſpeciem, Concluſio petitionem contineat. V. C. Emptor rei obligatus eſt ad ſolvendum pretium, tradita ipſi merce: Titius a me equum emit, quem eidem tradidi: Ergo peto, ut Titius mihi pretium equi ſolvat. In quo Actor probare debet Aſſumptum: Quia affirmanti incumbit probatio. Sin vero Reus contra Actorem excipiat, tunc onus probandi in Reum rejicitur: Quia, *ſicuti Actor intentionem ſuam, ita Reus exceptionem probare debet.*

3 Litis conteſtatio (quæ fit per petitionem Actoris in judicio & Accuſatoris reſponſionem, animo confligendi. Unde apparet, ideirco appellari litis conteſtationem, quod Actor jus ſibi eſſe teſtetur: Adverſarius autem contrarium eſſe atteſtetur. In extraordinario judicio autem litis conteſtatio non requiritur) eſt fundamentum judicii ordinarii.

NB. Ex ſchedula, libello infamationis, publico, aut privato loco affixo, Judici non eſt procedendum, niſi crimen ſit pernicioſum in futurum, aut ſi publica infamia criminis anteceſſit.

4 Accuſatori onus probandi incumbit, non denuntiatori: Alioquin pœna talionis, ſcilicet tali, qualem alteri per calumniam inferre intenderat, plectendus eſt. Hodie tamen ſola pœna arbitraria eſt in uſu.

5 Inter denuntiationem charitativam, & judicialem hoc diſcrimen eſt: Quod finis charitativæ denuntiationis ſit emendatio fratris; ſed finis judicialis denuntiationis eſt, ut ſatisfiat Communitati læſæ. Et in denuntiatione charitativa non debet inſcribere nomen ſuum, ſed in judiciali, & poſtea vocatus coram Judice comparere ad publicam teſtimonii diſpoſitionem, Reique convictionem.

6 De crimine pernicioſo, ſi alia ratione impediri non poteſt, accuſare, vel denuntiare quiſque obligatus eſt: De crimine autem non pernicioſo in futurum nemo accuſare tenetur.

7 Judex ad ſe delatam accuſationem ordinariam admittere cogitur: Quia ad Judicis officium pertinet, ut juſtitiam adminiſtret partibus poſtulantibus, ſeu proprii, ſeu publici boni cauſa. Excipe: Niſi bonum publicum poſtulet, ut a judiciario proceſſu, & condemnatione abſtineatur, puta, quia Reus Reipublicæ valde utilis eſt, vel ſi ex accuſatione, aut condemnatione gravis tumultus populi timeatur.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Dum agitur de delictis contra bonum publicum, nos putamus ceſſare obligationem denunciandi, quoties delictum jam patratum eſt, & non adeſt periculum, ut renovetur. Advertat nihilominus in praxi Confeſſarius illos facinoroſos, qui talia crimina committunt, facilius eſſe ſimulare emendationem, quam vere eſſe emendatos; nam e. g. conjurantes in Patriam, falſificantes monetam, publici latrones, aſſaſſini &c. ſunt homines deperditæ omnino conſcientiæ, adeoque ſine fundamento, ſi non dentur in contrarium valde graves rationes, ſperatur emendatio. Hinc vero ceſſat obligatio eos accuſandi.

II. Obſervet Confeſſarius difficiliter homines induci ad accuſandum, ne in ore aliorum veluti Exploratores traducantur. In caſibus ergo, in quibus de jure naturæ unuſquiſque tenetur accuſare, moneat ſuum Pœnitentem, quod, ſi non vult accuſare per ſeipſum, id faciat per alium e. g. per publicum officialem, vel aliam perſonam, dummodo tamen per hos poſſit ſufficienter media edocere ad avertendum delictum contra publicum bonum.

III. Quandoque adfuit indoctus Eccleſiaſticus, qui ſciens grave crimen eſſe patrandum, nec poſſe impediri niſi illud Judici deferendo, ab hoc abſtinuit, quia putavit SS. Canones violare. Hujuſmodi non parum ignorantes quam maxime redarguat Confeſſarius; nam nec valent dignoſcere Eccleſiam non velle, nec poſſe aliquid contra jus naturæ imponere.

IV. Moneat Confeſſarius Pœnitentes, ut dum non adeſt obligatio accuſandi, fere ſemper ab ea deſiſtant. Ut plurimum interveniunt odia, falſa juramenta, ſubornationes teſtium, aliaqua

pec-

peccata. Hinc ſemper prius proſpiciendum, an per fraternam correctionem poſſit delinquens reduci ad bonam frugem; ſicut etiam an accuſatio ſit profutura, ſuppoſito quod Delinquens fraterne correctus non ſit emendandus.

C A P U T IV.

De Probationibus.

1 POſt litis conteſtationem, & juramentum de calumnia, ſi id exactum fuerit, ad probationes devenitur, quæ in cauſa civili variæ ſunt, videlicet per teſtes, per Inſtrumenta, aut libros antiquos, per famam, indicia.

2 Inſtrumentorum duplex genus eſt, publicum, & privatum. Inſtrumentum publicum eſt, quod a Notario confectum eſt; item protocollum Notarii, ſi non agatur de rebus magni momenti, & libri cenſuales. Aliud Inſtrumentum eſt privatum, quod a privato nulla publica authoritate confectum eſt, cujus ea conditio eſt, ut, ſi ſolum ſit, ac teſtium ſubſcriptione non munitum, contra auctorem ſuum probet. Æquum tamen eſt, ut rationibus mercatorum, ſaltem in minoribus debitis, fides habenda ſit: Quia alioquin officium, ipſis a publico Magiſtratu creditum, cum tacito mandato, ut codicem rationum conficiant, eis damnoſum foret.

3 Duo teſtes ad plenam probationem ordinarie requiruntur, & ſufficiunt, juxta Chriſti ſententiam Matth. 18. *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*. Ratio: Quia plerumque periculum ſubeſt, ne unus homo perverti poſſet; ſed non tam facile duo pervertuntur, ſaltem ut per omnia conformiter loquantur. Dan. 13.

NB. Laicorum teſtimonium contra Clericum in criminalibus plerumque non admittitur, ut ſufficeret ad probationem plenam: Quia laici ſolent eſſe infeſti Clericis: Præterquam ſi crimen exceptum ſit.

4 Teſtes debent eſſe omni exceptione majores; multi enim Jure repelluntur. Primo: Inimicus, etiam in criminalibus exceptis repellitur; dummodo inimicitia gravis ſit ſecundum Judicis arbitrium. Secundo: Repelluntur conſanguinei ejus, vel affines, pro quo teſtimonium eſt dandum. Tertio: Domeſtici ejus, V. C. uxor, filii, famuli: Tamen in ſubſidium, ſi alii teſtes haberi non poſſunt, admittuntur; V. C. in adulterio. Quarto: Repelluntur infames infamia juris, & facti: Niſi aliter veritas cognoſci non poſſit, vel quia crimen ſuapte natura occultum eſt; ſed ejuſmodi infamis nullam fidem meretur ſine tormentis: In cauſa tamen civili non ardua infamia facti laborans admittitur. Quinto: Perſona vilis, & inops, ſi de ea ſuſpicio ſit, quod corrumpi potuerit. Secus, ſi honeſta, & bonæ famæ ſit. Sexto: Pagani, Judæi, Apoſtatæ. Septimo: Socii criminis; niſi in criminibus exceptis. Octavo: Mulier in cauſa criminali. Nono: Minor XX. annis repellitur a teſtimonio in criminalibus; in civilibus autem admittitur, ſi pubes ſit, etiam in crimine excepto. Decimo: In cauſa propria nemo admittitur teſtis. Prælati tamen, & Clerici poſſunt eſſe teſtes in Eccleſia ſua: Quia non cenſentur moveri proprio commodo.

NB. Interdum teſtes minus idonei in cauſis civilibus poſſunt admitti, ſi Reus non excipiat contra illos.

5 Teſtes in judicio debent eſſe jurati, & de eodem facto ſingulari conteſtari: Alioquin iis non creditur in præjudicium alterius.

6 In quibuſdam caſibus non judicialibus, nec alteri præjudicantibus ſufficit teſtimonium unius. V. C. An infans baptizatus ſit? Eccleſia conſecrata?

7 Unus teſtis omni exceptione major ordinarie in judiciali foro efficit probationem ſemiplenam, quæ tamen etiam in criminalibus ſufficit ad torturam: Teſtis autem minus idoneus in criminibus exceptis non facit ſemiplenam probationem, ſed ſolum indicium, quod junctum cum aliis indiciis ſufficere poteſt ad torturam.

8 Teſtis, a competente Judice legitime interrogatus, veritatem fateri obligatus eſt: Nam juſto Superioris præcepto parendum eſt. Quod ſi teſtis malitioſe veritatem celare nititur, etiam poteſt interdum torqueri. Quod ſi per errorem, aut oblivionem falſum teſtimonium tulit, debet revocare.

9 Ubi tamen caſus ſunt, in quibus aliquis interrogatus de crimine teſtificari non tenetur. Primo: Si novit ex Confeſſione Sacramentali. Secundo: Si crimen plane occultum, & nulla indicia adſint: Niſi ſit pernicioſum. Tertio: Si quis ſub ſigillo ſecreti accepit, ut conſilium adhiberet miſero delinquenti, puta; Medicus, obſtetrix, Advocatus, vir doctus. Niſi præceſſerit criminis infamia, & Judex ſciat, ſecretum commiſſum eſſe Medico &c. tunc veritas aperienda eſt: Quia pactio privata ſecreti ſervandi, quamvis juramento firmata ſit, non poteſt Juri Magiſtratus præjudicare, ſi ſcilicet crimen ſit pernicioſum Reipublicæ, & non mere præteritum: Alioquin non. Quarto: Si quis notitiam delicti per injuriam accepit, V. C. literas aperiendo, vel hominem per vim cogendo ad revelandum; tunc ne Judici quidem interroganti prodere juſte poteſt: Cum non minus ex delicto, quam ex voluntario pacto obligatio juſtitiæ contrahatur ad damnum alicui datum non extendendum, ſed potius, quatenus fieri poteſt, reſarciendum. Quinto: Si ſcias, factum Titii, de quo interrogatus es, a peccato, & pœna alienum eſſe. Sexto: Si ex teſtificatione tibi, vel tuis notabile damnum impendeat: Niſi in crimine pernicioſo.

10 Parentes contra liberos, & liberi contra parentes in teſtimonium non vocantur, exceptis criminibus atrocibus, beneficii, hæreſis &c. nec frater contra fratrem.

Denique perſonæ exemptæ, aut privilegiatæ nec coguntur eſſe teſtes, V. C. Clerici coram Judice ſæculari; volentes tamen admittuntur. In defectu tamen aliorum teſtificari debent, ſed coram Eccleſiaſtico Judice, vel eo conſentiente coram ſæculari.

Regulæ in praxi obſervandæ.

I. Confeſſarii habeant præ manibus omnes caſus, in quibus teſtis licite occultat veritatem Judici interroganti. Accidit ſæpe, ut vocentur in teſtes a Judice Socii criminis, Conſanguinei, & affines, vel qui ſciunt delictum ex ſecreto commiſſo, & hi omnes quia non habent a quo inſtruantur, vel ex conſcientia erronea ſunt perjuri, vel detegunt delictum, quod vel poſſent, vel etiam deberent occultare. Hinc inimicitiæ inter familias, ac odia inter magis conjunctos; vel præcluditur via aperiendi delictum etiam cauſa petendi conſilii, quia vident in judicio etiam ſecreta manifeſtari. Heu quot mala ex ignorantia!

II. Meminiſſe debet Confeſſarius in noſtra Diœceſi ipſo facto excommunicationem Archiepiſcopo reſervatam incurrere *Ferentes falſum teſtimonium, veritatem negantes aut occultantes, legitime interrogati in judicio in alterius grave damnum.*

C A P U T V.

De Reo.

1 REus alius eſt civilis debiti, & alius Reus criminis, vel ſaltem ut talis in judicium vocatur.

2 Reus a competente Judice legitime interrogatus in judicio veritatem edicere tenetur. Ratio: Quia juſtum Superioris præceptum obligat, & alioquin plerumque judicia eluderentur cum magno Reipublicæ detrimento; quandoquidem Reus criminaliter condemnari non poteſt, niſi vel crimen confeſſus, vel de eo apertiſſimis documentis convictus ſit.

NB. Probabilis eſt Sententia, Reum non eſſe obligatum conſiteri crimen, quod morte dignum eſt, ſi intelligat, illud plene probari non poſſe, ideoque, niſi ipſemet ſe prodat, liberandum fore. Ratio: Quia leges, & præcepta humana ordinarie non obligant cum diſcrimine mortis, ob naturalem propenſionem ſervandæ propriæ vitæ. Deinde, ſi nemo cogendus eſt ſibi ſanguine junctum prodere, cur ad ſe ipſum prodendum aliquis cogi poſſit, ita ut ſibi ipſi mortis cauſa exiſtat?

3 Confeſſarius ex hac Sententia Reum, qui convinci non poteſt, non nimis urgere debet ad confitendum crimen morte dignum (a).

„ (a) Verum Benedictus XIV. in ſua Bulla *Paterna caritas*, innuit reum juridice interrogatum in criminali judicio teneri veritatem fateri.

Reus poſt latam a Judice ſententiam non fateri tenetur crimen, quod ante falſo negarat: *Quia finito judicio finitur etiam obligatio Rei.*

4 Reus contra Juris ordinem a Judice examinatus non tenetur crimen fateri. Unde tenetur Judex Reo aperire ſtatum cauſæ, teſtes, indicia, ut illi appareat, num jus habeat illum examinandi, & an juridice procedat? Neque obſtat, etſi Reus diſſimulans veritatem, quia non legitime examinatur, intelligat, inde Judici, Accuſatori, notam calumniæ aſperſam iri: Nam *nullus videtur dolum facere, qui jure ſuo utitur*. Reg. 55. ff. Nam hoc eſt per accidens. Eſt tamen opus virtutis, ut Reus ultro crimen ſuum prodat ad ſuſtinendam juſtam criminis vindictam.

5 Judex

5 Judex Reum infamatum ; vel convictum de uno crimine non debet examinare de aliis criminibus, quæ neque ſuapte natura, neque indiciis connexa ſunt. V. C. Deprehenſus in ſurto non debet examinari de homicidio. Ratio : Quia Judex non poteſt inquirere de crimine, niſi ſit ei aliquo modo tanquam publicæ perſonæ cognitum. Quod Judices ſæculares contrarium faciant, id non eſt ſecundum Jura: Excepto , ſi quis ſit famoſus fur, aut famoſus latro.

6 Si indicia ad capturam Rei ſufficientia non ſunt, totus etiam reliquus Juris proceſſus corruit. Unde confeſſio exorta ſine ſufficientibus ſignis eſt nulla, etiamſi millies fuerit ratificata.

7 Si Reus crimen ultro confiteatur, ejus indicia det, de eo ſine aliis teſtimoniis puniri poteſt, cum per talem confeſſionem crimen publicum fiat : Indagare tamen oportet Judicem indicia criminis . Nam , ut Mynſing. ait , ſpontanea delicti confeſſio non ſufficit ad condemnandum aliquem pœna capitali , niſi aliunde etiam conſtet, delictum commiſſum eſſe , V. C. ſi quis dicat, ſe eſſe magum , & nulla adſint indicia .

8 Judex Reum de crimine confeſſum non poteſt interrogare de ſociis , nulla indiciorum ſuſpicione , aut infamia laborantibus , juxta illud : *Nemo ſuper proprio crimine confitentem de conſcientia ſcrutetur aliena* . Niſi crimen ſit exceptum, vel perniciosum, ut hæreſis, veneficium. Furta etiam, licet non de jure, tamen per conſuetudinem.

NB. In crimine veneficii fœminis ob ſexus fragilitatem non æque, ac maſculis, creditur. Unde Judex non tantum attendere debet ad denuntiationem, ſed ad qualitates perſonarum. Si enim duæ veneficæ de ſe ipſis crimen confeſſæ aliam perſonam denuntiant , conſentiendo circa idem factum particulare , & conſtanter adhibitis tormentis perſeverent , Judex procedere poterit ad capturam perſonæ denuntiatæ , niſi ea bonæ famæ ſit, ut veluti elidantur indicia. Si autem denuntiationes veneficarum ſingulares ſint , ſeu non conteſtantes de eodem facto particulari , neque aliter adminiculatæ, etiamſi ſex, octo, decem ſint de eadem perſona bonæ famæ , non efficient ſufficiens indicium ad capturam , ſed tantum ad informationem ulteriorem accipiendam , & interdum hominem arreſtandum , ne fugiat . Secus eſt , ſi perſona ſit infamata de aliis vitiis diſponentibus ad veneficium , V. C. de ſodomia , inceſtu, & frequentibus blaſphemiis.

9 Tortura non adhibetur, niſi in criminibus gravibus, & per duos teſtes probatis, ſi adſint indicia gravia, ſed non ſufficientia ad probationem plenam . Ratio : Quia alioquin paſſim ſcelera graviſſima maximo Reipublicæ damno impune patrari poſſent ab hominibus callidis, modo operam darent , ut teſtes idonei , aliaque criminis ſufficientia documenta removerentur.

Quod ſi quis torqueatur in iis , quæ pœnam pecuniariam, aut exilii merentur , poteſt appellare a tortura inique ſibi data : Nam tortura ad eliciendam criminis confeſſionem inſtituta non debet eſſe tanta , vel major pœna, quam illa ſit, quæ in ejuſdem criminis condemnationem inferretur.

10 Reus ſemel tortus iterum torquendus non eſt , niſi novum Indicium accedat. Ratio : Quia per torturam toleratam infirmata cenſentur prius habita indicia. Quod ſi vero Reos crimen, quod in tortura confeſſus erat, poſtridie retractet, iterum torquendus eſt : Quia retractatio factæ confeſſionis in tortura infirmat torturam , ut perinde ſit , acſi nulla præceſſerit , interim indiciis in ſuo vigore permanentibus . Cæterum , ſi tertio ita tortus, & confeſſus tertio retractet , dimittendus eſt . Si tamen graviſſima Indicia adſint , ut vehementem præſumptionem pariant, crimen a Reo malitioſe negari , ſæpius poteſt torqueri.

11 Judex non debet ita torquere Reum, ut moraliter ei impoſſibile ſit crimen non fateri ; cum enim talis confeſſio quodammodo involuntaria ſit, non poteſt in judicio æſtimari ; ideoque ſequetur condemnatio non propter confeſſionem, ſed propter indicia, quæ , ut ponimus , ſufficientia non ſunt ad condemnationem.

12 Certæ perſonæ ſunt , quas torqueri nolumus , nempe impuberes, ſenes , prægnantes , Vir Nobilis , Doctor, Conſiliarius, & filii eorum . Excipe crimina excepta.

NB. Rata eſſe debet confeſſio extorta per fictam promiſſionem, ſi Reus non retractet.

13 Si Reus confeſſionem per mendacium, ſimulationem , dolumve Judicis extortam poſtea retractet , non poteſt ex illa condemnari; ſi enim examinatio Judicis juſta, & legitima non eſt, neque confeſſio rata, & juridica cenſeri debet.

14 Salvus conductus duobus modis dari poteſt. Primo: In forma Juris communis, ut Reus contra omnem violentiam, ſeu vim injuſtam defendatur, ſalva tamen juſtitia, ſeu juris executione, quæ non obſtante ſalvo illo conductu fieri poſſit. Exemplum habes in Hieronymo Pragenſi . Secundo : In forma ſpecialis Juris , ut cum promittitur ſecuritas contra omnem vim etiam alioquin juſtam, ſaltem in illa cauſa, de qua agitur, præſtandam. Exemplum habes in Concilio Tridentino , ſalvum talem conductum dante Hæreticis Germanis.

15 Reus ordinarie puniri debet in loco , ubi deliquit : Verum ſecundum Germaniæ conſuetudinem neceſſario mittendus non eſt ad locum delicti . Quibuſdam regionibus in praxi obſervatur, ut ſi fur cum rebus ſubtractis , & alio delatis apprehendatur , inibi capi, & puniri poſſit , ſicut Judæus ante decem annos Francoſurti ; quia rem furtivam detinens continuo delinquere cenſetur.

16 Judex domicilii potentior eſſe ſolet , quam Judex originis. Nam Judex domicilii etiam in abſentes cives juriſdictionem obtinet , eoſque citare poteſt : At Judex originis juriſdictionem non habet in originarios, qui alibi domicilium obtinent ; niſi dum in loco ſuæ originis commorantur.

Regulæ in praxi obſervandæ .

I. Solent Confeſſarii illorum , qui ad ultimum ſupplicium ſunt damnati , valde eos urgere, ut fateantur veritatem , ſi illam in judicio negarunt ; at de hoc , ex dictis , non deberent eſſe jam ſolliciti niſi in caſu , in quo iterum eſſent interrogandi ; tunc etenim utique deberent eſſe prompti ad veritatem fatendam . Extra hunc caſum velle illos adigere ad ſe retractandum eſt ponere ſine neceſſitate offendiculum cæco .

II. Alterum crimen, quod neque rei advertunt, neque Confeſſarii, eſt credere damnatos ad carcerem juſtam criminis pœnam poſſe fugere , alioſque poſſe ipſis media ad fugam ſubminiſtrare. Expellant a ſuis Pœnitentibus hanc ignorantiam , ſi non agatur de caſibus exceptis, ac ſuadeant in carcere manere , ut facilius æternum carcerem evadant . Imo Reos moneant , quod ſi poſtquam fugerunt e carcere , ubi manebant per modum pœnæ , ad ipſum Judicis præcepto revocentur , ad illum tenentur redire ; ſicut enim juſto præcepto eos damnaverat , ita etiam poteſt eos revocare ad juſtam pœnam ſubeundam .

§. Unicus .

De Sagis .

17 PLures fœminæ , quam viri veneficiis obſtricti ſunt . Ratio : Quia mulieres ob defectum judicii , & experientiæ citius credunt , & facilius decipiuntur , ſunt magis curioſæ , ad libidinem proniores , item puſillanimes , facilius dæmonis ſolatia admittunt.

18 Sagas ad veram pœnitentiam convertere difficile, ſed non impoſſibile eſt ; ſi tamen ultro ſaga confiteatur, propoſito ipſi periculo animæ, in quo verſatur , & ſigilli obligatione arctiſſima, indaget tempus, & occaſionem criminis, poſtea examinet de modo , & qualitate ſuperſtitionis, utrum ex animo fidem abnegarit , diabolum adorarit , falſa de Deo ſenſerit , an rebus ſacris abuſa fuerit , hominibus damnum intulerit ? num læſerit perſonas valde conjunctas , ut parentes , liberos ? & an Clericos ; idque propter Excommunicationem : utrum alios ſeduxerit, & an hi in crimine perſiſtant ? Quia tenetur illos convertere, aut, ſi nolint , Magiſtratui deſerre . Non tamen obligatur , ſi ei immineat periculum capturæ.

NB. Confeſſarius præterea debet laborare , ut ſagæ agnoſcant mendacia diaboli , ut abjurato diabolo ſpem in Deum concipiant , preces frequenter ad Deum fundant , ad diabolum repellendum Crucis ſignum , Reliquias Sanctorum , Agnos Dei uſurpent , frequenter confiteantur , ſæpius fidei profeſſionem repetant .

19 Confeſſarius agendo cum ſagis a Judice captis , aut condemnatis, magna prudentia uti debet ; nam conſultum non eſt , ut ſagæ ante judiciale examen ad Confeſſionem Sacram admittantur , quia vix adiguntur ad confeſſionem criminis : Si tamen conſuetudo ſit , nihil obſtat , quo minus Confeſſarius ante judiciale examen ad ſagas accedat, ad contritionem, patientiam, & obedientiam Magiſtratui debitam ſerio cohortetur . Porro cavere debet , ne coram ſagis modum procedendi Magiſtratus reprehendat ; item expedit , ut habeat Confeſſarius confeſſiones , quas fecerant coram Judice , ut ſi poſtea coram Confeſſario negent , refelli poſſint , ad-

dita

dita exhortatione, ut vitæ ſuæ termino ſincere agant coram Deo, ejuſque Miniſtro ſacerdote, neque ſinant ſe a dæmone decipi, & ad æternas pœnas deduci, propoſita ipſis magna Dei miſericordia, per quam conſerventur, ut ſubito ex dæmonis faucibus eripi poſſint, alioquin æternum arſuræ; animentur ad fortiter ſubeunda ſupplicia momentanea, quibus ſatisfacere poterint pro peccatis, atque æternas pœnas redimere. Si autem & ſaga conſtanter dicat, ſe innocentem, & metu tormentorum faſſam eſſe, conſoletur, dicens illi, etiam Martyres paſſos fuiſſe immeritos, pœnam hanc fore ei ad meritum, interim vero ſciat, Deum non decipi, adeoque caveat, ne, ſi innocentem ſe faciat contra ſcientiam Dei, tum diabolo perpetuum luat.

20 Sagæ tenentur ejuſdem criminis reos Judici prodere, ut pernicioſa flagitia a Magiſtratu extirpari poſſint. Quod ſi innocentes denuntiarint, ſerio etiam, ſi noviſſima tormenta ipſis ſint perferenda, retractare mandet.

21 Si teſtis, aut denuntiator teſtimonium ſuum revocet, probabilem erroris ſui rationem afferens, audiri debet.

22 Judex plerumque æſtimare non debet revocationem denuntiationis poſt latam ſententiam condemnatoriam denuntiantis, etſi is morti proximus revocet. Ratio. Quia denuntiatio in tormentis facta, ac poſtea coram Notario, & teſtibus ratificata præſumptionem veritatis indicat: Ergo non eliditur per ſubſequentem revocationem extrajudicialem, & non ſolemnem. Et revocatio hominis morituri (præſertim ſi ſit animo perturbato) non efficit præſumptionem certam: Sicut vulnerato non creditur, ſi mox deceſſurus dicat, ſe a Titio percuſſum fuiſſe; niſi id aliter probari poſſet.

23 Confeſſarius fruſtra laborat, ſi poſt ſagæ ſupplicium Judici ſignificet, eam revocaſſe denuntiationes; cum Judices non acceptent. Adde, quod Confeſſarius frangeret ſigillum, ſi ſine licentia aperiret injuriam denuntiantis. Quare, ſi mulier conſtanter retractet innocentis denuntiationes, roget mulierem, ut extra Confeſſionem ſibi dicat, ut hoc ipſum Judici deinde ſignificare poſſit.

Poteſt tamen Confeſſarius mulieri perſuadere, ut coram populo retractet denuntiationes innocentis: Quia ſaltem aliquatenus talis revocatio coram Deo teſte facta debilitat priorem denuntiationem.

24 Quod ſi fœmina coram Confeſſario conſtanter neget, ſe eſſe ſagam, & de reliquo ſincere confiteatur, dicatque, ſe metu tormentorum faſſam, abſolvi debet: Tamen ſerio monenda, ut ad tollendum dedecus, quod ſibi, ac familiæ inferet, conſtanter retractet, modo ſpes ſit, Judicem eam auditurum; ſolent enim Judices ſtare confeſſione ſemel ratificata, niſi probabiliſſima argumenta commiſſæ falſitatis appareant. Quod ſi mulier malit mori, quam retractare, poteſt ſe conformare probabili Sententiæ Doctorum, aſſerentium, neminem teneri cum tantis tormentis vitam ſervare: Etſi contraria Sententia ſpeculative vera ſit. Qui enim cauſam ſuæ mortis poſuit, tenetur eam tollere; ſed Reus &c. Ergo.

25 Etſi Confeſſarius ex Sacramentali Confeſſione allegat, mulierem re ipſa innocentem eſſe, tamen Judicem de ea re monere non expedit. Primo: Quia Judex non credet. Secundo: Quia, ſi ſciatur, Confeſſarium intercedere pro reis, quos ipſe innocentes eſſe ex Sacramentali Confeſſione ſuſpicatur, alii vere nocentes exinde occaſionem accipient, facinora ſua callide coram Confeſſario celandi, non ſine gravi ſacrilegio & animarum ſuarum pernicie.

26 Judex mulieres de maleficio ſuſpectas capere, & torquere debet ſecundum indiciorum gravitatem; nam ſola infamia ab hominibus improbis orta ſine probabili cauſa, & conjectura non ſufficit ad capturam, & torturam.

NB. Gravia indicia requiruntur ad capturam & torturam; graviora ad capiendam perſonam in dignitate, & ſtatu Clericali conſtitutam. Ad torturam inferendam ſuſpecto generalis Regula eſt ex l. 1. ff. de quæſt. Quod talia indicia requirantur, quibus animus Judicis plane inclinetur ad exiſtimandum hominem noxium eſſe, ut jam nihil aliud deeſſe videatur, quam ipſius rei confeſſio.

27 In criminibus exceptis, etſi Reus confeſſus non ſit, damnari poteſt propter multiplicatas denuntiationes perſonarum infamium, modo ſint contextus ejuſdem criminis particularis; quia, ſi ſagæ conſtanter de proprio crimine confeſſæ denuntient ſociam, exinde oritur indicium moraliter certum, quod plenæ probationi in criminibus exceptis, & ſuapte natura occultis æquiparatur.

NB. Denuntiationes ſagarum, utpote perſonarum infamium quantumvis multiplicatæ, ſi ſolæ ſint, & non aliis teſtimoniis, aut gravioribus indiciis confirmatæ, non ſufficiunt ad condemnatoriam ſententiam.

28 Conſuetudo apud Chriſtianos obtinet, ut Rei ad ignem damnati non tanta morte crucientur, niſi impœnitentes decedant.

29 Crimina morte extinguuntur, niſi excepta ſit; ut hæreſis, veneficium. Hinc ſecundum conſuetudinem ſagæ confeſſæ morientes in carcere comburuntur.

30 Saga, quæ in carcere prius mortua, quam crimen confeſſa, vel de eo convicta ſit, ſi nihil aliud obſtet, in loco ſacro ſepeliri debet: Sed, ſi ſibi ipſi necem inferat, cremari poteſt, etiamſi ante diſceſſum pœniteat, & communicet; quia Sacramentalis Pœnitentia foro externo nihil præjudicii adferre ſolet.

31 Quæ de crimine convictæ non fuerunt, nec confeſſæ, non debent poſt mortem publica ſententia infamari.

32 Sacra Euchariſtia, & ſacra ſepultura ſagis negari non poteſt, etiam judicio adhuc pendente, ſi in carcere decedant. Ratio: Cui Sacramentum Pœnitentiæ datur, neque Viaticum negandum eſt. Id etiam locum habet in muliere confeſſa in tortura, ſed retractante: Quia non conſtat, illam eſſe in mortali; Sacramenta autem negari non poſſunt ulli, niſi conſtet, illum eſſe in ſtatu peccati mortalis.

NB. Si ſaga poſt Confeſſionem Sacramentalem palam dixit, ſe innocentem eſſe, Communio illi neganda eſt propter ſcandalum: Quia publice præſumitur mendax, pertinax. Secus, ſi in ſecreto coram Confeſſario; tunc enim, ut ſupra dixi, communicari poterit.

Quoad ſepulturam negari illa illis non poteſt, qui judicio adhuc pendente moriuntur. Ratio: Quia conſuetudo illa denegandi ſepulturam maleficis, licet ante mortem Sacramento muniti ſint, locum tantum habet in damnatis, vel quorum memoria etiam poteſt poſt mortem damnari; horum autem, qui crimen needum confeſſi ſunt, memoria damnari non poteſt: Ergo. Cæterum, ſi contra mulierem crimen magiæ perſeveranter negantem indubitata indicia adſint, improbari non poteſt praxis, ut ipſi mortuæ propter violentam præſumptionem criminis ſacra ſepultura negetur. Sacramentum Euchariſtiæ illi tamen negari non poteſt: Quia indicia fori externi non debent transferri ad internum.

33 Sacra Euchariſtia ad ſagas, & alias ejuſmodi perſonas cum minori ſolemnitate eſt deferenda; tamen non omnino clam. Exequias etiam, & ſacrificia celebrare licet pro condemnatis.

C A P U T VI.

De Appellatione.

1 Appellatio eſt provocatio a ſententia, vel alio Superioris gravamine ad alium majorem Judicem, tanquam remedium innocentiæ, non ad defenſionem iniquitatis inſtitutum. Quare ſi cauſa appellantis notoria ſit, appellationi deferendum non eſt. Item, ſi contra abſentem ob veram contumaciam ſententia lata ſit, appellans ab ea non auditur.

2 Ab arbitris appellari non poteſt, ſi partium conſenſu electi fuerunt, neque a ſummo Principe. Denique, in eadem cauſa non niſi bis appellare conceſſum eſt; tertio autem appellans non auditur.

3 Duplex eſt appellatio. Una Judicialis, quæ inſtituitur de his, quæ circa judicium accidunt; quamvis civili Jure non niſi a ſententia definitiva appellari poſſit, non item ab interlocutoria: Præterquam ſi ejus gravamen per appellationem a definitiva reparari non poſſit. Altera Extrajudicialis appellatio eſt, quæ extra judicium interponitur ob aliud quodcunque gravamen illatum, vel inferendum; ut ſi alteri beneficium collatum ſit in meum præjudicium.

4 Appellatio intra decem dies a lata ſententia, vel alio gravamine fieri debet; quamvis a gravamine extrajudiciali, cum id in rem judicatam non transeat, gravatus etiam poſt decennium audiatur, ſi per modum querelæ (tanquam remedium juris communis, &

ordi-

ordinarii) Superiorem adeat, officium ejus implorando. Sed ſententia in judicio lata, ſi intra decem dies per appellationem ſuſpenſa non fuit, tranſit in rem judicatam; ſiquidem facit authoritatem rei judicatæ, & tribuit jus plenum parti litiganti: Niſi de iniquitate ſententiæ certo conſtet, juxta Reg. 207. ff. *Res judicata pro veritate accipitur*.

NB. Sententia in cauſa matrimoniali etiam poſt decennium non tranſit in rem judicatam: Quia in his agitur de vitando peccato. Unde conjux, ſi a ſententia pro valore matrimonii lata velit appellare, vel ſi appellet a ſententia lata divortii, oſtendendo, nullum ſubeſſe impedimentum, ſemper audiri debet.

5 Appellatio, ſi rationabili cauſæ nititur, producit effectum ſuſpenſivum, & devolutivum. Effectus ſuſpenſivus præcipue locum habet in appellatione judiciali, præſertim quæ eſt a ſententia definitiva; illa enim omnino ſuſpendit juriſdictionem Judicis quoad illam cauſam. Devolutivus autem effectus in eo conſiſtit, quod Judex, ad quem appellatur, priorem Judicem inhibere, & ad ſe devolutam cauſam ipſe definire, ac cognoſcere poſſit.

NB. Declaratoria ſententia, per quam Judex aliquem pronuntiat in Excommunicationem incidiſſe, per appellationem ſuſpendi ſolet.

6 Literæ appellationis, quæ vulgo Apoſtoli dicuntur, intra triginta dies a die latæ ſententiæ inſtanter petendæ ſunt a Judice, a quo appellatur ad eum, qui de appellatione cogniturus eſt; alioquin, qui appellavit, cenſetur appellationi renuntiaſſe. Et harum literarum tres ſunt ſpecies. *Dimiſſoriæ*, quibus Judex appellationi defert, & cauſam ad Superiorem ablegat. *Refutatoriæ*, quibus appellationi non defert, ſed iniquam aſſerit. *Reverentiales*, quibus defere quidem, ſed non tam ob meritum cauſæ, quam ob reverentiam Superioris, ad quem appellatur.

NB. In appellatione extrajudiciali, inſtituta ob gravamen illatum, vel inferendum, etiam *Apoſtoli* peti ſolent, ſi ſint, qui eos dare poſſint; alias non. Si quis in præſentia Judicis appellare non poſſit, conceſſum eſt, appellare coram Notario, & viris honeſtis.

7 Tempus totum exercendæ, & finiendæ appellationis annus eſt: Sin impedimentum incidet biennium. Inter quod tempus appellans curare debet, ut cauſa apud Judicem appellationis terminetur; alioquin ſententia prioris Judicis tranſibit in rem judicatam, ſi appellatio fuit judicialis.

8 Injuſte appellans ad expenſas litis, & alia damna adverſario illata obligatur refarcienda.

9 Judex ſuſpectus Canonico Jure recuſari poteſt, ac peti, ut arbitri partium conſenſu ſtatuantur (*a*).

„ (*a*) In appellationibus, quæ fieri ſolent a ſen-
„ tentia ordinariorum ad Sedem Apoſtolicam hæc ſta-
„ tuit Benedictus XIV. in ſua Bulla *Ad militantis*
„ *Bullar. Tom.* I. *num.* 48. Vetat igitur, ne recipian-
„ tur in tribunalibus appellationes, & inhibitiones,
„ per quas retardetur executio, aut impediatur pro-
„ ceſſus ad ulteriora in iis, quorum executio a Tri-
„ dentino, vel conſtitutionibus Apoſtolicis commiſ-
„ ſa eſt locorum Ordinariis, addita clauſula: *Ap-*
„ *pellatione, vel inhibitione quacunque poſtpoſita*. In
„ his caſibus ſi forte concedantur deinceps appellatio-
„ nes, inhibitioneſve, iſtæ irritæ, & nullæ cenſendæ
„ ſunt.

„ Excipiuntur tamen caſus quidam ſingulares, qui
„ tamen debent clare exprimi in ſupplici libello, qui
„ ad hoc porrigitur, adjuncto etiam aliquo documen-
„ to hanc caſus ſingularitatem vivificante; quo obla-
„ to tunc poſſunt a tribunalibus monitoria, & cita-
„ tiones mitti.

NB. Appellationi ſimilis eſt querela ſimplex, quæ ad Superiorem defertur ob denegatam inſtantiam ab inferiore Judice debite requiſito; modo cauſa cœpta non ſit: Si cœpta, locus erit appellationi.

NB. Regularibus denegatur appellatio (niſi manifeſtum ſit, eos a Prælatis gravari) ne ejus prætextu a Prælatorum ſuorum obedientia ſubducantur.

Regula in praxi obſervanda.

Pauci ſunt Confeſſarii, qui admoneant ſuos Pœnitentes de gravi culpa, quam committunt, quoties cognita tenui probabilitate ſuæ cauſæ, appellatione curant diutius retinere, quod alteri a Judice inferiori fuit judicatum, obligant partem adverſam, potius ex iracundia, ad novas impenſas. Non ſolum iſti litigantes graviter peccant peccato inobedientiæ, Judici juſte judicanti non obtemperando, ſed etiam contra juſtitiam commutativam, damnificando injuſte collitigantes. Dum ſciunt ergo Confeſſarii ſuos pœnitentes litibus implicatos, moneant, ut de juſtitia ſuæ cauſæ inquirant a Viris ſine paſſione judicantibus, & id præcipue poſtquam ſemel fuit adverſus ipſos judicatum; & dum vident non ſufficienti probabilitate tueri, cogant eos recedere a lite.

FINIS PARTIS PRIMÆ.